D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA LATINA

CURAVIT

DR. JOAN. CONRAD. IRMISCHER

ECCLESIAE NEOPOLITANAE ERLANGENSIS PASTOR ALTER.

TOMUS XIII.

CONTINENS DEUTERONOMION MOSE

CUM ANNOTATIONIBUS.

ERLANGAE

SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.

MDCCCXLV.

DEUTERONOMION MOSE

CUM ANNOTATIONIBUS

MART. LUTHER.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

DEUTERONOMION MOSE

CUM ANNOTATIONIBUS

MART. LUTHER.

DEUTERONOMION MOSE, EX HEBRAEO CASTIGATUM, CUM ANNOTATIONIBUS MARTINI LUTHERI. 1525.

Hae annotationes in Deuteronomium, quas Lutherus fratribus suis (Augustinianis) familiari colloquio proposuerat, anno ineunte 1525 prodierunt. Quanquam vero extemporaneae fuerunt, satis tamen ostendunt copiam et felicitatem ingenii et exercitatum in interpretanda Scriptura sensum. Repetitae sunt typis non solum eodem anno Vitebergae, Basileae et Argentorati, sed etiam germanice versae. In praefatione ad Georgium a Polentis (Polentz), episcopum Sambiensem (Samland), Lutherus hunc praelatum laudat, quod unicus et solus inter episcopos orbis non modo verbum susceperit, sed pro episcopali auctoritate etiam palam et publice confessus, docuerit et doceri per suam dioecesin curaverit. (Cf. Seckend. lib. II. §. VIII. et lib. I. §. CLXXII. — Chph. Hartknoch preufs. Kirchenhistorie p. 171. 268 sqq. 308.)

Editiones principes et repetitae.

I. DEUTE | RONOMION MOSE | cum Annotationibus. | MART. LUTHER. | Wittembergae. | 1525. cum figg. ligno incisis. Subscriptum est exemplari bibliothecae acad. Erlang. „Vincentius Obsopoeus" manu ejus propria. Post praefationem ad D. Georg. a Polentis, episcopum Sambiensem, Vuittemb. 1525. datam, alia sequitur inscriptio operis, figuris ligno incisis circumdata aliisque ut videtur typis

excusa, cujus verba haec sunt: DEUTE | RONOMI(MOSE EX | EBRAEO CASTIGA- | tus cum annotat. Martini Lu | theri. | Wittembergç 1524. In fin Vuittembergae, apud Johannem Lufft, Anno Domi 1525. 8. † 267 foll.

II. Deuteronomion Mose cum Annotationibu Mart. Lutheri adjecto indice. In fine: Argentora excudebat Joannes Knoblochus, Anno. M. D. XX Mense Májo. 24 Plagg. 8. Inscriptio cum figg. lig incisis.

III. Deute | ronomios Mose, ex | Hebraeo a curatis | sime restitutus, | cum annotationibus Mar tini Lutheri. | Accessit rerum et vocabulorum | i dex copiosissimus. | Basieae in aedi | bus Ada Petri, Calendis Julijs. | Anno M. D. XXV. | 28 Plag 8. Inscriptio c. figg. ligno incisis. In pag. ultim signum typographi.

Versio germanica.

Verzeychnunge über das Fünfft Buch Mos Deuteronomiū genandt. Welche in einer kürtz desselben Buchs, recht grundtliche verstandt v erclärung geben. D. Martin Luther. Das Regist such am ende dises buchs. 1525. Am Ende d Buchs vor dem Register: Ende der verzeichnung in das fünffte Buch Mose Deuteronomion. Aus de latein erst in das deutsch bracht. Zu Strafsbu M. D. XXV. 38 1/8 Bogen. 8. Inscriptio c. fig ligno incisis.

In collectionibus.

Viteb. III. 12. — Jen. III. 76. — Germa Wittenb. VIII. 140. Altenb. V. 1031. Leip IV. 92. Walch. III. 2017—2420. Nos textu editionis principis (Nr. 1.) repetiimus.

IV.

REVERENDO IN CHRISTO

PATRI ET DOMINO

D. GEORGIO A POLENTIS,

VERE EPISCOPO SAMBIENSIS ECCLESIAE, SUO IN CHRISTO DOMINO SUSPICIENDO PATRI,

GRATIAM ET PACEM.

Deuteronomion Mosi, amplissime pater, a me fratribus meis domi familiari colloquio tractatum, et eisdem rogantibus in publicum proferendum tuo nomini dicare, tuaeque dignitati offerre constitui, quod cum jamdiu cogitarim, negotiis impeditus, tandem concedente Deo et his literis facio; non quod dignum existimem tanto viro, quidquid mea tenuitas in praestantissimo et principe omnium sacrorum librorum auctore tentavit, cujus auctoritas et majestas merito me et quemlibet a tractando deberet deterrere, juxta illud: „Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas," nisi necessitatis et salutis ratio cogeret audere talia pro pietate et religione discenda docendaque.

Sed ut aliquando tandem ostenderem animi mei erga te affectum, occasionem hanc arripui, ut pars aliquantula fierem eorum, qui testimonium perhibent de sincera tua fide in Christum et operosa caritate

tua in fratres ejus. Sic existimamus, si forte dominus dare dignetur, ut exemplo tuo tam novo et singulari et alii pontifices et principes aliquot accensi ecclesiam Dei novo miraculo laetificarent, et purum Dei verbum rejectis traditionibus et opinionibus humanis susciperent, colerent et proveherent, sicut exigit eorum vocatio et professio. Non enim te laudamus, cum dona Dei in te laudamus, sed insigne illud miraculum gratiae Dei extollimus, quam in te valere, regnare et triumphare videmus et audimus cum gaudio, ut quemadmodum pastor, sicut Amos loquitur: „Eruit ex ore lupi extremum auriculae aut duo crura,“ sic te unicum et solum inter omnes episcopos orbis elegerit dominus et liberaverit ex ore Satanae, quod dilatavit sicut infernum, et devorat omnes. Nihil enim videmus in ceteris episcopis (quanquam esse inter eos speremus aliquot Nicodemos) nisi, quod subversis caesare et regibus ac principibus fremunt et insaniunt contra resurgens vel potius oriens evangelion, ut denuo impleant illud Psalmi secundi: „Adstiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus dominum et adversus Christum ejus;“ quo provocent simul, ut et Deus in eis impleat, quod sequitur: „Habitator coeli ridebit, et dominus subsannat eos; tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.“

Tibi vero ea singularis plane et mirabilis gratia donata est, ut non modo verbum susciperes et crederes, sed pro episcopali auctoritate etiam palam et publico consessu doceres docerique per tuam dioecesin curares, liberaliter his, qui in verbo laborant, provisis, videntibus impiis, irascentibus ac dentibus suis fre-

mentibus et tabescentibus frustra. Haec scilicet gratia Dei in te collata, quemadmodum Paulus cum Macedonibus facit ad Corinthios, non fuit mihi silentio transeunda, sed omnibus modis evulganda, praedicanda, cantanda, ad gloriam Dei, ad profectum evangelii, ad incrementum fidei, ad solatium infirmorum et eorum, qui apud nos varia patiuntur in variis locis, ad erectionem pusillorum, denique etiam ad terrorem et ignominiam hostium verbi et idolorum istorum, in loco pontificum sedentium, qui praeter tyrannidem nihil sciant nec possunt in misero populo praestare. Nec sum veritus, quod hac praedicatione onerem te odio et invidia caeterorum pontificum, regum et principum, aut etiam in periculum vitae traham, quandoquidem hodie nullum flagitium par est huic uni et summo sacrilegio, scilicet evangelion Dei confiteri, ob quod jam multi sanguinem fuderunt constantissime, inter quos inprimis luceat Henricus et Johannes Bruxellae per sophistas Lovanienses exusti, et post eos Henricus noster Sudphanius, Bremensis evangelista, non uno igne nec uno genere mortis per Diedmerianas bestias occisus. Quid nos maneat, Deus novit, si tamen digni fuerimus, ut socii illorum facti et ipsi patiamur contumelias ob nomen domini. Non inquam hoc periculo te exponere sum veritus, certissime persuasus, quod is, qui te honoravit verbo crucis, simul roborabit et spiritu crucis, triumphabitque in carne tua non modo blasphemias nominis et odia et furores potentium in mundo, sed etiam vires et violentiam (si opus fuerit eas ferre) Satanae cum toto suo regno. Scimus enim, quod major est is, qui in nobis est, quam is, qui in mundo est.

Ad haec, ut gratia et donum hoc Dei cumulatius esset, addidit dominus, et curavit benignitate sua, ut principem terrae haberes evangelio studiosissimum heröem illum inclitum, Adelbertum ex Marchionibus Brandenburgensibus, magistrum magnum Prussiae, cui donatum est eodem spiritu, ut cogitet, quae principe digna sunt, ut verbis prophetae utar. Ita fit, ut utrique vestrum praesidio christianissimo populus Prussiae, qui forte nunquam evangelium habuit nisi opertum vel adulteratum, nunc late currens et fructificans, audiat purissimum et clarissimum, inenarrabili beneficio Dei. Nam ego puto evangelion ad Germaniam usque ad hoc saeculum nunquam pervenisse revelatum et luce sua coruscum, licet non dubitem dominum semper novisse suos ubique terrarum, etiam in mediis Sodomis et Gomorris servare. Et vide mirabilia, ad Prussiam pleno cursu plenisque velis currit evangelion, quo non vocabatur, ubi nec quaerebatur, in Germania vero superiore et inferiore, quo ultro venit et accessit, omni furore et insania blasphematur, repellitur, fugatur, ut in hoc impleri videas sortem illam egregiam evangelii, de qua Paulus dicit Ro. 10.: „Inventus sum a non quaerentibus, palam apparui his, qui me non interrogabant." De Israel vero dicit: „Tota die expando manus meas ad populum incredulum et contradicentem mihi, qui ambulat vias non bonas." Sed ad te revertor.

Admitte igitur, optime praesul, hunc libellum cum ista confessione tui, ut per te et in te glorificetur hac occasione Christus, simul ut sub tuo nomine illis serviatur, qui forte Deuteronomion Mosi antea non tantum, quantum mihi donatum est, intellexerunt.

Sunt enim multi et horum nonnulli plane omnium magistri sibi visi, qui Mosen et totum vetus testamentum vilissimum habent, velut evangelio contenti, a quorum sensu oportet christianum hominem abesse longissime. Certum est enim, ut quemadmodum mundi sapientes dicunt Homerum esse patrem omnium poëtarum, fontem, imo oceanum omnis eruditionis et sapientiae et eloquentiae, sic noster Moses fons et pater est omnium prophetarum et librorum sacrorum, id est, sapientiae et eloquentiae coelestis. Cum vero hoc saeculo omnia incipiant restitui, quasi dies ille instet restitutionis omnium, venit in mentem, ut hoc tentarem, si forte et Mose restitui possit, et rivulos ad fontem revocarem. Jucundissimum est sane, et tam intelligentiae quam memoriae juvandae commodissimum et utilissimum, cernere vestigia prophetarum posteriorum in Mose, ut illum legerint, didicerint, docuerint, nocturna versarint manu versarintque diurna. Ex cujus copiae cornu omnes illorum opes sumtae sunt, ut et ipsi de eo dicere possint: „Ex plenitudine et abundantia illius omnes nos accepimus," sicut ipsemet fore praevidit et praedixit in cantico suo: „Concrescat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum etc."

Dedi autem operam, ut primo omnia simplicissime tractarem, nec passus sum me rapi ad mysticas (quas vocant) expositiones, si quando occurrebant absurdae et stultae leges, ut aliquibus videntur. Primo enim pietatem docet Mose, satis prolixe et copiose fidem praedicans, adjunctis pulcherrimis ceremoniis, quibus rudem populum capi oportet et teneri, ne proprias fingat, quas Deus odit. Deinde in ordinanda civili

politia et mutua caritate servanda versatur, digerens disponensque omnia legibus aptissimis et aequissimis. Nihil ibi stultum aut vanum, sed omnia necessaria et utilia sunt, quod facile intelliget, qui scit, quid sit magistratum gerere in vulgo paulo liberiore et apud se ipsum sapienti, quale hoc Judaeorum fuit, ubi necessitas non raro cogit talia et statuere et facere et permittere, quae alias optima ratione riderentur et exsibilarentur.

Nec puto alia causa voluisse Deum ceremoniis istis populum formare, quam quod vidit vulgus hominum larvis illis et speciebus maxime affici et capi. Ne ergo essent inanes larvae et mera spectacula, adjecit verbum suum, tanquam pondus et substantiam larvarum, quo seriae et graves fierent, et scirent ipsi Deo placere, quae gererent, ne, si sine verbo alius statuerent ipsi, mera ludibria et nugae fierent. Quales sunt nostrae ceremoniae in regno papae, ad exemplum Mosaicarum excogitatae, quae, cum verbo Dei praecipiente careant, quo seriae et graves fierent, nihil aliud nisi levissimae et ridiculae simiae Judaeorum sunt.

Adjeci vero post et allegorias breves, fere per singula capita, non quod magnopere eas curem, sed ut praevenirem quorundam inepta studia in allegoriis tractandis, quemadmodum et in Hieronymo, Origene aliisque vetustis scriptoribus videmus, fuisse parum felicem et salutarem morem allegorias fingendi, dum omnia ad mores et opera trahunt, cum omnia potius ad verbum et fidem trahenda sint, et vere meras allegorias, id est, alieniloquia meditati sunt. Ne igitur falsa specie luderentur in allegoriis lectores, operae

pretium esse duxi, illis monstrare, ut tum recte allegorias mediteptur, si, quantum fieri potest, ubique ministerium verbi seu cursum evangelii et fidei in illis invenerint. Huc enim eunt, quaecunque tandem sunt figurae aut significationes in lege et populo Mosi.

Dominus vero, qui operatur omnia in omnibus, qui et in te coepit bonum opus suum, servet et augeat te, ut et in hac vita vere magnus pontifex in verbo Dei fias, et in futura vita, cum venerit princeps ille pastorum et pontificum, immarcessibilem coronam accipias, cui quaeso me tuis sanctis precibus commenda, et in ejus gratia bene vale. Amen. Vuittembergae 1525.

T. D. Martinus Luther.

DEUTERONOMIOS MOSE
EX EBRAEO CASTIGATUS, CUM AN NOTAT.
MARTINI LUTHERI.

Wittembergae 1524.

Incipit liber אֵלֶּה הַדְּבָרִים, qui Deuteronomius praenotatur, cum annotationibus Doct. Mar. Luth.

CAPUT I.

Haec sunt verba, quae locutus est Mose ad omnem Israel trans Jordanem in solitudine campestri, contra mare rubrum, inter Paran et Tophel, et Laban, Hazeroth et Disahab, undecim diebus de Horeb, per viam montis Seir usque Kades Barnea. Quadragesimo anno undecimo mense, prima die mensis locutus est Mose ad filios Israel omnia, quae praeceperat illi dominus, ut diceret eis, postquam percussit Sihon, regem Amorraeorum, qui habitavit in Hesbon, et Og, regem Basan, qui habitavit in Astharoth et Edrei, trans Jordanem in terra Moab.

Coepitque Mose explanare legem et dicere: Dominus Deus noster locutus est ad nos in monte Horeb

dicens: Satis in hoc monte mansistis. Revertimini et venite ad montem Amorraeorum, et ad cetera, quae ei proxima sunt, ad campestria atque montana et humiliora loca, contra meridiem, et juxta littus maris, terram Chananaeorum et Libani, usque ad flumen magnum Euphraten. En (inquit) tradidi vobis eam, ingredimini et possidete eam, super qua juravit dominus patribus vestris, Abraam, Isaac et Jacob, ut daret illam eis, et semini eorum post eos.

Dixique vobis in illo tempore: Non possum solus sustinere vos, quia dominus Deus noster multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellae coeli plurimi. Dominus, Deus patrum vestrorum, addat ad hunc numerum multa millia, et benedicat vobis, sicut locutus est. Non valeo solus negotia vestra sustinere, et pondus et jurgia. Date ex vobis viros sapientes, intelligentes et notos in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes.

Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. Tulique de tribubus vestris viros sapientes et notos, et constitui eos principes, scilicet tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, ac decanos, et praefectos, ut judicarent vos, praecepique judicibus vestris dicens: Audite illos et judicate eos juste, sive civis sit ille, sive peregrinus, non agnoscetis personas in judicio. Ita parvum audietis, ut magnum, nec revereamini cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quodsi difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam. Praecepique omnia, quae facere deberetis.

Profectique de Horeb transivimus per terribilem et maximam solitudinem totam, quam vidistis, per viam

versus montem Amorraei, sicut praeceperat dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cades Barnea, dixi vobis: Venistis ad montem Amorraei, quem dominus Deus noster daturus est nobis. Vide terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi. Adscende et posside eam, sicut locutus est tibi dominus, Deus patrum tuorum. Noli timere, nec quidquam paveas.

Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros ante nos, qui considerent terram, et renuntient, per quod iter debeamus adscendere, et ad quas pergere civitates. Cumque mihi sermo placuisset, accepi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis, qui, cum perrexissent et adscendissent in montana, venerunt usque ad torrentem Escol, et considerata terra, sumentes secum de fructibus ejus, attulerunt ad nos, et renuntiaverunt nobis, atque dixerunt: Bona est terra, quam dominus Deus noster daturus est nobis.

Et noluistis adscendere, sed increduli ad sermonem Dei vestri murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos dominus, et idcirco eduxit nos de terra Aegypti, ut traderet nos in manu Amorraei, atque deleret. Quo adscendemus? Nuntii terruerunt cor nostrum dicentes: Populus magnus est, et nobis statura procerior, urbes magnae et ad coelum usque munitae, etiam filios Enakim vidimus ibi.

Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos. Dominus Deus vester, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit vobiscum in Aegypto, cunctis videntibus, et in solitudine ipse vidisti, quomodo portavit te dominus Deus tuus (ut solet homo gestare filium suum) in omni via, per quam ambulasti,

donec veniretis ad locum istum. Et ne sic quidem credidistis domino Deo vestro, qui praecessit vos in via ad ostendendum vobis locum, in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, et die per nubem.

Cumque audisset dominus vocem sermonum vestrorum, iratus juravit et ait: Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimae terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum dare patribus vestris, praeter Caleb, filium Jephone. Ipse enim videbit eam, et ipsi dabo terram, quam calcavit, et filiis ejus, quia secutus est dominum plene. Etiam mihi iratus dominus propter vos dixit: Nec tu ingredieris illuc, sed Josua, filius Nun, minister tuus, ipse intrabit. Hunc exhortare et robora, et ipse hereditatem dabit Israeli. Parvuli vestri, de quibus dixistis, quod captivi ducerentur, et filii, qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur, et ipsis dabo terram et possidebunt eam, vos autem revertimini, et abite in solitudine, per viam versus mare rubrum.

Et respondistis mihi: Peccavimus domino, adscendemus et pugnabimus, sicut praecepit nobis dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem, ait mihi dominus: Dic ad eos: Nolite adscendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris. Locutus sum, et non audistis, sed adversantes imperio domini et elati adscendistis in montem. Itaque egressus Amorraeus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens persecutus est vos (sicut solent apes facere), et cecidit vos in Seir usque Horma. Cumque reversi ploraretis

coram domino, non audivit vos, nec voci vestra voluit acquiescere. Mansistis ergo in Cades mult tempore.

CAPUT II.

Reversi autem ivimus in solitudine per viam versus mare rubrum, sicut mihi dixerat dominus, et circuivimus montem Seir longo tempore, dixitque dominus ad me: Satis circuistis montem istum, ite contra aquilonem, et populo praecipe dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum, filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos. Videte ergo diligenter, ne moveamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. Cibos emetis ab eis pecunia, ut comedatis, aquam emtam haurietis, ut bibatis. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum. Novit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam per quadraginta annos, habitans tecum dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit.

Cumque transissemus fratres nostros, filios Esau, qui habitant in Seir, per viam campestrem de Elath et de Ezeongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab. Dixitque dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos proelium. Non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi Ar in possessionem. Emim antea

serunt habitatores ejus, populus magnus et validus t altus sicut Enakim, siquidem et ipsi reputati sunt Rephaim, sicut Enakim. Denique Moabitae appellant os Emim. In Seir autem prius habitaverunt Horim, uibus expulsis atque deletis habitaverunt filii Esau, icut fecit Israel in terra possessionis suae, quam dedit illi dominus.

Surgentes ergo, ut transiremus torrentem Sared, venimus ad eum. Tempus autem, quo ambulavimus e Kades Barnea usque ad transitum Sared, triginta t octo annorum fuit, donec consumeretur omnis congregatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat dominus. Etiam manus domini fuit adversus os, ut interirent de castrorum medio.

Postquam autem universi ceciderunt pugnatores, ocutus est dominus ad me dicens: Tu transibis hoie terminos Moab, urbem nomine Ar, et accedes in icinia filiorum Ammon. Cave, ne pugnes contra eos, ec movearis ad proelium. Non enim dabo tibi de erra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in ossessionem. Terra Rephaim et ipsa reputata est, t in ipsa olim habitaverunt Rephaim, quos Ammonitae ocant Sammesumim, populus magnus et multus, et rocerae longitudinis, sicut Enakim, quos delevit doinus a facie eorum, et fecit illos habitare pro is, sicut fecerat cum filiis Esau, qui habitant in Seir, elens Horim, et terram eorum illis tradens, quam ossident usque in praesens. Evaeos quoque, qui haitant in Hazerim usque Gasa, Cappadoces expulerunt, ui ingressi de Cappadocia delerunt eos, et habitaerunt pro illis.

Surgite et transite torrentem Arnon. Ecce tra-

didi in manu tua Sihon, regem Hesbon Amorraeum et terram ejus incipe possidere, et committe advers eum proelium. Hodie incipiam mittere terrorem atq formidinem tuam in populos, qui habitant sub om coelo, ut audita fama tua paveant, et in morem pa turientium dolore teneantur.

Misi ergo nuntios de solitudine Kedemoth ad S hon, regem Hesbon, verbis pacificis dicens: Trans bimus per terram tuam, publica gradiemur via. No declinabimus neque ad dextram neque ad sinistra alimenta pecunia vendes nobis, ut vescamur, aqua pecunia tribues, et sic bibemus. Tantum pedibu transibimus, sicut fecerunt nobis filii Esau, qui hab tant in Seir, et Moabitae, qui habitant in Ar, done transeamus Jordanem, ad terram, quam dominus Deu noster daturus est nobis. Noluitque Sihon, rex He bon, dare nobis transitum, quia induraverat domin Deus tuus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illiu ita ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vide Dixitque dominus ad me: Ecce coepi tibi trader Sihon et terram ejus, incipe possidere eam. Egre susque est Sihon obviam nobis cum omni populo su ad proelium in Jahza, et tradidit eum dominus Deu noster nobis, percussimusque eum cum filiis suis omni populo suo.

Cunctasque urbes ejus in tempore illo cepimu interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus parvulis. Non reliquimus in eis quidquam absque j mentis, quae in partem venere praedantium, et spoli urbium, quas cepimus, ab Aroer, quae est super ripa torrentis Arnon, et ab oppido, quod in torrente situ est, usque Galaad. Non fuit civitas, quae contra no

se tueretur. Omnes tradidit dominus Deus noster nobis absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessisti, et cunctis, quae adjacent torrenti Jabok, et urbibus montanis universisque locis, a quibus nos prohibuit dominus Deus noster.

CAPUT III.

Itaque conversi adscendimus per iter Basan, egressusque est Og, rex Basan, in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrei. Dixitque dominus ad me: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi eum cum omni populo ac terra sua, faciesque, sicut fecisti Sihon, regi Amorraeorum, qui habitavit in Hesbon. Tradiditque ergo dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og, regem Basan, et universum populum ejus, percussimusque eos usque ad internecionem.

Cepimusque cunctas civitates illius uno tempore. Non fuit oppidum, quod non caperemus, sexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan. Cunctaeque urbes erant munitae muris altissimis portisque ac vectibus, absque oppidis valde multis, quae non habebant muros. Et devovimus eos, sicut feceramus Sihon, regi Hesbon, devoventes omnem civitatem, viresque ac mulieres et parvulos, jumenta autem et spolia urbium diripuimus.

Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorraeorum, qui erant trans Jordanem,

a torrente Arnon usque ad montem Hermon, qu
Zidonii Sirion vocant, et Amorraei Senir, omn
civitates, quae sunt sitae in planicie, et universa
terram Galaad et Basan, usque ad Salcha et Edr
civitates regni Og in Basan. Solus quippe Og, r
Basan, restiterat de stirpe Rephaim. Monstrat
lectus ejus ferreus, qui est in Rabath filiorum Ammo
novem cubitos habens longitudinis et quatuor latit
dinis, ad mensuram cubiti virilis manus.

Terramque possedimus tempore illo ab Aroe
quae est super ripam torrentis Arnon, usque ad m
diam partem montis Galaad, et civitates illius de
Rubenitis et Gaditis, reliquam autem partem Gala
et omnem Basan regni Og tradidi mediae tribui M
nasse, omnem regionem Argob in tota Basan, qu
vocatur terra Rephaim. Jair, filius Manasse, possed
omnem regionem Argob usque ad terminos Gessu
et Machati, vocavitque ex nomine suo Basan Havot
Jair usque in praesentem diem. Machir quoque de
Galaad, et Rubenitis et Gaditis dedi de terra Gala
usque ad torrentem Arnon, et medium torrentis, e
terminos usque ad torrentem Jabok, qui est terminu
filiorum Ammon, et planitiem atque Jordanem, q
est terminus a Cinereth, usque ad mare in planitie
quod est mare salis, sub scatebris Pisga contr
orientem.

Praecepique vobis in tempore illo dicens: Domi
nus Deus vester dat vobis terram hanc in hereditatem
expediti praecedite fratres vestros, filios Israel, omne
viri robusti, absque uxoribus et parvulis atque jumenti
(novi enim, quod plura habeatis pecora), quae in ur
bibus remanere debebunt, quas tradidi vobis, done

requiem tribuat dominus Deus vester fratribus vestris, sicut vobis tribuit, et possideant etiam ipsi terram, quam daturus est eis trans Jordanem, tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis.

Josua quoque in tempore illo praecepi dicens: Oculi tui viderunt, quae fecit dominus Deus vester duobus his regibus. Sic faciet omnibus regnis, ad quae transiturus es. Ne timeas eos, dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis.

Precatusque sum dominum in tempore illo dicens: Domine Adonai, tu coepisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam manumque fortissimam. Neque enim est alius Deus vel in coelo vel in terra, qui possit facere opera tua, et comparari fortitudini tuae. Transibo quaeso, et videbo terram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum optimum et Libanum. Iratus autem est dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi, nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. Adscende cacumen Pisga, et oculos tuos circumfer ad occidentem, et ad aquilonem austrumque et orientem, et adspice, nec enim transibis Jordanem istum. Praecipe Josua, et exhortare eum atque conforta, quia ipse praecedet populum istum, et dividet eis terram, quam visurus es. Mansimusque in valle contra domum Peor.

CAPUT IV.

Et nunc Israel, audi statuta et jura, quae ego doceo vos, ut facientes ea vivatis, et ingredientes

possideatis terram, quam dominus, Deus patrum vestrorum, daturus est vobis. Non addetis ad verbum, quod vobis praecipio, nec auferetis ex eo, ut servetis praecepta domini Dei vestri, quae ego praecipio vobis. Oculi vestri viderunt, quae fecit dominus contra Baal peor, quomodo deleverit omnes, qui secuti sunt eundem de medio vestri. Vos autem, qui adhaeretis domino Deo vestro, vivitis universi usque in praesentem diem.

Vide, ego docui vos statuta et jura, sicut praecepit mihi dominus Deus meus, ut faciatis sic in terra, quam possessuri estis. Et servabitis et facietis. Haec est enim vestra sapientia et intelligentia coram populis, ut audientes universa statuta haec dicant: Certe iste populus sapiens et intelligens, gens magna est. Quae gens est tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut dominus Deus noster adest, quoties eum invocamus? Quae gens est tam grandis, ut habeat statuta et jura justa secundum omnem legem, quam ego propono hodie ante oculos vestros?

Serva igitur temet ipsum et animam tuam sollicite, ne obliviscaris ea, quae viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitae tuae, et notam facies filiis ac nepotibus tuis diem, in qua stetisti coram domino Deo tuo in Horeb, quando dominus locutus est mihi dicens: Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos; quae discant, ut timeant me omni tempore, quo vivunt in terra, doceantque filios suos.

Et accessistis et stetistis ad radices montis, qui ardebat usque ad medium coelum, erantque in eo

tenebrae et nubes et caligo, locutusque est dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis et similitudinem nullam vidistis praeter vocem, et ostendit vobis pactum suum, quod praecepit, ut faceretis, nempe decem verba, quae scripsit in duabus tabulis lapideis, mihique praecepit in illo tempore, ut docerem vos statuta et jura, quae facere deberetis in terra, quam possessuri estis.

Servate ergo sollicite pro animabus vestris; quod non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem masculi vel foeminae, vel ullius jumenti super terram, vel avium sub coelo volantium, vel reptilium, quae moventur in terra, sive piscium, qui sub terra morantur in aquis, et ne forte oculis elevatis in coelum videns solem et lunam et ullum exercitum coeli, et deceptus adores ea et colas, quae distribuit dominus Deus tuus in ministerium cunctis populis, quae sub coelo sunt.

Vos autem tulit dominus, et eduxit de fornace ferrea Aegypti, ut haberet populum hereditarium, sicut est in praesenti die, iratusque est dominus contra me propter verba vestra, et juravit, ut non transirem Jordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est tibi, sed moriar in hac terra, nec transibo Jordanem, vos transibitis et possidebitis terram bonam.

Cave, ne quando obliviscaris pacti domini Dei tui, quod pepigit tecum, et facias tibi sculptam similitudinem eorum, quae fieri dominus prohibuit, quia dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus aemulator.

Si genueritis filios ac nepotes, et morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis, testes invoco hodie coelum et terram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possessuri estis. Non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos dominus atque disperget inter gentes, et remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est dominus. Ibique servietis Diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno et lapidi, qui non vident, nec audiunt, non comedunt, nec odorantur.

Cumque quaesieris ibi dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris et tota anima tua, cum tribulatus fueris, et te invenerint omnia, quae praedicta sunt. Novissimo autem tempore reverteris ad dominum Deum tuum, et audies vocem ejus, quia Deus misericors dominus Deus tuus est. Non dimittet te, nec disperdet, neque obliviscetur pacti, quod juravit patribus tuis.

Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die, quo creavit Deus hominem super terram, a summo coeli usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujuscemodi res magna, aut unquam auditum est, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, et si tentavit Deus, ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum per tentationes, signa atque portenta, per pugnam, et robustam manum extentumque brachium, et horribiles visiones, juxta omnia, quae fecit pro vobis dominus Deus vester in Aegypto videntibus oculis tuis;

ut scires, quoniam dominus ipse est Deus, et non est alius praeter ipsum solum.

De coelo te fecit audire vocem suam, ut erudiret te, et super terram ostendit tibi ignem suum maximum, et audisti verba illius de medio ignis, quia dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos. Eduxitque te praecedens in virtute sua magna ex Aegypto, ut deleret nationes maximas et fortiores te in introitu tuo, et introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in praesenti die.

Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod dominus ipse est Deus in coelo sursum et in terra deorsum, et non sit alius. Serva statuta ejus atque praecepta, quae ego praecipio tibi hodie, ut bene sit tibi et filiis tuis post te, et permaneas multo tempore super terram, quam dominus Deus tuus daturus est tibi.

Tunc separavit Mose tres civitates trans Jordanem ad orientalem plagam, ut confugiat ad eas, qui occiderit nolens proximum suum, nec fuerit sibi inimicus ante unum et alterum diem, et ad harum aliquam urbium possit evadere, Bezer in solitudine, quae sita est in terra campestri de tribu Ruben, et Ramoth in Galaad, quae est in tribu Gad, et Golan in Basan, quae est in tribu Manasse.

Ista est lex, quam proposuit Mose coram filiis Israel, et haec testimonia et statuta et jura, quae locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Aegypto, trans Jordanem in valle contra domum Peor in terra Sihon, regis Amorraeorum, qui habitavit in Hesbon, quem percussit Mose, filii quoque Israel egressi ex Aegypto, et possederunt terram ejus, et

terram Og, regis Basan, duorum regum Amorraeorum, qui erant trans Jordanem ad solis ortum, ab Aroer, quae sita est super ripam terrentis Arnon, usque ad montem Sion, qui est Hermon, et omnem planitiem trans Jordanem ad orientalem plagam usque ad mare in planitie, et usque ad scatebras Pisga.

CAPUT V.

Vocavitque Mose totum Israel et dixit ad eum: Audi Israel statuta et jura, quae ego loquor in auribus vestris hodie. Discite ea, et servate, ut faciatis. Dominus Deus noster pepigit nobiscum foedus in Horeb. Non cum patribus nostris iniit pactum istud, sed nobiscum, qui hic sumus et omnes vivimus. Facie ad faciem locutus est vobiscum in monte de medio ignis. Ego steti inter dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verbum domini. Timuistis enim ignem, et non adscendistis in montem, et ait:

Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Non habebis Deos alios in conspectu meo. Non facies tibi sculptile, nec ullam similitudinem omnium, quae in coelo sunt desuper, et quae in terra deorsum, et quae versantur in aquis sub terra. Non adorabis ea et non coles. Ego enim sum dominus Deus tuus, Deus aemulator, visitans iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem, his, qui oderunt me, et fa-

ciens misericordiam in multa millia diligentibus me, et servantibus praecepta mea.

Non usurpabis nomen domini Dei tui super re vana, quia non erit impunitus, qui super rè vana nomen ejus usurpaverit.

Observa diem sabbath, ut sanctifices eum, sicut praecepit tibi dominus Deus tuus. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimus dies sabbath domini Dei tui est. Non facies in eo quidquam operis, tu et filius tuus et filia, servus et ancilla, bos et asinus, et omne jumentum tuum, et peregrinus, qui est intra portas tuas, ut requiescant servus et ancilla tua, sicut et tu. Memento, quod et ipse servieris in Aegypto, et eduxerit te inde dominus Deus tuus manu forti et brachio extento. Idcirco praecepi tibi, ut observares diem sabbath.

Honora patrem tuum et matrem tuam, sicut praecepit tibi dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi super terram, quam dominus Deus tuus daturus est tibi.

Non occides.

Non moechaberis.

Furtum non facies.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec ulla, quae illius sunt.

Haec verba locutus est dominus ad totam ecclesiam vestram in monte, de medio ignis et nubis et caliginis voce magna, nihil addens amplius, et scripsit ea in duabis tabulis lapideis, et tradidit mihi.

Vos autem, postquam audistis vocem de medio tenebrarum, et montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum et majores natu, atque dixistis: Ecce ostendit nobis dominus Deus noster gloriam et magnitudinem suam, vocem enim ejus audivimus de medio ignis, et vidimus hodie, quod loquente Deo cum homine vixerit homo. Cur ergo moriemur et devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem domini Dei nostri, moriemur. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis de medio ignis loquentis, sicut nos audivimus, et possit vivere? Tu magis accede et audi cuncta, quae dixerit dominus Deus noster, loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea.

Quod cum audisset dominus, ait ad me: Audivi vocem verborum populi hujus, quae locuti sunt tibi. Bene omnia sunt locuti. Utinam cor eorum tale sit, ut timeant me, et custodiant universa praecepta mea omni tempore, ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum. Vade et dic eis: Revertimini in tentoria vestra, tu vero hic sta mecum, et loquar tibi omnia praecepta mea et statuta et jura, quae docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem.

Servate igitur et facite, quae praecepit dominus Deus vester vobis. Non declinabitis neque ad dextram neque ad sinistram, sed per viam, quam praecepit dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis et bene sit vobis, et prolongentur dies vestri in terra possessionis vestrae.

CAPUT VI.

Haec sunt praecepta et statuta et jura, quae praecepit dominus Deus vester, ut docerem vos, ut faciatis in terra, ad quam transgredimini possidendam; ut timeas dominum Deum tuum, et serves omnia statuta et praecepta ejus, quae ego praecipio tibi, tu et filii ac nepotes tui, cunctis diebus vitae tuae, ut prolongentur dies tui. Audi Israel, et serva, ut facias, et bene sit tibi, et multipliceris valde, sicut pollicitus est dominus, Deus patrum tuorum, tibi terram lacte et melle manantem.

Audi Israel, dominus Deus noster dominus unus est. Diliges dominum Deum tuum toto corde tuo, tota anima tua et tota fortitudine tua. Eruntque verba haec, quae praecipio tibi hodie, in corde tuo, et acues ea filiis tuis, et loqueris de eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque memoriale inter oculos tuos, scribesque ea in postibus et portis domus tuae.

Cumque introduxerit te dominus Deus tuus in terram, pro qua juravit patribus tuis Abraam, Isaac et Jacob, et dederit tibi civitates magnas et optimas, quas non aedificasti, domos plenas cunctarum opum, quas non exstruxisti, cisternas, quas non excidisti, vineta et oliveta, quae non plantasti, et comederis et saturatus fueris, cave diligenter, ne obliviscaris domini, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. Non sequemini Deos alienos ullarum gentium, quae in circuitu vestro

sunt, quoniam Deus aemulator dominus Deus tuus in medio tui, ne quando irascatur furor domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terrae.

Non tentabitis dominum Deum vestrum, sicut tentastis in Massa. Servate praecepta domini Dei vestri, ac testimonia et statuta, quae praecepit tibi, et fac, quod placitum est et bonum in conspectu domini, ut bene sit tibi, et ingressus possideas terram optimam, de qua juravit dominus patribus tuis, ut pellat omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est.

Cum interrogaverit te filius tuus cras dicens: Quid sibi volunt testimonia haec, et statuta atque jura, quae praecepit dominus Deus noster vobis? dices ei: Servi eramus Pharaonis in Aegypto, et eduxit nos dominus de Aegypto manu forti, fecitque signa atque prodigia magna et pessima in Aegypto contra Pharaonem et omnem domum illius in conspectu nostro, et eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super qua juravit patribus nostris. Praecepitque nobis dominus, ut faciamus omnia statuta haec, et timeamus dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitae nostrae, sicut est hodie, habebimusque justitiam, si servaverimus et fecerimus omnia praecepta haec, coram domino Deo nostro, sicut praecepit nobis.

CAPUT VII.

Cum vero introduxerit te dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, et deleverit

gentes multas coram te, Hethaeum et Girgosaeum et Amorraeum et Chananaeum et Pheresaeum et Hevaeum et Jebusaeum, septem gentes plures et robustiores te, tradideritque eas dominus Deus tuus tibi; percuties eas et devovebis. Non inibis cum eis foedus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, ut serviat Diis aliis, irasceturque furor domini contra te, et delebit te cito.

Quin potius haec facietis eis, aras eorum subvertite, et confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite, quia populus sanctus es domino Deo tuo. Te elegit dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris prae cunctis populis, qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, amavit vos dominus aut elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos dominus, et servavit juramentum, quod juravit patribus vestris. Ideo eduxit vos manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis, regis Aegypti.

Scies itaque, quia dominus Deus tuus ipse est Deus, fortis et fidelis, servans pactum et misericordiam diligentibus se, et his, qui servant praecepta ejus, in mille generationes, et reddens odientibus se, ita ut disperdat eos, et non differat, protinus eis restituens, quod merentur. Serva ergo praecepta et statuta et jura, quae ego praecipio tibi hodie, ut facias.

Postquam audieris haec jura et servaveris ea et feceris, servabit et dominus Deus tuus tibi pactum et misericordiam, quam juravit patribus tuis, et dili-

get te, et benedicet te et multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terrae tuae, frumento tuo atque vindemiae, oleo, et armentis ac gregibus ovium tuarum super terram, pro qua juravit patribus tuis, ut daret eam tibi. Benedictus eris prae omnibus populis. Non erit apud te sterilis utriusque sexus tam in hominibus quam in gregibus tuis. Auferet dominus a te omnem languorem, et infirmitates Aegypti pessimas, quas novisti, non infert tibi, sed cunctis hostibus tuis.

Devorabis omnes populos, quos dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies Diis eorum, ne sint in laqueum tibi. Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istae, quam ego, quomodo potero delere eas? noli metuere eos, sed recordare, quae fecerit dominus Deus tuus Pharaoni et cunctis Aegyptiis, plagas maximas, quas viderunt oculi tui, et signa atque portenta, manumque robustam et extentum brachium, ut educeret te dominus Deus tuus. Sic faciet cunctis populis, quos metuis.

Insuper et crabrones mittet dominus Deus tuus in eos, donec perdat eos, qui reliqui fuerint et absconderint se coram te. Non timeas eos, quia dominus Deus tuus in medio tui est. Deus magnus et terribilis ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes.

Non poteris eas delere velociter, ne forte multiplicentur contra te bestiae agri, dabitque eos dominus Deus tuus in conspectu tuo, et interficiet illos caede magna, donec penitus deleantur, tradetque reges

eorum in manus tuas, et disperdes nomina eorum sub coelo. Nullus poterit resistere tibi, donec deleas eos.

Sculptilia Deorum eorum igne combures. Non concupisces argentum et aurum, quod in eis est, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est domini Dei tui, nec inferes abominationem in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est, sed detestaberis et abominaberis illud, quia anathema est.

CAPUT VIII.

Omne praeceptum, quod ego praecipio tibi hodie, servabitis, ut faciatis, ut vivatis et multiplicemini, ingressique possideatis terram, pro qua juravit dominus patribus vestris, et recordaberis cuncti itineris, per quod duxit te dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent, quae in tuo animo versabantur, utrum servares praecepta illius, an non. Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum manna, quem ignorabas tu et patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore domini. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, et pes tuus non intumuit his quadraginta annis.

Ut recogites in corde tuo, quia, sicut erudit filium suum homo, sic dominus Deus tuus erudivit te, ut serves praecepta domini Dei tui, et ambules in viis ejus, et timeas eum. Dominus enim Deus tuus intro-

ducet te in terram bonam, terram, in qua fluunt torrentes aquarum de fontibus, et abyssi inter prata montes, in qua crescit triticum, hordeum, vites, ficu mala punica, oliva et mel, ubi absque ulla penuri comedes panem tuum, et rerum omnium abundant perfrueris, cujus lapides ferrum sunt, et de montibu ejus aeris metalla fodiuntur, ut, cum comederis satiatus fueris, benedicas domino Deo tuo pro terr optima, quam dedit tibi.

Serva, ne quando obliviscaris domini Dei tui negligas praecepta ejus atque jura et statuta, qu ego praecipio tibi hodie, ne, postquam comederis satiatus fueris, domus pulchras aedificaveris et hab taveris in eis, habuerisque armenta et ovium grege argenti et auri cunctarumque rerum copiam, elevet cor tuum et obliviscaris domini Dei tui, qui eduxit de terra Aegypti, de domo servitutis, et ductor tu fuit in solitudine magna atque terribili, in qua er serpens flatu adurens, et scorpio, ac siccitas, et nu lae omnino aquae, qui eduxit tibi rivos de petra du rissima, et cibavit te manna in solitudine, quod nescie runt patres tui, ut affligeret et tentaret te, et poste benefaceret, ne diceres in corde tuo: Fortitudo me et robur manus meae praestitit mihi hanc facultate sed recorderis domini Dei tui, quod ipse vires ti praebuerit ad praestandam facultatem, ut impler pactum suum, super quo juravit patribus tuis, sicu praesens indicat dies.

Si autem oblitus domini Dei tui secutus fueri Deos alienos, coluerisque illos, et adoraveris, ecc nunc testificor vobis, quod omnino dispereatis. Sicu gentes, quas delebit dominus in introitu vestro

ita et vos peribitis, eo quod inobedientes fueritis voci domini Dei vestri.

CAPUT IX.

Audi Israel, tu transgredieris hodie Jordanem, ut possideas nationes maximas et fortiores te, civitates ingentes et ad coelum usque muratas, populum magnum atque sublimem, filios Enakim, quos ipse vidisti et audisti, quod nullus potest eis resistere. Scies ergo hodie, quod dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans, et delebit eos, et subjiciet ante te, et pellet atque disperdet eos velociter, sicut locutus est tibi.

Ne dicas in corde tuo, cum expulerit eos dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter justitiam meam introduxit me dominus, ut terram hanc possiderem, cum propter impietates dominus istas gentes expulerit ante te. Neque enim propter justitias tuas et aequitatem cordis tui ingredieris, ut possideas terras earum, sed quia illae egerunt impie, expulit eas dominus Deus tuus ante te, et ut compleret verbum suum dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob.

Scito ergo, quod non propter justitias tuas dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimae cervicis sis populus. Nam recordare, ne obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris dominum Deum tuum in solitudine, et ex eo die, quo egressus es ex Aegypto, usque

ad locum istum, semper inobedientes domino fuistis. Nam et in Horeb provocastis eum, et iratus delere vos voluit, quando adscendi in montem, ut acciperem duas tabulas lapideas pacti, quod pepigit vobiscum Deus, et perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens et aquam non bibens, deditque mihi dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei et continentes omnia verba, quae vobis locutus est dominus in monte de medio ignis, in die congregationis.

Cumque transissent quadraginta dies et totidem noctes, dedit mihi dominus duas tabulas lapideas foederis, dixitque mihi: Surge et descende hinc cito, quia populus tuus, quem eduxisti de Aegypto, perdidit sese, et deseruerunt velociter viam, quam praecepisti eis, feceruntque sibi conflatile. Rursumque ait dominus ad me: Cerno, quod populus iste durae cervicis sit, dimitte me, ut conteram eum, et deleam nomen ejus sub coelo, et faciam te in gentem, quae hac major et fortior sit.

Cumque de monte ardente descenderem, et duas tabulas foederis utraque tenerem manu, vidissemque peccasse vos domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam, quam vobis praeceperat dominus, apprehendi duas illas tabulas, et projeci eas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro. Et procidi ante dominum, sicut prius, quadraginta diebus et noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quae gessistis faciendo malum coram domino, et eum ad iracundiam provocando. Timui enim indignationem et iram, qua adversum vos con-

citatus dominus delere vos voluit, et exaudivit me dominus etiam hac vice.

Adversum Aaron quoque vehementer iratus voluit eum delere, et pro illo similiter deprecatus sum in tempore illo. Peccatum autem vestrum, quod feceratis, id est, vitulum arripiens igne combussi, et in frusta comminuens omninoque in pulverem redigens projeci in torrentem, qui de monte descendit.

Etiam in Thabeera et Massa et sepulchris concupiscentiae provocastis dominum, et quando misit vos de Cadea Barnea, dicens: Adscendite et possidete terram, quam dedi vobis, et inobedientes fuistis oris domini Dei vestri, et non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis. Semper fuistis inobedientes domino, a die, qua nosse vos coepi.

Et jacui coram domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, ut fuerat comminatus, et orans dixi: Domine Adonai, ne disperdas populum tuum, et hereditatem tuam, quam redemisti magnitudine tua, quos eduxisti de Aegypto manu forti. Recordare servorum tuorum, Abrahām, Isaac et Jacob. Ne adspicias duritiem populi hujus, et impietatem atque peccatum, ne forte dicant habitatores terrae, de qua eduxisti nos: Non poterat dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, et oderat illos, idcirco eduxit, ut interficeret illos in solitudine. Sunt enim populus tuus et hereditas tua, quos eduxisti fortitudine tua magna et brachio tuo extento.

CAPUT X.

In tempore illo dixit dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et adscende ad me in montem, faciesque arcam ligneam, et scribam in tabulis verba, quae fuerunt in prioribus, quas confregisti, ponesque eas in arca. Feci igitur arcam de lignis sethim. Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, adscendi in montem habens eas in manibus,

Scripsitque in tabulis juxta id, quod prius scripserat, verba decem, quae locutus est dominus ad vos in monte de medio ignis, in die congregationis, et dedit eas mihi. Reversusque de monte descendi, et posui tabulas in arcam, quam feceram, quae ibi sunt, sicut mihi praecepit dominus.

Filii autem Israel castra moverunt ex Beroth Bne Jakan in Mosera, ubi Aaron mortuus et sepultus est, pro quo sacerdotio functus est filius ejus Eleazar. Inde venerunt in Gudgod, de quo loco profecti castra metati sunt in Jathatha, in terram, ubi sunt torrentes aquarum. Eo tempore separavit dominus tribum Levi, ut portaret arcam foederis domini, et staret coram eo in ministerio suo, ac benediceret in nomine illius usque in praesentem diem. Quamobrem non habuit Levi partem neque possessionem cum fratribus suis, quia ipse dominus possessio ejus est, sicut promisit ei dominus Deus tuus.

Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus, exaudivitque me dominus etiam hac vice, et te perdere noluit, dixitque mihi: Surge et praecede populum, ut ingrediatur et possi-

deat terram, quam juravi patribus eorum, ut traderem eis.

Et nunc Israel, quid dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas dominum Deum tuum, et ambules in omnibus viis ejus, et diligas eum, ac servias domino Deo tuo toto corde tuo et tota anima tua, ut serves praecepta domini et statuta ejus, quae ego hodie praecipio tibi, ut bene sit tibi. En domini Dei tui coelum est, et coelum coelorum, terra et omnia, quae in ea sunt, et tamen patribus tuis affectus est dominus, ut amaret eos, elegitque semen eorum post eos, id est, vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur.

Circumcidite igitur praeputium cordis vestri, et cervicem vestram non induretis amplius, quia dominus Deus vester ipse est Deus Deorum et dominus dominantium, Deus magnus et potens et terribilis, qui personam non accipit, nec munera, et facit judicium pupillo et viduae, amat peregrinum, ut det ei victum atque vestitum. Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis peregrini in terra Aegypti.

Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies. Ipsi adhaerebis, jurabisque per nomen illius. Ipse est laus tua et Deus tuus, qui fecit tecum haec magnalia et terribilia, quae viderunt oculi tui. Cum septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum, et ecce nunc multiplicavit te dominus Deus tuus, sicut stellas coeli.

CAPUT XI.

Ama itaque dominum Deum tuum, et observa custodias ejus, et statuta ejus et jura atque praecepta omni tempore. Cognoscite hodie, quae ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam domini Dei vestri, magnalia ejus et robustam manum extentumque brachium, signa et opera, quae fecit in Aegypto Pharaoni, regi Aegypti, et universae terrae ejus, omnique exercitui Aegyptiorum, et equis ac curribus ejus, quomodo operuerint eos aquae maris rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos dominus usque in praesentem diem, vobisque quae fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum, et quae fecit Dathan atque Abiram, filiis Eliab, qui fuit filius Ruben, quos aperto ore suo terra absorbuit cum domibus et tabernaculis, et universa substantia eorum, quam habebant in medio Israel.

Oculi vestri viderunt omnia opera domini magna, quae fecit, ut servetis universa praecepta illius, quae ego hodie praecipio vobis, ut confortati ingrediamini et possideatis terram, ad quam transitis, multoque in ea vivatis tempore, quam sub juramento pollicitus est dominus patribus vestris, ut daret eis et semini eorum, terram lacte et melle manantem.

Terra autem, quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua existis, ubi jacto semine in hortorum morem aquae ducuntur irriguae, sed montosa est et campestris, de coelo exspectans pluvias, quam dominus Deus tuus curat, et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus.

Si ergo obedieritis praeceptis meis, quae ego

hodie praecipio vobis, ut diligatis dominum Deum vestrum, et serviatis ei toto corde vestro et tota anima vestra, dabo pluviam terrae vestrae temporaneam et serotinam, ut colligatis frumentum et vinum et oleum, et dabo foenum in agris ad pascenda jumenta, ut ipsi comedatis ac saturemini.

Cavete, ne forte persuadeatur cor vestrum, ut recedatis a domino serviatisque Diis alienis, et adoretis eos, iratusque dominus contra vos claudat coelum, et pluviae non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terra optima, quam dominus daturus est vobis.

Ponite haec verba mea in cordibus et in animabus vestris, et colligate ea pro signo in manibus, et sint memoriale inter oculos vestros. Docete ea filios vestros, ut de illis loquantur, quando sederis in domo tua, et ambulaveris in via, quando jacueris atque surrexeris, et scribes ea super postes domus tuae et in portis, ut multiplicentur dies vestri et filiorum vestrorum in terra, quam juravit dominus patribus vestris, ut daret eis, quamdiu imminet coelum terrae.

Si enim custodieritis omnia praecepta, quae ego praecipio vobis, et feceritis ea, ut diligatis dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, adhaerentes ei, expellet dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, et possidebitis eas, quae majores et fortiores vobis sunt. Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, et Libano, et flumine Phrath usque ad mare ultimum erunt termini vestri. Nullus stabit contra vos. Terrorem vestrum et formidinem dabit dominus Deus vester su-

per omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis.

En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem, benedictionem, si obedieritis praeceptis domini Dei vestri, quae ego hodie praecipio vobis, maledictionem, si non obedieritis praeceptis domini Dei vestri, et recesseritis de via, quam ego hodie praecipio vobis, ut ambuletis post Deos alienos, quos ignoratis.

Cum introduxerit te dominus Deus tuus in terram, ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Grisim, maledictionem super montem Ebal, qui sunt trans Jordanem, post viam, quae pergit ad solis occubitum in terra Chananaei, qui habitat in campestribus contra Gilgal juxta nemus More. Vos autem transibitis Jordanem, ut possideatis terram, quam dominus Deus vester daturus est vobis, ut possideatis illam et habitetis in ea. Videte ergo, ut faciatis statuta et jura, quae ego hodie pono in conspectu vestro.

CAPUT XII.

Haec sunt statuta et jura, quae facere debetis in terra, quam dominus, Deus patrum tuorum, daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus, quibus vivis super terram. Disperdite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos et colles et sub omni arbore virente. Destruite altaria eorum, et confringite statuas, lucos

igne comburite, et Deos eorum comminuite, disperdite nomina eorum de locis illis.

Non facietis ita domino Deo vestro, sed locum, quem elegerit dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, et habitet in eo, quaeretis et venietis illuc, et afferetis ad locum illum holocausta et sacrificia vestra, decimas et oblationes manuum vestrarum, et vota atque spontanea, primogenita boum et ovium, et comedetis ibi in conspectu domini Dei vestri, ac laetabimini in cunctis, ad quae miseritis manum, vos et domus vestrae, in quibus benedixit te dominus Deus tuus.

Non facietis, sicut nos hic facimus hodie, singuli quod sibi placet, neque enim usque in praesens tempus venistis ad requiem et hereditatem, quam dominus Deus tuus daturus est tibi. Cum autem transieritis Jordanem, et habitaveritis in terra, quam dominus Deus vester daturus est vobis, et requieveritis a cunctis hostibus per circuitum, et secure habitaveritis in loco, quem elegerit dominus Deus vester, ut habitet nomen ejus in eo, illuc omnia, quae praecipio, conferetis, holocausta et sacrificia, ac decimas et oblationes manuum vestrarum, et quidquid electum est in votis vestris, quae vovistis domino. Ibi laetabimini coram domino Deo vestro, vos et filii vestri et filiae vestrae, famuli et famulae, atque Levitae, qui in vestris portis commorantur. Neque enim habet aliam partem et possessionem vobiscum.

Cave, ne offeras holocausta tua omni in loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit dominus in una tribuum tuarum. Offeres holocausta tua ibi, et facies, quaecunque praecipio tibi. Verumtamen potes

sacrificare et comedere carnes pro omni desiderio animae tuae, juxta benedictionem domini Dei tui, quam dedit tibi, in omnibus portis tuis. Tam immundus quam mundus comedere ea potest, sicut capream et cervum, absque esu duntaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes.

Non poteris comedere in portis tuis decimam frumenti et vini et olei tui, primogenita armentorum, et omnia, quae voveris, et spontanea et oblationes manuum tuarum, sed coram domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit dominus Deus tuus, tu et filius tuus, et filia tua, et servus et famula, atque Levites, qui est in portis tuis, et laetaberis coram domino Deo tuo in cunctis, ad quae extenderis manum tuam. Cave, ne derelinquas Leviten in omni tempore, quo versaris in terra.

Quando autem dilataverit dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, et volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua, locus autem, quem elegerit dominus Deus tuus, ut sit nomen ejus ibi, procul fuerit, sacrificabis de armentis et pecoribus, quae dedit tibi dominus, sicut praecepi tibi, et comedes in oppidis tuis, ut tibi placet. Sicut comeditur caprea et cervus, ita vesceris eis, et mundus et immundus simul vescentur. Hoc solum cave, ne sanguinem comedas. Sanguis enim eorum pro anima est, et idcirco non debes animam comedere cum carnibus, sed super terram fundes quasi aquam, ut bene sit tibi et filiis tuis post te, cum feceris, quod placet in conspectu domini.

Quae autem sanctificaveris et voveris, tolles et venies ad locum, quem elegerit dominus, et offeres

holocausta tua cum carne et sanguine super altare domini Dei tui, ut sanguis holocaustorum tuorum fundatur ad altare domini Dei tui, carnibus autem ipse vesceris. Observa et audi omnia ista, quae ego praecipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris, quod bonum est et placitum in conspectu domini Dei tui.

Quando eradicaverit dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas, atque habitaveris in terra earum, cave, ne illaqueeris earum exemplo, postquam deletae fuerint coram te, et requiras Deos earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istae Deos suos, ita et ego faciam. Non facies similiter domino Deo tuo, omnes enim abominationes, quas odit dominus, fecerunt Diis suis, nam et filios suos et filias igne combusserunt Diis suis.

Quod praecipio vobis, hoc servate, ut facias, nec addas quidquam nec minuas.

CAPUT XIII.

Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium se vidisse dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit, quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus et sequamur Deos alienos, quos ignoratis, et serviamus eis, non audies verba prophetae illius aut somniatoris, quia tentat vos dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non,

toto corde et tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini et ipsum timete, et mandata illius servate, et audite vocem ejus, ipsi servietis, et ipsi adhaerebitis. Propheta autem ille aut somniator interficietur, quia locutus est, ut vos averteret a domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Aegypti, et redemit vos de domo servitutis, ut errare te faceret de via, quam tibi praecepit dominus Deus tuus, et auferes malum de medio tui.

Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuae, aut filius tuus, vel filia tua, sive uxor, quae est in sinu tuo, aut amicus tuus, quem diligis ut animam tuam, dicens: Eamus et serviamus Diis alienis (quos ignoras tu et patres tui) illarum in circuitu gentium, quae juxta vel procul sunt, ab uno fine terrae usque ad finem alium, non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, ut miserearis et occultes eum; sed interficies. Sit primum manus tua super eum, ut interficiatur, et post te omnis populus mittat manum, lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere a domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo servitutis, ut et omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei simile.

Si audieris in una urbium tuarum, quas dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filii Belial de medio tui, et averterunt habitatores urbis tuae, atque dixerunt: Eamus et serviamus Diis alienis, quos ignoratis, quaere sollicite, et diligenter rei veritate perspecta, si inveneritis certum esse, quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores urbis

illius in ore gladii, et devovebis eam omniaque, quae in illa sunt, usque ad pecora. Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, et cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas domino Deo tuo, et sit tumulus sempiternus, ut non aedificetur amplius, et non adhaerebit de illo anathemate quidquam in manu tua, ut avertatur dominus ab ira furoris sui, et misereatur tui, multiplicatque te, sicut juravit patribus tuis, quod audieris vocem domini Dei tui, servans omnia praecepta ejus, quae ego praecipio tibi hodie, ut facias, quod placitum est in conspectu domini Dei tui.

CAPUT XIV.

Filii estote domini Dei vestri, non vos incidetis, nec facietis calvitium inter oculos vestros super mortuo, quoniam populus sanctus es domino Deo tuo, et te elegit, ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quae sunt super terram.

Ne comedetis ullam abominationem. Hoc est animal, quod comedere debetis, bovem, ovem, capram, cervum, capream, ibicem, capricornum, unicornem, urum et alcen. Omne animal, quod in duas partes findit ungulas et ruminat, comedetis. De his autem, quae ruminant et ungulam non findunt, haec comedere non debetis, camelum, leporem, cuniculum, quia ruminant et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis. Sus quoque, quoniam dividit ungulam et non ruminat,

immunda erit vobis. Carnibus eorum non vescemini, et cadavera non tangetis.

Haec comedetis ex omnibus, quae morantur in aquis. Quae habent pinnulas et squamas, comedite. Quae absque pinnulis et squamis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt vobis.

Omnes aves mundas comedite. Hae autem sunt, quas non comedetis, accipiter, haliaeetus, mergulus, milvus, vultur juxta genus suum, et omne corvini generis, struthio, noctua, cuculus, nisus juxta genus suum, asio, bubo, vespertilio, onocrotalus, pica, ciconia, ardea, graculus juxta genus suum. Upupa quoque et hirundo, et omne, quod reptat et pennulas habet, immundum erit et non comedetur. Omne, quod mundum est, comedite.

Quidquid autem morticinum est, ne vescamini. Ex eo peregrino, qui intra portas tuas est, da, ut comedat, aut vende alieno, quia tu populus sanctus domino Deo tuo es. Non coques hoedum in lacte matris suae.

Decimam partem separabis de cunctis fructibus sementis tuae, qui nascuntur in terra, per annos singulos, et comedes in conspectu domini Dei tui in loco, quem elegerit, ut in eo nomen illius habitet, scilicet decimam frumenti tui et vini et olei, et primogenita de armentis et ovibus tuis, ut discas timere dominum Deum tuum omni tempore.

Cum autem longior fuerit via, ut non possis ea portare, eo quod longe sit locus, quem elegit dominus Deus tuus, ut ponat nomen suum ibi, atque tibi benedixerit dominus Deus tuus, vendes omnia et in pretium rediges, colligabis in manu tua, et profici-

sceris ad locum, quem elegerit dominus Deus tuus, et emes ex eadem pecunia, quidquid tibi placuerit, sive ex armentis sive ex ovibus, vinum quoque et siceram et omne, quod desiderat anima tua, et comedes coram domino Deo tuo, et laetaberis tu et domus tua, et Levita, qui intra portas tuas est. Cave, ne derelinquas eum, quia non habet partem nec hereditatem tecum.

Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quae nascuntur tibi eodem anno, et repones intra portas tuas, venietque Levites, qui non habet partem nec hereditatem tecum, et peregrinus ac pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent et saturabuntur, ut benedicat tibi dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quae feceris.

CAPUT XV.

Septimo anno facies remissionem, quae hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid a proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia vocatur annus remissionis domini. A peregrino exiges, fratri vero remittes.

Et omnino pauper non erit inter vos, quia benedicet tibi dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem. Si tamen audieris vocem domini Dei tui, ut serves et facias omnia praecepta, quae ego hodie praecipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est. Foenerabis gentibus multis, et ipse a

nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, et tui nemo dominabitur.

Si unus de fratribus tuis, qui morantur inter portas civitatis tuae, in terra, quam dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem devenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam fratri pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Cave, ne sit in corde tuo verbum Belial, et dicas: Appropinquat septimus annus remissionis, et oculus tuus sit nequam erga pauperem fratrem tuum, et non des ei, tum clamet contra te ad dominum, et fiat tibi in peccatum, sed dabis ei, et cor tuum non agat nequiter, dum dabis ei. Nam ideo benedicet tibi dominus Deus tuus in omni opere et in cunctis, ad quae manum miseris. Non deerunt pauperes in terra, idcirco ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo pauperi et misero in terra tua.

Cum tibi venditus fuerit frater tuus ebraeus aut ebraea, sex annis serviet tibi, in septimo anno dimittes eum liberum a te, et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, sed viaticum dabis de gregibus et de area et torculari tuo, quibus dominus Deus tuus benedixerit tibi. Memento, quod et ipse servieris in terra Aegypti, et redemerit te dominus Deus tuus, idcirco ego hoc praecipio tibi hodie.

Si autem dixerit ad te: Nolo egredi, eo quod diligat te et domum tuam, et bene sibi apud te esse sentiat, assumes subulam et perforabis aurem ejus in janua domus tuae, et serviet tibi usque in aeternum. Ancillae quoque similiter facies, et non graveris eum dimittere liberum, quoniam dupliciter mercenarius per

sex annos servivit tibi, ut benedicat tibi dominus Deus tuus in cunctis operibus, quae facis.

De primogenitis, quae nascuntur in armentis et ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium. In conspectu domini Dei tui comedes ea per annos singulos in loco, quem elegerit dominus, tu et domus tua.

Si autem habuerit vitium, ut vel claudum fuerit vel caecum, aut ullum vitium malum, non immolabis domino Deo tuo, sed intra portas urbis tuae comedes illud. Tam mundus quam immundus similiter vescentur eis, quasi caprea et cervo. Hoc solum observabis, ut sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

CAPUT XVI.

Observa mensem Abib, ut facias phase domino Deo tuo, quoniam in mense Abib eduxit te dominus Deus tuus de Aegypto nocte, immolabisque phase domino Deo tuo de ovibus et de bobus in loco, quem elegerit dominus, ut habitet nomen ejus ibi. Non comedes in eo panem fermentatum. Septem diebus comedes absque fermento panem afflictionis, quoniam in pavore egressus es de terra Aegypti, ut memineris diei egressionis tuae de Aegypto omnibus diebus vitae tuae. Non apparebit fermentatum in omnibus terminis tuis septem diebus, et non remanebit de carnibus

ejus, quod vespere in die primo immolatum est, usque mane.

Non poteris immolare phase in qualibet urbium tuarum, quas dominus Deus tuus daturus est tibi, sed in loco, quem elegerit dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi, immolabis phase vespere sole occidente, quo tempore egressus es de Aegypto, et coques et comedes in loco, quem elegerit dominus Deus tuus, maneque vertes te et vades in tabernacula tua. Sex diebus comedes azyma, et in die septima, quia est concio domino Deo tuo, non facies opus.

Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris, et celebrabis diem festum hebdomadarum domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuae, quam dabis juxta benedictionem domini Dei tui, et laetaberis coram domino Deo tuo, tu ac filius tuus et filia tua, et servus tuus et ancilla tua, et Levites, qui est inter portas tuas, et advena, et pupillus et vidua, qui morantur vobiscum in loco, quem elegerit dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi, et recordaberis, quoniam servus fueris in Aegypto, servabisque, ut facias statuta ista.

Solennitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area et torculari fruges tuas, et laetaberis in festivitate tua, tu et filius tuus et filia, et servus tuus et ancilla, Levites quoque et advena, et pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt. Septem diebus domino Deo tuo festum celebrabis in loco, quem elegerit dominus, nam benedicet tibi dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis et in omni opere manuum tuarum, erisque in laetitia.

Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu domini Dei tui, in loco, quem elegerit, in solennitate azymorum, et in solennitate hebdomadarum, et in solennitate tabernaculorum. Non apparebit ante dominum vacuus, sed afferet unusquisque secundum quod habuerit, juxta benedictionem domini Dei sui, quam dederit ei.

CAPUT XVII.

Judices et praefectos constitues in omnibus portis tuis, quas dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio. Non declinabis judicium, non agnosces personam, nec accipies munera, quia munera excaecant oculos sapientum, et depravant causas justorum. Quidquid justum est, persequeris, ut vivas et possideas terram, quam dominus Deus tuus dederit tibi.

Non plantabis tibi lucum aut ullam arborem juxta altare domini Dei tui, quod tibi facies, nec eriges statuam, quae odit dominus Deus tuus. Non immolabis domino Deo tuo bovem et ovem, in quo est vitium aut quippiam mali, quia abominatio est domino Deo tuo.

Cumque reperti fuerint apud te intra unam portarum tuarum, quas dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciant malum in conspectu domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius, ut vadant ut serviant Diis alienis et adorent eos, solem et lunam aut ullum exercitum coeli, quae non praecepi, et

hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse repereris, quod ista abominatio facta est in Israel, educes virum ac mulierem, qui rem hanc malam perpetrarunt, ad portas civitatis tuae, et lapidibus obruentur. In ore duorum aut trium testium morientur. Nemo occidatur uno dicente contra se testimonium. Manus testium prima interficiet eum, et manus reliqua populi extrema mittetur, ut auferas malum de medio tui.

Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, plagam et plagam, et judicium intra portas tuas videris variari, surge et adscende ad locum, quem elegerit dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, et facies, quodcunque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.

Qui autem superbierit nolens obedire sacerdoti, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, et judici, morietur homo ille, et auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.

Cum ingressus fueris terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.

Qui tamen non multiplicabit sibi equos, neque reducet populum in Aegyptum equitatus numero sublevatus, praesertim cum dominus praeceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, nec recedat cor ejus, neque multiplicet sibi nimium argenti et auri.

Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Levitis, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitae suae, ut discat timere dominum Deum suum, et servare omnia verba legis hujus et statuta ista, ut faciat ea. Nec elevetur cor ejus super fratres suos, neque declinet a praecepto ad dextram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse et filius ejus super Israel.

CAPUT XVIII.

Non habebunt sacerdotes Levitici totius tribus Levi partem et hereditatem cum Israel, quia sacrificia domini et hereditatem ejus comedent, et nihil aliud accipiant de possessione fratrum suorum, dominus enim ipse est hereditas eorum, sicut locutus est illis. Hoc autem sit jus sacerdotum a populo et ab his, qui sacrificant sacrificia: Sive ovem sive bovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum, ambas maxillas ac ventriculum, primitias frumenti, vini et olei, et lanarum ex ovium tonsione. Ipsum enim elegit dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet et mini-

stret nomini domini Dei tui, ipse et filii ejus in sempiternum.

Si venerit Levites ex una urbium tuarum ex Israel, in qua peregrinatur, desiderans locum, quem elegerit dominus, ut ministret in nomine domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitae, qui stant eo tempore coram domino, partem ciborum eandem accipiet, quam et ceteri, praeter id, quod ex paterna ei successione debetur.

Quando ingressus fueris terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, cave, ne discas facere abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam per ignem, aut qui vaticinator, aut dierum observator, aut augur, aut magus, aut incantator, aut python, aut divinus, aut qui quaerat a mortuis.

Omnes enim hos abominatur dominus, et propter istiusmodi abominationes delebit eos coram te. Integer esto cum domino Deo tuo. Gentes istae, quarum possidebis terram, dierum observatores et vaticinatores audiunt, tu autem non sic facies domino Deo tuo.

Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus Deus tuus, ipsum audies, ut petisti a domino Deo tuo in Horeb, in die congregationis, atque dixisti: Ultra non audiam vocem domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait dominus mihi: Bene sunt locuti, prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, sicut te, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi. Qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego requiram ab eo.

Propheta autem, qui praesumserit loqui in nomine meo, cui ego non praecepi, ut loqueretur, et qui ex nomine alienorum Deorum loquitur, interficietur. Quodsi dixeris in corde tuo: Quomodo possum scire, quod verbum dominus non est locutus? quando in nomine domini propheta ille loquitur, et non evenerit, hoc est verbum, quod dominus non est locutus, sed ex praesumtione locutus est ille propheta, et idcirco non timebis eum.

CAPUT XIX.

Cum eradicaverit dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, et possederis eam, habitaverisque in urbibus et in aedibus earum, tres civitates separabis tibi in medio terrae, quam dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem, et diriges viam, et in tres partes terminos terrae tuae divides, ut habeat, qui propter homicidium profugus est, quo possit fugere. Hoc enim erit pro homicida, ut fugiat illuc et vivat.

Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudius tertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur, sed sicut si quis cum proximo suo abeat in silvam ad ligna caedenda, et dum levat, ut caedat lignum, et ferrum labatur de manubrio, amicumque ejus percusserit et occiderit, hic ad unam supradictarum urbium confugiet et vivet, ne forsan proximus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore sti-

stimulatus persequatur et apprehendat eum, si longior via fuerit, et percutiat animam ejus, qui non est reus mortis, quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur. Idcirco praecipio tibi, ut tres civitates separes.

Cum autem dilataverit dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram, quam eis dare pollicitus est (si tamen servaveris omnia praecepta ista, ut facias, quae hodie praecipio tibi, ut diligas dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus omni tempore), addes tibi adhuc tres alias civitates ad istas tres civitates, ut non effundatur sanguis innoxius in medio terrae, quam dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus.

Si quis autem odio habens proximum insidiatus fuerit vitae ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius et accipient eum inde, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur. Non misereberis ejus, ut auferas innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi.

Non transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam.

Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.

Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum praevaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante dominum in conspectu sacerdotum et judicum, qui fuerint in diebus illis. Cumque judices

diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, facient ei, sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui, ut audientes ceteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere. Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

CAPUT XX.

Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus, et majorem, quam tu habeas, adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos, quia dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti. Appropinquante autem jam proelio accedet sacerdos, et sic loquetur ad populum: Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non mollescat cor vestrum, nolite metuere, nolite pavere, nec formidetis eos, quia dominus Deus vester ambulat vobiscum, ut pro vobis contra adversarios vestros pugnet, et vos salvet.

Praefecti quoque sic dicent ad populum: Quis est, qui aedificat domum novam, et non dedicavit eam? Vadat et maneat domi, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam. Quis est, qui plantavit vineam, et necdum fecit eam communem? Vadat et maneat domi, ne forte moriatur in bello, et alius faciat eam communem. Quis est, qui despondit uxorem,

et non accepit eam? Vadat et maneat domi, ne forte moriatur in bello, et alius accipiat eam.

His dictis addent reliqua, et loquentur ad populum: Quis est homo formidolosus et corde pavido? Vadat et maneat domi, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut cor suum pavet. Cumque praefecti finem loquendi fecerint, constituent principes exercitus in capite populi.

Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, serviet tibi sub tributo. Sin autem foedus inire noluerit, et ceperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis masculini est, ore gladii, absque mulieribus et infantibus, jumentis et ceteris, quae in civitate sunt. Omnem praedam inter te divides, et comedes de spoliis hostium tuorum, quae dominus Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis civitatibus, quae a te procul valde sunt, et non sunt de urbibus istarum gentium.

At in civitatibus istorum populorum, quas dominus Deus tuus tibi dabit in hereditatem, non permittes vivere ullum, quod spirat, sed devovebis Hethaeum et Amorraeum et Cananaeum et Pheresaeum et Hevaeum et Jebusaeum, sicut praecepit tibi dominus Deus tuus, ne doceant vos facere ullas abominationes, quas ipsi operati sunt Diis suis, et peccetis in dominum Deum vestrum.

Quando obsederis civitatem multo tempore et pugnaveris contra eam, ut capias eam, non perdes arbores cum securibus, si vesci potes ex ipsis, nec suc-

cides illas, quoniam lignum in agro est, et non homo, nec potest te obsidere. Quas autem nosti esse arbores, unde non potes vesci, perdes et succides, et facias machinas contra civitatem, quae contra te bellum gerit, donec domineris ei.

CAPUT XXI.

Quando inventum fuerit in terra, quam dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi jacens in agro, et ignorabitur caedis reus, egredientur seniores et judices tui, et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum, et quam viciniorem ceteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quae non traxit jugum, nec terram scidit vomere, et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quae nunquam arata est nec sementem recepit, et caedent in ea cervices vitulae.

Accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegit dominus Deus tuus, ut ministrent ei, et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum omne negotium pendet, et omnis plaga, et accedent omnes seniores civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam, quae in valle percussa est, et dicent: Manus nostrae non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi nostri viderunt. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti domine, et non reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel, et auferetur ab

eis reatus sanguinis. Tu autem auferes sic sanguinem innocentem de medio tui, cum feceris, quod placitum est in oculis domini.

Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris, et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, introduces eam in domum tuam. Quae radet caesariem et circumcidet ungues, et deponet vestem, in qua capta est, sedensque in domo tua flebit patrem et matrem suam uno mense, et postea intrabis ad eam, et maritabis eam, et sit uxor tua. Si autem postea non placuerit, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia nec prostituere, quia humiliasti eam.

Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam et alteram odiosam, genuerintque ei liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae, sed filium odiosae agnoscat primogenitum, dabitque ei de his, quae habuerit, cuncta duplicia. Iste est enim principium facultatis ejus et huic debentur primogenita.

Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audierit patris ac matris imperium, et coercitus obedire contempserit, apprehendent eum pater et mater, et ducent eum ad seniores civitatis illius, et ad portam loci illius, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat et luxuriae atque conviviis. Lapidibus eum obruet populus civi-

tatis, et morietur, ut auferas malum de medio tui, et universus Israel audiens pertimescat.

Quando peccaverit homo, quod morte plectendum, et adjudicatus morti suspensus fuerit in patibulo, non permanebit per noctem cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelies eum, quia maledictus est apud Deum, qui suspensus fuerit, et nequaquam contaminabis terram tuam, quam dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.

CAPUT XXII.

Cum videris bovem et ovem fratris tui errantem, non praeteribis, sed reduces fratri tuo. Quodsi frater tuus non est prope, aut non nosti eum, duces in domum tuam, et erunt apud te, quamdiu quaerat ea frater tuus, et recipiat. Similiter facies de asino, et de vestimento, et de omni re fratris tui, quae perierit. Si inveneris eam, ne negligas quasi alienam.

Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicias, sed sublevabis eum.

Non geret mulier arma viri, neque vir utetur veste foeminea, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hoc.

Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios, ut bene sit tibi et longo vivas tempore.

Cum aedificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne, si quis deorsum ceciderit, sanguinem super domum tuam inducas.

Non seres vineam tuam altero semine, ne et sementis, quam sevisti, et quae nascuntur ex vinea, pariter inter plenitudinem tuam sanctifices. Non arabis in bove simul et asino. Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est. Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris.

Si duxerit vir uxorem, et postquam ad eam ingressus, odio habuerit eam, insimulaveritque eam turpis rei, objiciens ei nomen pessimum, et dixerit: Uxorem hanc accepi et ingressus ad eam non inveni virginem, tollent eam pater et mater ejus, et proferent signa virginitatis ejus ad seniores urbis, qui in porta sunt, et dicet pater: Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat: Non inveni filiam tuam virginem, et ecce, haec sunt signa virginitatis filiae meae, et expandent vestimentum coram senioribus civitatis. Apprehendentque senes urbis illius virum et castigabunt illum, condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellae, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel, habebitque eam uxorem, et non poterit eam dimittere omnibus diebus vitae suae. Quodsi verum est, quod objicit, et non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra domum patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur, quoniam fecit stultitiam in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui, et auferes malum de medio tui.

Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque mo-

rietur, id est, adulter et adultera, et auferes malum de Israel.

Si quis puellam virginem desponderit sibi, et invenerit eam aliquis in civitate et concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur, puella, quia non clamavit, cum esset in civitate, vir, quia humiliavit uxorem proximi sui, et auferes malum de medio tui.

Sin autem in agro repererit vir puellam, quae desponsata est, et apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus. Puella nihil patietur, nec est rea mortis, quoniam, sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita et puella perpessa est. Sola erat in agro, clamavit, et nullus affuit, qui liberaret eam.

Si invenerit vir puellam virginem, quae non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad judicium venerit, dabit, qui dormivit cum ea, patri puellae quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam; non poterit dimittere eam cunctis diebus vitae suae.

CAPUT XXIII.

Non accipiet ullus uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus. Non intrabit eunuchus excisis testiculis aut fractis ecclesiam domini. Non ingredietur מַמְזֵר natus in ecclesiam domini, etiam post decimam generationem.

Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam domini in aeternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via, quando egressi estis de Aegypto, et quia conduxerunt contra te Bileam, filium Beor, de Mesopotamia Syriae, ut malediceret tibi, et noluit dominus Deus tuus audire Bileam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te. Non facies cum eis pacem, nec quaeras eis bona cunctis diebus vitae tuae in sempiternum.

Non abominaberis Edomaeum, quia frater tuus est, nec Aegyptium, quia advena fuisti in terra ejus. Qui nati fuerint ex eis tertia generatione, intrabunt in ecclesiam domini.

Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala.

Si fuerit inter vos homo, qui non sit mundus, eo quod ei acciderit aliquid in nocte, egredietur extra castra, et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua, et post solis occasum regredietur in castra.

Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturae gerens clavum in pala tua. Cumque sederis, fodies, et egesta humo operies. Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum tuorum, ut eruat te et tradat tibi inimicos tuos, ut sint castra tua sancta, et nihil appareat in eis foeditatis, ne derelinquat te.

Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit, sed habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet. Ne deglubes eum.

Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.

Non offeres mercedem meretricis nec pretium canis in domo domini Dei tui, quidquid illud est, quod voveris, quia abominatio est utrumque apud dominum Deum tuum.

Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam nec fruges nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo non foenerabis, ut benedicat tibi dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam.

Cum votum voveris domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus, et reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis et facies, sicut vovisti domino Deo tuo, et spontanee et ore tuo locutus es.

Ingressus vineam proximi tui comede uvas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum. Si intraveris segetem amici tui, franges spicas et manu conteres, falce autem non metes.

CAPUT XXIV.

Si aliquis acceperit uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo

sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est et abominabilis facta coram domino, ne peccare facias terram tuam, quam dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.

Cum acceperit aliquis nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publice, sed vacabit absque culpa domui suae, ut uno anno laetetur cum uxore sua.

Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam, quia animam suam opposuit tibi.

Si deprehensus fuerit aliquis furans fratrem suum de filiis Israel, et locaverit aut vendiderit eum, interficietur fur ille, et auferes malum de medio tui.

Observa diligenter, ne incurras plagam leprae, sed facias, quaecunque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id, quod praecepi eis. Mementote, quae fecerit dominus Deus vester Miriam in via, cum egrederemini de Aegypto.

Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas, sed stabis foris, et ille tibi proferet, quod habuerit. Si autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, et habeas justitiam coram domino Deo tuo.

Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui sive advenae, qui tecum moratur in terra et intra portas tuas est, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est et ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad dominum, et reputetur tibi in peccatum.

Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur. Non pervertes judicium advenae et pupilli, nec auferes pignoris loco viduae vestimentum. Memento, quod servieris in Aegypto, et eruerit te dominus Deus tuus inde. Idcirco praecipio tibi, ut facias hanc rem.

Quando messueris segetem in agro tuo et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum, sed advenam et pupillum et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris, ut colligas, sed relinques advenae, pupillo ac viduae. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenae, pupilli ac viduae. Memento, quod et tu servieris in Aegypto, et idcirco praecipio tibi, ut facias hanc rem.

CAPUT XXV.

Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices, quem justum esse perspexerint, illi justitiae palmam dabunt, quem impium, condemnabunt impietatis. Si autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, et coram se faciant verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne foede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.

Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas.

Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet foras alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.

Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, perget mulier ad portam civitatis et interpellabit seniores, dicetque: Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel, nec me in conjugium sumere, statimque accersiri eum facient, et interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem accipere, accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calciamentum de pede ejus, spuetque in faciem ejus, et dicet: Sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel domus discalciati.

Si habuerint inter se jurgium viri duo, et unus contra alterum rixari coeperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum et apprehenderit verenda ejus, abscides manum illius, ne flecteris super eam ulla misericordia.

Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus, nec erit in domo tua modius major et minor. Pondus habebis justum et verum, et modius justus et verus erit tibi, ut multo vivas tempore super terram, quam dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim dominus eum, qui facit haec, et omnem, qui facit iniquitatem.

Memento, quae fecerit tibi Amalek in via, quando egrediebaris ex Aegypto, quomodo occurrerit tibi, et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit,

quando tu eras fame et labore confectus, et non timuerit Deum. Cum ergo dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subjecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen ejus sub coelo. Cave, ne obliviscaris.

CAPUT XXVI.

Cumque intraveris terram, quam dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, et obtinueris eam, atque habitaveris in illa, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem dominus Deus tuus elegerit, ut ibi habitet nomen ejus, accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum: Profiteor hodie domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua juravit dominus patribus nostris, ut daret eam nobis.

Suscipiens autem sacerdos cartallum de manu tua ponet ante altare domini Dei tui, et loqueris in conspectu domini Dei tui: Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Aegyptum, et ibi peregrinatus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam ac robustam, et infinitae multitudinis, afflixeruntque nos Aegyptii, et humiliaverunt imponentes nobis duram servitutem, et clamavimus ad dominum, Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos et respexit humilitatem nostram et laborem atque afflictionem, et eduxit nos de Aegypto manu forti et brachio extento ingenti pavore, signis atque portentis, et introduxit

ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte et melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum terrae, quam dominus Deus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu domini Dei tui, et adorato domino Deo tuo laetaberis in omnibus bonis, quae dominus Deus tuus dederit tibi et domui tuae, tu et Levites, et advena, qui tecum est.

Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum anno tertio (qui est annus decimarum), dabis Levitae et advenae et pupillo et viduae, ut comedant intra portas tuas et saturentur, loquerisque in conspectu domini Dei tui: Attuli, quod sanctificatum est de domo mea, et dedi illud Levitae et advenae et pupillo ac viduae, sicut jussisti mihi. Non praeterivi nec sum oblitus mandata tua. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in ulla immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci domini Dei mei, et feci omnia, sicut praecepisti mihi. Respice de sanctuario tuo de coelo, et benedic populo tuo Israel, et terrae, quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris terram lacte et melle manantem.

Hodie dominus Deus tuus praecepit tibi, ut facias statuta haec atque jura, ut serves et facias ea toto corde tuo et tota anima tua. Domino promisisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, ut serves statuta et ceremonias illius et praecepta atque jura, et obedias ejus voci. En dominus promittit tibi hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et serves omnia praecepta illius, et faciet te laude et nomine et gloria excelsiorem cunctis genti-

bus, quas creavit, ut sis populus sanctus domini Dei tui, sicut locutus est.

CAPUT XXVII.

Praecepit autem Mose et seniores Israel populo dicentes: Serva omne praeceptum, quod praecipio vobis hodie, cumque transieritis Jordanem in terram, quam dominus Deus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce levigabis eos, et scribes in eis omnia verba legis hujus, ut introeas terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte et melle manantem, sicut juravit patribus tuis.

Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie praecipio vobis, in monte Ebal, et levigabis eos calce, et aedificabis ibi altare domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, et de saxis informibus et impolitis, et offeres super eo holocausta Deo domino tuo, et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et laetaberis coram domino Deo tuo. Et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane et lucide.

Dixeruntque Moyse et sacerdotes Levitici generis ad totum Israel: Attende et audi Israel, hodie factus es populus domini Dei tui, ut audias vocem ejus, et facias praecepta atque statuta, quae ego praecipio tibi hodie.

Praecepitque Moyses populo suo in die illo, dicens: Hi stabunt ad benedicendum populo super monte Grisim, Jordane transmisso, Simeon, Levi, Juda,

Isaschar, Joseph et Benjamin. Et e regione isti stabunt ad maledicendum in monte Ebal, Ruben, Gad, Asser, Sebulon, Dan et Naphthali. Et pronuntiabunt Levitae, dicentque ad omnes viros Israel excelsa voce:

Maledictus homo, qui facit sculptile et conflatile, abominationem domini, opus manuum artificum, ponitque illud in abscondito, et respondebit omnis populus, et dicet: Amen.

Maledictus, qui maledicit patrem suum et matrem, et dicet omnis populus: Amen.

Maledictus, qui transfert terminos proximi sui, et dicet omnis populus: Amen.

Maledictus, qui errare facit caecum in itinere, et dicet omnis populus: Amen.

Maledictus, qui pervertit jus advenae, pupilli et viduae, et dicet omnis populus: Amen.

Maledictus, qui cubat cum uxore patris sui, et revelat operimentum patris sui, et dicet omnis populus: Amen.

Maledictus, qui cubat cum ullo jumento, et dicet omnis populus: Amen.

Maledictus, qui cubat cum sorore sua, filia patris sui vel matris suae, et dicet omnis populus: Amen.

Maledictus, qui cubat cum socru sua, et dicet omnis populus: Amen.

Maledictus, qui clam percusserit proximum suum, et dicet omnis populus: Amen.

Maledictus, qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis, et dicet omnis populus: Amen.

Maledictus, qui non confirmat verba legis hujus, ut faciat ea, et dicet omnis populus: Amen.

CAPUT XXVIII.

Si autem audieris vocem domini Dei tui, ut serves et facias omnia praecepta ejus, quae ego praecipio tibi hodie, faciet te dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quae versantur in terra, venientque super te universae benedictiones istae, et apprehendent te, quod vocem domini Dei tui audieris. Benedictus eris in civitate, et benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, et fructus terrae tuae, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulae ovium tuarum. Benedicta sporta tua, et benedictae reliquiae tuae. Benedictus eris ingrediens et egrediens.

Dabit dominus inimicos tuos, qui consurgent adversum te, corruentes in conspectu tuo. Per viam unam venient contra te, et per septem fugient a facie tua. Praecipiet dominus benedictionem super cellaria tua et super omnia opera manuum tuarum, benedicetque tibi in terra, quam dominus Deus tuus dabit tibi.

Suscitabit te dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi, eo quod servas praecepta domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus, videbuntque omnes terrarum populi, quod nomine domini nominatus sis, et timebunt te. Abundare te faciet dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terrae tuae, quam juravit dominus patribus tuis, ut daret tibi.

Aperiet dominus thesaurum suum optimum, coelum, ut tribuat pluviam terrae tuae in tempore suo, et ut benedicat cunctis operibus manuum tuarum. Et foenerabis gentibus multis, et ipse a nullo foenus ac-

cipies. Constituet te dominus Deus tuus in caput, et non in caudam, et eris semper supra et non subter, eo quod audieris praecepta domini Dei tui, quae ego praecipio tibi hodie, et servaveris et feceris, ac non declinaveris ab ullis verbis, nec ad dexteram nec ad sinistram, ut sequereris Deos alienos, neque colueris eos.

Quodsi audire nolueris vocem domini Dei tui, ut serves et facias omnia praecepta ejus et statuta, quae ego praecipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istae, et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledicta sporta tua, et maledictae reliquiae tuae, maledictus fructus ventris tui et fructus terrae tuae, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum, maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens.

Mittet dominus super te corrosionem, penuriam et increpationem in omnia opera tua, quae tu facies, donec deleat te et perdat velociter propter studia tua pessima, in quibus reliquisti me. Adhaerere faciet tibi dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam. Percutiet te dominus tumore, febri, ardore, uredine, aestu, siccitate, pallore, et persequetur, donec perdat te.

Coelum, quod supra caput tuum est, aeneum erit, et terra sub te erit ferrea. Dabit dominus imbrem terrae tuae pulverem, et de coelo descendet super te cinis, donec deleat te. Tradet te dominus corruentem ante hostes tuos. Per unam viam egredieris contra eos, et per septem fugies, et dispergeris per omnia regna terrae, eritque cadaver tuum in escam

cunctis volatilibus coeli et bestiis terrae, et non erit, qui abigat.

Percutiet te dominus ulcere Aegypti, et ficubus, scabie quoque et prurigine, ita ut curari nequeas. Percutiet te dominus amentia et caecitate ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet caecus in tenebris, et non prosperabitur via tua.

Omnique tempore calumniam sustinebis, et opprimeris violentia, nec habebis, qui liberet te. Uxorem accipies, et alius dormiet cum ea. Domum aedificabis, et non habitabis in ea. Plantabis vineam, et non vindemiabis eam. Bos tuus immolabitur coram te, et non comedes ex eo. Asinus tuus rapietur in conspectu tuo, et non reddetur tibi. Oves tuae dabuntur inimicis tuis, et non erit, qui te liberet.

Filii tui et filiae tuae tradentur alteri populo videntibus oculis tuis et deficientibus ad conspectum eorum omni die, et non erit fortitudo in manu tua. Fructus terrae tuae et omnes labores tuos comedet populus, quem ignoras, et eris semper calumniam sustinens, et oppressus cunctis diebus, et amens a visione, quam videbunt oculi tui.

Percutiet te dominus ulcere pessimo in genibus et in suris, sanarique non poteris *), a planta pedis usque ad verticem tuum.

Ducetque dominus te et regem tuum, quem constitues super te, ad gentem, quam ignoras, tu et patres tui, et servies ibi Diis aliis, ligno et lapidi, et eris desolatus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te duxerit dominus.

---

*) In edit. princ. possis.

Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis, quia locustae devorabunt omnia. Vineam plantabis et coles, et vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam, quoniam vastabitur vermibus. Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo, quia evelletur oliva tua. Filios generabis et filias, et non frueris eis, quoniam ducentur in captivitatem. Omnes arbores tuas et fruges terrae tuae rubigo consumet.

Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior, tu autem descendes et eris inferior. Ipse foenerabit tibi, et tu non foenerabis ei. Ipse erit in caput, et tu eris in caudam.

Et venient super te omnes maledictiones istae, et persequentes apprehendent te, donec delearis, eo quod non audieris vocem domini Dei tui, nec servaveris praecepta ejus et statuta, quae praecepit tibi. Et erunt in te signa atque prodigia, et in semine tuo usque in sempiternum, eo quod non servieris domino Deo tuo in gaudio cordisque laetitia, in rerum omnium abundantia. Inimico tuo, quem immittet tibi dominus, servies in fame, in siti et nuditate et in omni penuria, et ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te deleat.

Adducet dominus super te gentem de longinquo et de extremis terrae finibus in similitudinem aquilae volantis, cujus linguam intelligere non possis, gentem praefractam, quae non deferat seni nec misereatur parvuli, et devoret fructum jumentorum tuorum ac fruges terrae tuae, donec deleat te, et nihil relinquat tibi, triticum, vinum et oleum, armenta boum et greges ovium, donec te disperdat, et angustabit te in

cunctis urbibus tuis, et dejiciet muros tuos altos et munitos, in quibus habebas fiduciam, in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi dominus Deus tuus.

Et comedes fructum ventris tui et carnem filiorum tuorum et filiarum tuarum, quas dederit tibi dominus Deus tuus, in tribulatione et angustia, qua opprimet te hostis tuus. Homo tener inter vos et delicatus valde invidebit fratri suo et uxori, quae cubat in sinu suo et reliquo sibi filio, ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet; eo quod nihil aliud habeat in tribulatione et angustia, qua oppriment te inimici tui intra omnes portas tuas.

Tenera mulier et delicata, quae non tentavit pedem ponere super terram prae teneritudine et deliciis, invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, et filio suo et filiae suae, secundinam, quae de medio feminum ejus egressa est, et filios suos, quos genuit. Comedent enim eos clam prae penuria in tribulatione et angustia, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas.

Nisi servaveris et feceris omnia verba legis hujus, quae praescripta sunt in hoc volumine, et timueris nomen hoc gloriosum et terribile, hoc est, dominum Deum tuum, mirificabit dominus plagas tuas et plagas seminis tui, plagas magnas et perseverantes, infirmitates malas et perseverantes, et convertet super te omnes morbos Aegypti, quos metuis, et adhaerebunt tibi, insuper et quoslibet morbos et plagas, quae non sunt scriptae in volumine legis hujus, inducet dominus super te, donec te deleat, et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut stellae coeli

prae multitudine, quod non audieris vocem domini Dei tui.

Et sicut ante laetatus est dominus super vos, ut benefaceret vobis et vos multiplicaret, sic laetabitur, ut perdat vos ac deleat, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam. Disperget te dominus in omnes populos, ab uno fine terrae ad alium, ut servias ibi Diis alienis, quos tu ignoras et patres tui, ligno et lapidi.

In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi dominus ibi cor pavidum et deficientes oculos et animam consumtam moerore, et erit vita tua pendens ante te. Timebis nocte et die, et non eris certus de vita tua. Mane dices: Quis dabit mihi vesperum? et vespere: Quis mihi dabit mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea, quae tuis videbis oculis.

Reducet te dominus classibus in Aegyptum per viam, de qua dixi tibi, ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non erit, qui emat.

CAPUT XXIX.

Haec sunt verba foederis, quod praecepit dominus Mose, ut feriret cum filiis Israel in terra Moab, praeter illud foedus, quod cum eis pepigit in Horeb. Vocavitque Mose totum Israel, et dixit ad eos: Vos vidistis universa, quae fecit dominus coram vobis in terra Aegypti Pharaoni et omnibus servis ejus uni-

versaeque terrae illius, tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa portentaque ingentia, et non dedit vobis dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures, quae possint audire, usque in praesentem diem.

Duxit vos quadraginta annis per desertum, non sunt attrita vestimenta vestra, nec calciamenta pedum vestrorum vetustate consumta sunt. Panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis, ut sciretis, quod ego sum dominus Deus vester.

Et venistis ad hunc locum, egressusque est Sihon, rex Hesbon, et Og, rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam, et percussimus eos, et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Rubenitis et Gadditis et dimidiae tribui Manasse. Servate ergo verba pacti hujus et facite ea, ut prudentes sitis in omnibus, quae facietis.

Vos statis hodie cuncti coram domino Deo vestro, principes vestri et tribus, seniores atque praepositi, quilibet in Israel, parvuli et uxores vestrae et advenae, qui tecum morantur in castris tuis, tam lignorum caesores, quam hi, qui portant aquas, ut transeas in foedere domini Dei tui et jurejurando, quod hodie dominus Deus tuus percutit tecum, ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit dominus Deus tuus, sicut locutus est tibi, et sicut juravit patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob.

Nec vobis solis ego hoc foedus ferio, et jusjurandum confirmo, sed cunctis praesentibus et absentibus. Vos enim nostis, quomodo habitaverimus in terra Aegypti, et quomodo transierimus per medium nationum, quas transeuntes vidistis abominationes et

idola eorum, lignum et lapidem, argentum et aurum quae apud eos erant.

Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a domino Deo vestro, ut vadat et serviat Diis illarum gentium, et fiat inter vos radix germinans fel et absinthium, atque si etiam audierit verba juramenti hujus, benedicat tamen sibi in corde suo dicens: Pax erit mihi, ambulabo in sensu cordis mei, et pereat ebria cum sitiente.

Huic non volet esse propitius dominus, sed tunc quam maxime furor ejus fumabit, et zelus contra hominem illum, ut sedeant super eum omnia maledicta, quae scripta sunt in hoc volumine, et delebit dominus nomen ejus sub coelo, et separabit eum ad malum ex omnibus tribubus Israel, juxta omnes maledictiones foederis, quae in libro legis hujus scriptae sunt.

Dicetque sequens generatio et filii, qui surgent post vos, et alieni, qui de longe venerint, videntes plagas terrae illius et infirmitates, quibus eam afflixerit dominus, sulphure et salsugine comburens omnem terram ejus, ita ut ultra non seratur, nec ulla herba germinet, ad exemplum subversionis Sodomae et Gomorrae et Adamae et Zeboim, quas subvertit dominus in ira et in furore suo; et dicent omnes gentes: Quare sic fecit dominus terrae huic? Quae est haec ira furoris ejus immensa? Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum domini, Dei patrum illorum, quod pepigit cum eis, quando eduxit eos de terra Aegypti, et abierunt et servierunt Diis alienis, et adoraverunt eos, quos nesciebant

et quibus non fuerunt attributi. Idcirco iratus est furor domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quae in hoc volumine scripta sunt, et ejecit eos de terra sua in ira et in furore et in indignatione maxima, jecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur.

Mysteria domini Dei nostri revelata sunt nobis et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus.

CAPUT XXX.

Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio sive maledictio, quos proposui coram te, et redieris ad cor tuum in universis gentibus, in quas disperserit te dominus Deus tuus, et reversus fueris ad eum, et obedieris voci ejus, sicut ego hodie praecipio tibi, tu et filii tui, toto corde tuo et tota anima tua, reducet te dominus Deus tuus de captivitate tua ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit.

Si ad fines coeli fueris ejectus, inde te congregabit dominus Deus tuus, et assumet atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, et possidebis eam, et benefaciet tibi, et majoris numeri te esse faciet, quam fuerunt patres tui. Circumcidet dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas dominum Deum tuum toto corde tuo et tota anima tua, ut possis vivere. Omnes autem maledictiones

has convertet super inimicos tuos et eos, qui oderunt te et persequuntur.

Tu autem reverteris et audies vocem domini, faciesque universa praecepta, quae ego praecipio tibi hodie, et abundare te faciet dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, fructu ventris tui, fructu jumentorum tuorum, fructu terrae tuae, ut bene tibi sit. Revertetur enim dominus, ut gaudeat super te ad benefaciendum, sicut gavisus est in patribus tuis, quod audieris vocem domini Dei tui, et servaveris praecepta ejus et statuta, quae in hac lege conscripta sunt, et reversus sis ad dominum Deum tuum toto corde tuo et tota anima tua, quia praeceptum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in coelo situm, ut possis dicere: Quis valet ad coelum adscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque faciamus? neque trans mare positum, ut possis dicere: Quis poterit mare transfretare, et illud ad nos usque deferre, ut audiamus ipsum et faciamus? sed prope te est verbum valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illud.

Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, mortem et malum, dum praecipio tibi hodie, ut diligas dominum Deum tuum et ambules in viis ejus, et serves praecepta illius et statuta atque jura, et vivas atque multipliceris, benedicatque tibi dominus Deus tuus in terra, ad quam ingredieris possidendam.

Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris Deos alienos et servieris eis, praedico tibi hodie, quod pereas, et

parvo tempore moreris in terra, ad quam Jordane transmisso ingredieris possidendam.

Testes invoco hodie contra vos coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum, et diligas dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhaereas. Haec est enim vita tua et longitudo dierum tuorum, ut habites in terra, pro qua juravit dominus patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob, ut daret eam illis.

CAPUT XXXI.

Abiit quoque Mose, et locutus est omnia verba haec ad universum Israel, et dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi et ingredi, praesertim cum et dominus dixerit mihi: Non transibis Jordanem istum. Dominus ergo Deus tuus transibit ante te, ipse delebit gentes has coram te, et possidebis eas. Et Josua iste transibit ante te, sicut locutus est dominus, facietque dominus eis, sicut fecit Sihon et Og, regibus Amorraeorum, et terrae eorum, delevitque eos.

Cum ergo et hos tradiderit vobis, similiter facietis eis, sicut praecepi vobis. Viriliter agite et confortamini, nolite timere nec paveatis ad conspectum eorum, quia dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, et non dimittet nec derelinquet te.

Vocavitque Mose Josua, et dixit ei coram toto

Israel: Confortare et esto robustus. Tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum juravit dominus, et tu eam divides sorte, et dominus, qui ductor est tuus, ipse erit tecum, non dimittet nec derelinquet te. Noli timere nec paveas.

Scripsit itaque Mose legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus, filiis Levii, qui portabant arcam foederis domini, et cunctis senioribus Israel. Praecepitque eis dicens: Post septem annos, in anno remissionis, in solennitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu domini Dei tui, in loco, quem elegerit dominus, leges verba legis hujus coram toto Israel, audientibus eis, et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis et advenis, qui sunt intra portas tuas, ut audientes discant et timeant dominum Deum suum, et servent, ut faciant omnia verba legis hujus, filii quoque eorum, qui nunc ignorant, ut audiant et timeant dominum Deum vestrum cunctis diebus, quibus versantur in terra, ad quam vos Jordane transmisso pergitis obtinendam.

Et ait dominus ad Mosen: Ecce prope sunt dies mortis tuae. Voca Josua, et state in tabernaculo testimonii, ut praecipiam ei. Abierunt ergo Mose et Josua, et steterunt in tabernaculo testimonii, apparuitque dominus in columna nubis, quae stetit in introitu tabernaculi.

Dixitque dominus ad Mosen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post Deos alienos in terra, ad quam ingredietur, et derelinquet me et irritum faciet foedus, quod

pepigi cum eo. Et irascetur furor meus contra eum in die illo, et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eis, et erit in devorationem, invenient eum multa mala et angustiae, ita ut dicat in illa die: Vere, quia non est Deus mecum, invenerunt me haec mala. Ego autem abscondam faciem meam in die illo propter omnia mala, quae fecit, quia versus est ad Deos alienos.

Nunc itaque scribite vobis canticum illud, et docete filios Israel, et ponite in os eorum, ut sit mihi canticum istud pro testimonio inter filios Israel. Introducam enim eum in terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte et melle manantem. Cumque comederint et saturati crassique fuerint, avertentur ad Deos alienos et servient eis, blasphemabuntque me, et irritum facient pactum meum. Postquam autem invenerint eum mala multa et angustiae, respondebit ei canticum illud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis eorum. Scio enim cogitationes ejus, secundum quas faciunt hodie, antequam introducam eum in terram, pro qua juravi. Scripsit itaque Mose canticum hoc in die illa, et docuit filios Israel.

Praecepitque Josua, filio Nun, et ait: Confortare et esto robustus. Tu enim introduces filios Israel in terram, pro qua juravi, et ego ero tecum.

Postquam ergo scripserat Mose verba legis hujus in volumine atque compleverat, praecepit Levitis, qui portabant arcam foederis domini, dicens: Tollite librum legis hujus, et ponite eum in latere arcae foederis domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium. Ego enim novi inobedientiam tuam et duram cervicem. Adhuc hodie vivente me vo-

biscum inobedientes estis domino, quanto magis, cum mortuus fuero.

Congregate ad me omnes seniores per tribus vestras atque praepositos, ut loquar audientibus eis verba ista, et invocem contra eos coelum et terram. Novi enim, quod post mortem meam corrumpemini et declinabitis de via, quam praecepi vobis, et occurrent vobis mala postea, eo quod feceritis malum in conspectu domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum. Locutus est ergo Mose audiente universo coetu Israel verba carminis hujus, et ad finem usque complevit.

CAPUT XXXII.

Audite coeli, quae loquor, audiat terra eloquia oris mei.

Stillet sicut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.

Quasi imber super herbam, et quasi stillae super germina.

Quia nomen domini invocabo, date magnificentiam Deo nostro.

Petrae integra sunt opera, quia et omnes viae ejus judicia.

Deus fidelis et absque iniquitate, justus est et rectus.

Corruperunt se illi, non filii ejus, in vitiis, generatio prava atque perversa.

Haeccine reddis domino popule stulte et insipiens? Numquid non ipse est pater tuus, qui possidet te, et fecit et paravit te?

Memento dierum antiquorum, attende annos generationum omnium. Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, senes tuos, et dicent tibi.

Quando dividebat altissimus gentes, quando dispersit filios hominum,

Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel,

Quia pars domini populus ejus, Jacob funiculus hereditatis ejus.

Invenit eum in terra deserti, in loco horroris et solitudinis.

Circumduxit eum, et erudivit, et custodivit quasi pupillam oculi sui,

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans.

Expandit alas suas, et assumsit eum, atque portavit in humeris suis.

Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo Deus alienus.

Vexit eum in excelsis terrae, ut comederet fructus agrorum,

Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo,

Butyrum de armento, et lac de ovibus, cum adipe agnorum et arietum pinguium, et hircos cum pinguedine renum, et triticum, et sanguinem uvae biberet meracissimum.

Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, impinguatus, incrassatus, dilatatus es.

Dereliquit Deum, factorem suum, et neglexit Deum salutis suae.

Provocaverunt eum in Diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

Immolaverunt daemoniis et non Deo, Diis, quos ignorabant, novis; qui recenter venerunt, quos non coluerunt patres vestri.

Petram, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Dei, formatoris tui.

Vidit dominus, et ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui et filiae.

Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum, generatio enim perversa est et infideles filii.

Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis. Et ego provocabo eos in eo, qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos.

Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.

Devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta succendet.

Congregabo super eos mala; et sagittas meas omnes mittam in eos.

Consumentur fame, et depascentur febri et amara peste. Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore serpentum.

Foris vastabit eos gladius, et in cameris pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.

Et dicam: Ubinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Nisi iram inimicorum vererer, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa, et non dominus fecit haec omnia.

Gens absque consilio est et sine intelligentia.

Utinam saperent, et prudentes essent in hoc, ac intelligerent futura sua.

Quomodo fiat, ut persequatur unus mille, et duo fugent decem millia. Nonne ideo, quia petra eorum vendidit eos, et dominus tradidit illos?

Non enim est petra noster ut petra eorum, hujus rei et ipsi inimici nostri sunt judices.

Vitis Sodomae vitis eorum et de agris Gomorrae, uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus.

Venenum draconum vinum eorum, et fel aspidum crudele.

Nonne haec condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?

Mea est ultio, et ego retribuam. Tempore suo labetur pes eorum. Juxta est dies perditionis, et adesse festinant futura eis.

Judicabit dominus populum suum, et servis suis miserebitur. Videbit, quod infirmata sit manus, et clausi residuique consumti sint.

Et dicetur: Ubi sunt Dii eorum? Petra, in qua habebant fiduciam?

De quorum sacrificiis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum, surgant et opitulentur vobis, et vos protegant.

Videtis ergo, quod ego sim ego, et non sit alius Deus praeter me.

Ego occido et ego vivere facio, ego percutio et ego sano, et non est, qui de manu mea possit eruere.

Levabo enim ad coelum manum meam, et dicam: Vivo ego in aeternum.

Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his, qui oderunt me, retribuam.

Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes, prae cruore occisorum et captivitate, et prae denudato capite inimicorum.

Exsultate gentes cum populo ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terrae populi sui.

Venit ergo Mose, et locutus est omnia verba cantici hujus in auribus populi, ipse et Josua filius Nun. Complevitque omnes sermones istos loquens ad universum Israel, et dixit ad eos: Ponite corda vestra ad omnia verba, quae ego testificor vobis hodie, ut praecipiatis ea filiis vestris, servare et facere omnia verba legis hujus, quia non incassum praecepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent, quae facientes longo tempore perseveretis in terra, ad quam Jordane transmisso ingredimini possidendam.

Locutusque est dominus ad Mosen in eadem die, dicens: Adscende in montem istum Abarim, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho, et vide terram Canaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, et morere in monte, in quem adscenderis, et colligeris ad populum tuum, sicut mortuus est Aaron, frater tuus, in monte Hor, et collectus est ad populum suum, quia praevaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis in Kades deserti Zin, et non sanctificastis me inter filios

Israel. Econtra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.

CAPUT XXXIII.

Haec est benedictio, qua benedixit Mose vir Dei filios Israel ante mortem suam, et ait: Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Paran, et tu cum sanctorum millibus. A dextera ejus ignea lex pro eis. Quam dilexit populus! Omnes sancti ejus in manu tua sunt, et ipsi jungent se ad pedes tuos, ut tollant de verbis tuis. Legem praecepit nobis Mose, hereditati ecclesiae Jacob, et erat in plenitudine regis collectis principibus populi cum tribubus Israel.

Vivat Ruben et non moriatur, et sit parvus in numero.

Haec est Judae benedictio: Audi domine vocem Judae, et ad populum suum introduc eum. Manus ejus multiplicentur pro eo, et sit illi adjutorium de adversariis ejus.

Levi quoque ait: Integritas tua et lux tua sit secundum virum sanctum tuum, quem tentasti in Massa, et contendisti cum eo ad aquas contradictionis. Qui dixit patri suo et matri suae: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi servaverunt eloquium tuum, et pactum tuum custodierunt. Hi docebunt Jacob judicia tua, et Israel legem tuam. Hi ponent thymiama coram naribus tuis,

et holocausta super altare tuum. Benedic domine facultati ejus, et opera manuum illius placeant tibi. Percutite dorsa eorum, qui insurgunt in eum, et qui oderunt eum, fac ne erigantur.

Et Benjamin ait: Amantissimus domini habitabit confidenter in eo, tota die tuebitur eum, et inter humeros illius habitabit.

Joseph quoque ait: Terra ejus habeat benedictionem domini, in fructibus de coelo et rore atque abysso deorsum jacente, in fructibus proventus de sole ac luna, de vertice montium praecipue, in fructibus collium perpetuo, et in fructibus de terra et de plenitudine ejus. Beneplacitum illius, qui morabatur in rubro, veniat super caput Joseph et super verticem Nazaraei inter fratres suos, quasi primogeniti tauri decor ejus, cornua rhinocerotis cornua illius. In ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terrae. Haec sunt millia Ephraim, et haec millia Manasse.

Et Sebulon ait: Laetare Sebulon in exitu tuo, et Isaschar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem, ibi sacrificabunt sacrificia justitiae. Qui inundationem maris sugent, et thesauros absconditos in arena.

Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad. Quasi leo morabitur, rapuitque brachium et verticem, et vidit principium suum, quod ibi pars doctoris esset reposita, et venit cum principibus populi, et fecit justitias domini, et judicium suum cum Israel.

Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet de Basan.

Et Naphthali dixit: Naphthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus domini, mare et meridiem possidebit.

Asser quoque ait: Benedictus filiis Asser, sit placens fratribus suis, et intingat in oleo pedem suum. Ferrum et aes sit calciamentum ejus, sicut dies juventutis tuae, ita sit et senectus tua.

Non est Deus alius, ut Deus rectissimi, adscensor coeli auxiliator tuus. Magnificentia ejus in nubibus, ibi est habitaculum ejus ab ante et subter brachia in mundo. Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere, habitabitque Israel confidenter et solus, oculus Jacob in terra frumenti et vini, coelumque ejus stillabit rore. Beatus tu Israel. Quis similis tui populo, qui salvaris in domino? qui est scutum auxilii tui, et gladius gloriae tuae. Lassabuntur inimici tui, et tu eorum excelsa calcabis.

CAPUT XXXIV.

Adscendit ergo Mose de campestribus Moab super montem Nebo in verticem Pisga contra Jeriho, ostenditque ei dominus omnem terram Gilead usque Dan, et universam Naphthali, terramque Ephraim et Manasse, et omnem terram Juda usque ad mare novissimum, et australem partem et latitudinem campi Jeriho, civitatis palmarum, usque Zoar. Dixitque dominus ad eum: Haec est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac et Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam.

Mortuusque est ibi Mose, servus domini, in terra Moab jubente domino, et sepelivit eum in valle ter-

rae Moab contra domum Peor. Et non cognovit quisquam sepulchrum ejus usque in praesentem diem.

Mose centum et viginti annorum erat, quando mortuus est. Non caligavit oculus ejus, nec vigorem genarum amiserat. Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus; et completi sunt dies planctus lugentium Mosen.

Josua vero, filius Nun, repletus est spiritu sapientiae, quia Mose posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel; feceruntque, sicut praeceperat dominus Mosi. Et non surrexit propheta ultra in Israel sicut Mose, quem nosset dominus facie ad faciem, ad omnia signa atque portenta, ad quae facienda eum dominus misit in terra Aegypti Pharaoni et omnibus servis ejus universaeque terrae illius, et cunctam manum robustam magnasque visiones, quae fecit Mose coram universo Israel.

ANNOTATIONES
M. LUTHERI
IN
DEUTERONOMION MOSI.

Deuteronomios, id est, secundaria lex, liber iste vocatur. Sic enim et ipsemet Mose appellat Deutero. 17., ubi praecipit ei, qui futurus esset rex Israel, ut a Levitis accepta hac secundaria lege omnibus diebus in ea legeret, et Deutero. 31. praecipit, ut singulis septem annis, quando remissio celebrabatur, coram toto Israel legeretur in festo tabernaculorum in loco, quem elegisset dominus.

Vocatur autem secundaria, non quod alia sit quam ea, quae in monte Sinai data est, sed quod denuo repetita sit novo pacto per ministerium Mosi coram iis, qui priorem in monte Sinai non audierant, siquidem illi, qui ab ipso domino eam audierant, omnes in deserto perierant.

Est igitur liber iste compendium Mose et summa totius legis et sapientiae populi Israel, in quo praetermissis illis, quae ad Levitas et sacerdotes pertinent tantum ea docentur, quae populo et vulgo scitu sunt necessaria. Atque si proprie ad nostrum usum velis libellum appellare, recte appellaveris explanationem

decalogi plane copiosissimam et luculentissimam, qua cognita nihil desiderare queas, quo ad intelligentiam decem praeceptorum opus sit. Docet enim populum istum juxta decem praecepta bene vivere, tam spiritualiter quam corporaliter, instituitque internum conscientiae regnum, profanam simul rerum politiam, tum externum ceremoniarum modum, plane divina aequitate et sapientia, ut nihil sit in universo genere vitae, quod hic non sit sapientissime et aequissime dispositum.

Haec sunt verba.

Topographia haec est. Ebraei eadem dictione, trans, utuntur, sive ultra Jordanem sive citra Jordanem velint dicere, ut nonnisi ex loco loquentis et audientis judicare possis, ultrane an citra dicendum sit.

Porro desertum apud eos non sic vocatur, quod nihil ibi sit hominum vel rerum, cum in scripturis multae urbes in deserto sitae describantur, sed quod sit silvestris locus. Campestria recte versum est ex ebraeo עֲרָבָה, quod proprie significat planitiem, ubi sine silvis et montibus late patent campi, germanice, ein Feld. Ac vide, quod Mose hic campestria Moab facit in deserto, velut opponens campestria deserto, quasi campestria in silvestribus.

Mare rubrum a graecis dicitur, sed ebraice mare סוּף, hoc est, caricosum aut juncosum. Falsus vi-

detur Hieronymus transferendo (ubi est auri plurimum), cum nomen proprium loci Desahab esse vero similius sit, quod auri abundantiam sonat. Nam et alias saepe idem vir nomina propria facit appellativa, et econtra, qui lapsus in ebraea lingua facilis est.

Topographiam vero istam, ubi dicit: „Versus mare rubrum inter Paran, Tophel, Laban, Hazeroth et Desahab, undecim dietis a monte Horeb usque ad Cades Barnea, per viam montanorum Seir,“ relinquemus incolis locorum, ne frustra laboremus in incertis.

Igitur in anno quadragesimo.

Haec chronographia est. Annus quadragesimus hic est exitus de Aegypto, in undecimo mense, in prima mensis, scilicet in fine vitae Mosi, qui adhuc duobus fere mensibus cum illis erat futurus, in quibus testamentum suum condit, ac illis valefacit.

Observa autem id: „Locutus est ad filios Israel omnia, quae praecepit ei dominus ad illos.“ Nihil nisi mandatum sibi a domino loquitur, hoc enim usque ad taedium in isto libro repetit et inculcat, ut doceat nihil esse in populo Dei dicendum, nisi quod certum sit esse verbum Dei, imo nec hoc satis est certum esse de verbo Dei, sed praecepto Dei cogi oportet quemlibet ad dicendum verbum Dei, ut hic dicit: „Omnia, quae praecepit illi dominus.“ Non ait: Quae suggessit illi dominus, ut frustra sibi impii homines de afflatu Spiritus sancti placeant, dum in suis statutis et consiliis sese non errare divinant. Nam quod hic dicitur: „Coepit Moses explanare legem,“ ipsum quoque eo pertinet, ut nonnisi divinitus mandatum loquatur.

Dominus Deus noster locutus est nobis in monte Horeb: Sufficit etc.

Hic incipit narratio, in qua pulchre repetit et totam historiam in compendium redigit, beneficia et mirabilia Dei, simul et opera hominum impiorum memorans, ut praedicet gloriam et magnificentiam Dei, quo alliciat populum ad fidendum divinae bonitati, et ad metuendum illius iram, experientia doctum, ut sic apti fiant ad suscipiendam legem ejus ex animo. Haec est enim omnium optima praeparatio ad audiendam legem, et ad movendum auditorem, quae fit per evangelicam illam commendationem misericordiae et irae Dei.

Horeb et Sinai idem sunt. Porro Hieronymus hic obscurior est, dum dicit: „Sufficit vobis," item: „Revertimini." Non enim jubet eos reverti, sed postquam in Sinai ferme toto anno mansissent, in quo legem acceperant, tabernaculum aedificaverant, sacerdotioque et magistratu pro legitima populi administratione institutis, item populo per vexilla et acies ordinato et numerato, omnia in justum ordinem redacta fuerant, jussit eos anno secundo, mense secundo, proficisci, et sic ordinatos et instructos recta via tendere ad terram Canaan, ad quam undecim dietis pertingerent per viam montanorum Seir. Hoc est, quod hic dicit: „Satis fuistis in hoc monte, vertite vos et proficiscimini, ut veniatis ad montana Amorraei." Et sic profecti sunt, et mansione vicesima tertia venerunt in Pharan seu Cades, quae et Zin dicitur, ut habes Nume. 10.

Ad montem Amorraei.

Semel hic dictum sit pro rudioribus, montem his et similibus locis, in quibus terras et populos significat, pro montanis accipi, seu potius pro tota terra, in qua varii montes sunt. Hinc saepius legimus: In monte Ephraim, in monte Juda. Sic et hic: Mons Amorraei. Deinde Amorraeus singulare pro plurali seu pro gentili, non pro personali nomine ponitur.

Et dixi ad vos in illo tempore.

Scilicet adhuc in monte Sinai constitutis (de quo dixerat: „Locutus est nobis dominus in monte Horeb"). Dixit autem hoc Exod. 18. suggerente Jethro, antequam legem accepissent. Ideo hic locus narrando sequitur, qui tamen re gesta praecessit priorem.

Observa quaeso hic, quod ante leges de personis et magistratu quaestio est, frustra enim leges feruntur, si desint, qui administrent et exsequantur, simul quod magistratus officium sit, labores, onera et jurgia populi ferre, ut servum, non dominum sese agnoscat, id quod caritas requirit. Qui vero commoda, otium et quietem in magistratu quaerunt, perversi faciunt, ut sibi populus potius serviat, et illius incommodo fruuntur ad suam libidinem.

Negotia dicit assiduam illam occupationem et paratam sollicitudinem pro populo regendo, quibus excluduntur ab otio et quiete.

Pondus dicit patientiam illam egregiam ferendarum infirmitatum et difficilium morum vulgi, qua nisi praeditus sit magistratus, et rigore juris velit omnia exigere, citius perdiderit populum, quam exaltarit.

Scitum est illud proverbium Friderici imperatoris tertii: Qui nescit dissimulare, nescit imperare.

Jurgia sunt causae, quas populus inter sese habet, quibus componendis et disponendis magistratus necessarius est. Ita nihil e populo ad magistratum redit nisi occupatio, sollicitudo, patientia, molestia et labor, ut recte dixerit ille Bias: Magistratus virum ostendit, imo, ut scriptura habet, Dii appellantur, quod plane divinis virtutibus, longe ultra humanum modum, fulgere eos oporteat, qui infirmum illud et varium corpus vulgi sub Satanae regno in terra hostili feliciter curare debent.

Parenthesin illam (dominus Deus addat etc.) etiam apud nos in usu habent, idque satis pie, ubi dicitur vel de pueris vel jumentis bene habentibus: Deus servet, vel Deus benedicat, scilicet ab antiquis traditum, vel ab hoc exemplo Mosi acceptum, ubi statim, ut populum sicut stellas coeli multiplicatum dixerat, addit: „Deus addat," velut fascinum metuens, ut nostrae solent mulierculae suspicari, dum laudantur ab aliquo infantes in faciem.

Date ex vobis viros sapientes.

Bestiae reguntur viribus et arte. Homines regi oportet sapientia et intelligentia, quia ratione viget homo, quae non potest fune aut gladio injecto peti, sed verbo per aurem misso, apprehensa autem ratione per verbum totus homo trahitur et regitur, quocunque velis.

Et hic vides magistratum suffragiis populi debere eligi, quod et ipsum ratio dictat. Ideo et hic populus hac ratione per verbum Mosi captus libens obsequitur

ac laudat Mosen. Nam invito populo obtrudi, periculosum aut perniciosum est. Notos appellat, qui sint cogniti in populo, multo autem magis, qui sint experti et rerum gnari, ut eosdem notos et scientes intelligas. Sapientes sunt, qui divina et humana sapiunt, nempe qui leges et jura ac omnia necessaria pro hominum vita sciunt. Intelligentes ebraice vocantur, qui intenti et acri judicio observantes ceu animo vigilanti sunt, ut qui de omnibus recte et sane judicent, et epiiciam calleant, siquidem multa imponunt sapientibus, nisi et intelligentes sint, et multa fallunt, nisi experti et scientes sint.

Vides itaque divino jure nullam haberi rationem divitum, potentum, nobilium, fortium, amicorum in gerendo magistratu, ut mundus solet, sed sapientum, intelligentium et expertorum, etiamsi sint pauperes, despecti, infirmi etc.

Et sane quaesitum est, an melior sit bonus princeps et imprudens, vel prudens, tamen et malus. Certe utrumque hic Mose requirit, tamen, si utrumque haberi non potest, melior est prudens et non bonus, quam bonus et non prudens, quod bonus prorsus nihil regit, sed solum regatur, nec nisi a pessimis. Prudens etsi noceat bonis, tamen malos simul regit, id quod mundo est magis necessarium et commodum, ut qui est aliud nihil, quam quoddam malorum vulgus. Hanc sententiam et hic Moses probare videtur, dum prime de sapientia disputat principum, deinde de bonitate.

Non agnoscetis personas, item, neque revereamini ullius personam.

Haec est summa et difficillima virtus principum, aequitas scilicet et simplicitas judicii. Nam pauperes et ignobiles judicare facile est, sed potentes, divites et amicos posthabito sanguine, honore, timore, favore, lucro damnare sola inspecta causa, hoc virtutis divinae est, nec hoc facit ullus princeps, nisi Spiritu sancto per fidem Dei animatus. Ideo mundus plenus est principibus, sed fidelem quis inveniet? ait Salomo. Quoties ista sententia in prophetis repetitur, ubi arguuntur oppressionis et injustitiae in pauperes, orphanos et viduas.

Quia Dei judicium est.

Et hic locus est pro magistratu civili fortis, sicut enim vindictam suam esse dicit infra 32., ita et hic judicium suam ordinationem esse dicit. Hoc autem pro solatio et exhortatione dicitur magistratus, ut sciat sese gerere non suam rem, sed divinam, certique sint sese esse ministros Dei et operari opus divinum, esseque in salutis statu, ut eo magis audeant recte et simpliciter judicare.

Hoc etiam vide, ut ante leges datas constituit judices, ut commendet nobis epiikian. Nam judices sunt leges vivae seu anima legis. Ideo priores et superiores sunt legibus, sicut et gladio. Itaque quamvis secundum leges judicare debeant, et per gladium exsequi, tamen in manu habere debent tam legem quam gladium, ne legibus contra leges utantur, sicut stulti illi, qui fixis oculis in legem posthabita circum-

stantia causae solum hoc habent in ore: Sic scriptum est, sic fiat. De hac re alias.

Venistis ad montem Amorraei.

Cades Barnea est vicina terrae Juda versus austrum. Ideo cum jam attigissent fines terrae promissionis, acuit Moses illis animos, et repetitis promissionibus excitat fidem, ut ingrediantur nihil timentes. Verum hic vacillat fides, et superat populum incredulitas, miserabili exemplo, ut hoc merito, cum jam essent in introitu capiendae terrae, retrorsum cogerentur ire, et 38. annis in deserto vagari, donec omnes perirent et nullus intraret, exceptis Josua et Chaleb duobus de tanto numero.

Coepit haec incredulitatis ruina a modico et specioso dubio, dum praetexunt mittendos esse exploratores, qui viam edoceant, nec sese verbo promittentis Dei credunt, qui eos etiam per mare rubrum, ubi impossibilis erat via, duxerat, quasi non possit aut velit eos in terra aperta et pervia deducere. Sic qui in magnis crediderant, in parvis diffidunt Deo, ut scias fidem esse opus non liberi arbitrii, sed gratiae Dei solius.

Est autem et hoc opus Dei mirabile, sicut sunt omnia ejus opera. Nam judaeum populum oportuit cadere, dum jam immineret cervicibus Amorraeorum, ut longanimitas Dei commendaretur, quae gentibus illis jamjam perdendis spatium poenitentiae daret, et converterentur. Sic etiam cum damno et periculo sui proprii populi consulit et gentibus, percutiens illum et parcens istis, ut ostendat sese esse Deum seu Judaeorum tantum, sed et gentium, quamvis et

haec benignitas et longanimitas Dei gentibus fiat per illarum caecitatem in laqueum et scandalum, ut indurentur et impoenitentiam addant, in thesaurum irae et justi judicii Dei.

Nam quis dubitat Amorraeos, cum vidissent hostem retrocedere et in deserto perire, seseque jam tutos et liberos esse, eam induisse persuasionem, quod Deum haberent pro sese pugnantem contra hostes suos? Et fit eis hoc opus Dei decipula ad praesumendum de suis meritis, et iram Dei longe a sese removendam in alios populos, ut jam sine timore pergant in peccatis suis. Hoc est, quod Psal. ait: „Terribilis in consiliis super filios hominum," et videmus hic exemplum utrimque, quid faciat in mundo incredulitas et caecitas hominum.

Numeri 13. scribit Moses exploratores jussu domini missos esse. Quomodo ergo hic dicit, urgente populo eos esse missos? Sic habet universa scriptura, ut collatis undique locis velit se ipsam interpretari, et se sola magistra intelligi. Estque omnium tutissimus modus scrutandi sensus scripturae, si ex locorum collatione et observatione ad illum contendas. Sic supra dixit Mose sese dixisse velut proprio consilio: „Date ex vobis viros," cum Exod. 18. hoc suggerente Jethro dixerit. Ita hic certum est exploratores esse exigente populi incredulitate missos, et dominum ipsorum infirmitati indulsisse et cessisse, ac sic dixisse ad Mosen Numc. 13.: „Mitte etc."

Verum peccavit populus hac trepidatione, et consilio humano coeperunt niti, non solo verbo Dei. Ideo tanta ruina secuta est modicum hoc dubium, et ut Paulus dicit, modicum fermentum totam massam

corrupit. Sic Hevam principio paululum dubitantem nox prostravit serpens incredulitate, qua genus humanum perdidit totum. Adeo non est jocus in verbo Dei et fide.

Odit nos dominus.

Ecce quantam ruinam trahit tandem parvulum illud initium dubitandi et fiducia humani consilii. Jam enim in totum obliti omnium promissionum et mirabilium Dei, solum in sua consilia mersi, digni facti sunt, qui falsos nuntios et praedicatores audiant, et ut Paulus dicit: „Erroris efficaciam illis mittit, qui non crediderunt veritati." Majora illi praedicant et isti credunt, quam res habet, et loco veri verbi Dei mendaciis hominum acquiescunt.

Nunc demum sunt muri in coelum erecti, nunc populus magnus et arduus, nunc enakim ibi, nunc terra absorbet habitantes in ea. Saevit incredulitas amisso verbo Dei, et frustra illis inculcatur per Josua et Chaleb promissio et veritas Dei. Vincit impietas, et mendacium praevalet, veritas prosternitur. Hic fructus est humanae prudentiae et virtutis in rebus Dei.

Denique ad blasphemias veniunt. „Odit nos dominus" (ajunt). Ea scilicet est gratitudo tot miraculorum illis exhibitorum. Et quis digne queat exemplum hoc pessimum incredulitatis exaggerare? Nota ergo, impietas facit pericula plura et majora, quam sint, verbum autem Dei facit nihili. Contra pietas pericula omnia et maxima habet pro nihilo, et verbum Dei pro virtute Dei, Rom. 1., sicut hic Moses dicit: „Nolite timere etc.," promittens Dei virtutem et repetens exempla praeterita ad erigendam fidem, fortiter pugnans verbo Dei, sed nihil efficit.

Nota, si Mosi tot verbis et signis Dei instructo non creditur, sed cogitur impietati cedere totum populum, quid nos miramur, si pauci nobis hodie credant, et totus mundus saeviat incredulitate? Mosi solum duo adhaerent de tanto numero, nec sic tamen desistit, aut officium verbi et ducatus deserit, et frustra praedicat incredulis. Magna est ista historia, et insigne exemplum verbi Dei et humani consilii, in quo videre licet, ut habeat verbi illa omnipotens virtus in mundo.

Cumque dominus audisset, iratus juravit etc.

Ex hoc loco sumtus est versus iste Psal. 94.: „Quibus juravi in ira mea etc.," et exemplum hujus historiae magnifice tractatur in epist. ad Ebraeos. Sed quid est, quod Mose dicit dominum etiam sibi iratum esse propter populum, cum tamen id meruerit proprio peccato, ut scribitur Nu. 20.? Mysterium quidem hic tangit. Veruntamen juxta historiam sic intelligo, quod Moses occasione regendi tam morosi et increduli vulgi tandem lapsus sit in incredulitatem, et hoc vocat hic iram domini propter illos sibi inflictam.

Hoc tamen iterum nobis in doctrinam et solatium scriptum est, ne desperemus peccantes, quando in hac tentatione non modo multi de populo, absque dubio magni ac sancti viri ceciderunt, sed et ipse insignis vir ac dux maximus populi, Mose, cecidit cum Aarone, fratre sancto, ut metuamus dominum ac diffidamus nobis, cum solius illius virtute sumus, quodcunque sumus.

Vos autem revertimini et abite.

Ista est plaga, ut ab introitu terrae rursum retrocedere cogerentur versus mare rubrum, non quidem in Aegyptum, sed in solitudinem, ut ibi consumerentur paulatim per 38. annos.

Peccavimus domino, adscendemus.

Hic unus locus satis esset ad confutandum liberum arbitrium, ut sciremus nihil valere, nisi quod Deus in nobis operatur, sicut hic dicit: „Non enim sum vobiscum.“ Quid enim hic omittunt, quod possit humanum consilium et virtus? Poenitent, dolent, promti sunt, arma capiunt, adscendunt, et prorsus nihil humani hic deest. Et tamen non solum nihil valet aut efficit, sed prohibetur quoque ac damnatur. Item, nec post poenam et cladem acceptam plorantes et lugentes acceptat, quod tamen absque dubio sine fictione ex totis viribus liberi arbitrii fecerunt. Sed quia praesumserunt de se et suis Deo servire et placere, ac gratiam de congruo aut condigno mereri, et opera a se electa, non a Deo praecepta fecerunt, frustra omnia fecerunt.

Verum et hoc factum est ad indurandos Amorraeos, ut peccatis auctis accelerarent sibi interitum, dum victores evaderent, et Deum sibi favere crederent. Atque vide judicia Dei inscrutabilia, populo suo de propriis viribus praesumenti nihil sinit esse prosperum, sinit eum vinci et caedi, quasi non sit Deus illorum; hostes vero Amorraeos viribus suis fidentes sinit prosperari et vincere, ut scias hoc esse magis metuendum atque evidens signum irae Dei perpetuae, si prosperetur impius in via sua, et vicerit in

his, quae Deus nec praecepit nec operatur, sed proprio consilio et vi gerit, sicut permisit hactenus iis, qui prosperati sunt in dolo traditionum humanarum.

De mysteriis hujus capituli.

Quod alias monui saepe, hic repeto iterumque monebo, ut christianus lector primam operam navet quaerendo sensui illi (ut vocant) literali, qui solus tota est fidei et theologiae christianae substantia, qui in tribulatione et tentatione solus subsistit, et portas inferi cum peccato et morte vincit, atque triumphat in laudem et gloriam Dei. Allegoria vero saepius incerta est, et ad fulciendam fidem infidelis et minime tuta, ut quae saepius pendeat ab humana conjectura et opinione, cui si quis innitatur, baculo Aegypti arundineo innitetur. Proinde cavendi sunt aut libero judicio legendi Hieronymus, Origenes et similes patres, imo tota illa Alexandrina schola, quam Philo Judaeus teste Eusebio et Hieronymo laudat in hujusmodi allegoriae studio olim floruisse. Nam horum exemplum nimio laudatum ac receptum posteriores scriptores infeliciter imitati quidvis pro libidine sua e scriptura fecerunt et docuerunt, donec quidam verba Dei absurdissimis monstris aptaverunt, et ut Hieronymus de suo quoque tempore conqueritur, repugnantem scripturam per incongrua trahunt testimonia, cujus tamen facinoris et ipse reus fuit.

Tales sunt, qui hodie de b. virgine totam fere scripturam exponunt, ubicunque invenerint vocabulum generis foeminini, item qui ex castello Marthae aedificant monasteria, et ex fortibus Israel magistros nostros in academiis, et similia innumerabilia portenta,

donec repertus est, qui totam metamorphosin Ovidii ad Christum aptaret, in quo Hieronymus digne stomachatur, epist. ad Paulinum, vocans eos circulatores.

Proinde hic regula Pauli servanda est, ut allegoriae secundo loco habeantur, et pro roboranda et ornanda locupletandaque fidei doctrina aptentur, seu ut 1. Cor. 3. dicit, non fundamentum sint, sed super fundamentum aedificentur, non sicut foenum, lignum, stipula, sed sicut argentum, aurum, gemmae. Quod tunc fit, si juxta praescriptum Ro. 12. prophetia fuerit analoga fidei, scilicet, ut certam praesumas alicubi positam in scripturis sententiam, literali sensu tractatam, et huic tum demum tuam allegoriam idem sonantem applices, non ut allegoria probet aut fulciat sententiam, sed ut probetur et fulciatur a sententia, seu aedificium non sustinet fundamentum, sed a fundamento sustinetur.

Ut ergo hic tuto allegorisemus, praevenit nos Paulus 2. Corin. 4., ubi totum Mosen copiosissima allegoria tractat, comparans gloriam vultus ejus gloriae vultus Christi. Quo exemplo feliciter allegoriam texes, faciens e Mose ministerium legis et peccati et mortis, sicut e Christo ministerium evangelii, gratiae et vitae, ut haec ad Romanos 4. 8. et alias pulchre tradit. Porro Moses unicam faciem Paulus dupliciter spectabilem facit, velatam et revelatam. Velatam illis tribuit, qui ministerio legis tantum ad opera et hypocrisim promoventur. Hi nunquam intelligunt vim legis, sed excaecatum manet cor eorum in lectione veteris testamenti, ut Christi gloriam nec cognoscant nec suspirent. Revelatam tribuit iis, qui per legem non

operantur, sed peccatum agnoscunt et occiduntur, ut ad gratiam adspirent.

Topographia itaque et chronographia locum ipsum significat, ubi lex docetur, id est, populum legis, nempe synagogam, ad quod colludunt omnia vocabula, quae hic Mose ponit, scilicet 1. citra Jordanem, hoc est, ubi nondum de lege in gratiam transitum est, necdum palam docetur evangelium. 2. In campis Moab, quia ibi populus est, qui ex patribus sese natum jactat. Moab enim sonat ex patre. „Nos semen Abrahae sumus" (inquiunt). Et campi Moab sunt ea, quae ex patribus habent, scilicet, nomen, ritus, res, genus, et promissiones futurorum. 3. In deserto, quia sterilis et incultus populus, si ad gratiae revelationem comparetur. 4. Versus mare rubrum, quia horret hic populus crucem et mortificationem veteris hominis, qui in mari illo submersus est. 5. Paran sonat jactantiam gloriationemque, veniens a פָּאַר in ebraeo, hoc enim solet genus hypocritarum. 6. Tophel ruinam sonat, quod ruant de die in diem et pejus habent, sicut christiani de die in diem renovantur. 7. Laban candidum significat, et speciosam pietatis speciem illorum testatur. 8. Hazeroth atria significat, quod justitia legis foris in carne sit, nunquam in sanctuarium spiritus admissa. 9. Desahab auri abundantia est, justitia operum opes mundi devorat. 10. Undecim dies unitate distant a duodecim, quia legis ministerium proximum est apostolico evangelii ministerio, sed tamen deficit ab eo. 11. Via montis Seir via est operariorum legis, quae difficilis, montosa et aspera, atque Seir, id est, hirsuta est, via vero Christi dulcis, facilis et blanda in spiritu gratiae. 12. Occisi

reges Amorraeorum citra Jordanem significant per legis Dei ministerium humana quidem studia damnari externe, et de sola Dei lege gloriari, sed tamen nec ipsam ad spiritum pertingere. Amorraeus enim eloquentem vel loquacem significat, scilicet philosophiam et theologiam humanam, cujus rex primus Sihon, vastator, quia hoc genus doctorum incredibiliter vastat Dei scripturam aequivocationibus et detorsionibus verborum ad suum sensum. Urbs Hesbon, quae vox apud Ebraeos artes et rationem seu quidquid ingenio et arte excogitatur, nimirum rationalem illam sapientiam et (ut dicunt) verbosam theologiam verbis Dei affictam significat, quae impios Amorraeos, id est, verbosos seductores facit, et omnia vastat, sicut tunc pharisaei, et modo academiae et papatus faciunt. Alter est Og, id est, coquus, qui ventrem curat. Basan pinguedinem sonat, quod regnum scilicet Amorraeorum pro sua impietate et verbositate meretur copiam et abundantiam pro ventre, sicut patent exemplá.

Sufficit etc.

Quod hic dominus jubet de Cadés Barnea proficisci in terram promissionis, significat futuram esse aliam doctrinam, nempe evangelii, quam testificatur lex et prophetae, ad quam intrandum fuit Judaeis tempore novi testamenti. Cades enim sanctum significat, Barnea filium vagum vel filium instabilem. Qualis est populus in sancto saeculari, operibus incertis fidens, nunquam quietem habens in conscientia. Igitur haec vox tunc impleta est, quando Johannes baptista et Christus coeperunt docere, ut de justitia et sanctitate carnis migrarent in regnum Dei, dicentes: „Poe-

nitentiam agite, appropinquavit regnum Dei," id est, terra promissionis vera.

Hic incipit illa misera apostasia synagogae incredulae, et moriuntur in ira Dei omnes viri bellatores, sicut dignissime tractat epistola Ebraeo, adducens hoc exemplum incredulitatis eorum, qui nolebant introire in requiem Dei, velut digito Cades Barneam, inquietam sanctitatem, ostendens, quanquam hoc ipsum Judaei toto legis tempore fecerunt, quoties prophetis sanctis discredebant, qui eos ad veram justitiam de Cades Barnea jubebant exire, ad justitiam fidei, maxime vero sub Christo.

Exploratores missi sunt magistri et doctores hujus populi, qui promissionis gloriam et opulentiam videntes, sed diffidentia et metu crucis ac mortificandae carnis resilientes populum impiis doctrinis a fide revocarunt, toto etiam tempore synagogae, ipsi non intrantes, et introire volentes prohibentes: „Ibi sunt gigantes, enakim, civitates munitae et magnae, populus magnus et excelsus." Sic Judaei: „Ne forte veniant Romani, et tollant locum nostrum et gentem," metuunt enim potentiam mundi. Quid enakim et alii sint, postea videbimus.

CAPUT SECUNDUM.

Et circuivimus montana Seir longo tempore.

Hoc est (ut ipsemet in textu dicit) annis 38., ut sensim perirent impii murmuratores, et gentibus daretur

spatium poenitentiae et incredulis Amorraeis scandalum pertinaciae in hac infirmitate populi Dei. Fuit autem ista profectio in Arabia petraea (nam hujus est Edomaea potior pars) a Cades Barnea, confinio terrae promissionis versus austrum, ad mare rubrum, deinde post longum iter reflectebatur ad orientem ad Moabitas. Tunc sequitur:

„Satis circuistis montana haec, ite contra aquilonem," scilicet relictis Edomaeis a sinistris, et Moabitis et Ammonitis (qui ad orientem promissionis terrae habitant) a dextris, ut recta via tenderent ad aquilonem ad Amorraeos, deinde victis Amorraeis ad occidentem versi Jordanem transirent in terram Canaan, ut haec in tabula pulchre videre licet.

Tres autem populos illos, Edomaeos, Moabitas et Ammonitas scribit Moses hoc loco a domino exceptos, cum tamen Nume. 20. dicat Edomitas vi prohibuisse transitum Israeli. Sed diversis locis ista contigerunt. Id quod in Numeris scribitur, gestum est in Cades, confinio Edom et Amorraeorum, ubi poterant compendio transire ad Amorraeos. Sed dominus curavit, ut Edomaei resisterent. Hoc loco autem scribit de confinio Edomaeorum et Moabitarum, post longissimum illum circuitum montis Edom, per viam maris rubri, ubi jam populi illi territi miraculis et virtute Dei in Israel celebratis opus habebant praesidio Dei. Curat autem eos dominus ob merita patrum suorum Lot et Isaac, qui Deo crediderant, ideo nomen eorum deleri noluit.

Dulciter autem et blande praecipit, ne Edomitas invadant et depraedentur, inculcans eis accepta beneficia et promissiones Dei, dicens: „Nam dominus

benedixit te," quasi diceret: Non est opus, ut sis sollicitus aut avarus, nec graveris emere ab illis necessaria, habes enim abunde, ut emere possis et cet.

Nota vero, quamvis hujus populi historia, si in specie consideretur, similis videtur gentilibus historiis, sic enim nunc vincunt, nunc vincuntur, nunc abundant, nunc egent, et utcunque miracula celebrentur, tamen sic abscondit sese Deus, ut videantur omnia geri humana prudentia et casu. Sic apparuit absque dubio gentibus illis impiis omnibus, ideo et restiterunt et sic egerunt in illos, quasi nullus esset Deus in Israel. Ideo hujus populi historiae sunt ab omnium gentium historiis separandae, quantum distat coelum a terra. In historiis gentium spectare licet vel magnitudinem vel parvitatem operum. In hac vero unicum hoc admirandum et venerandum est, nempe verbum Dei, cujus ductu et nutu omnia geruntur ac fiunt. Denique vere vocantur sacrae historiae, non quod a sanctis hominibus res illae gestae sunt, sed quod secundum verbum sanctum Dei, quod sanctificat omnia, et nomine sancto ac vice Dei gestae sunt.

Ideo quamvis omnium gentium facta sint et ipsa mera mirabilia et opera Dei, tamen testimonium verbi et beneplaciti Dei non habent. Ideo sunt res et historiae eorum solum testes irae, terribiles valde significationes horrendi judicii Dei. Proinde totius mundi historiae simul acceptae incomparabiliter viliores sunt, quam una et vilissima quaedam hujus populi historia. Atque hoc est, quod falluntur superbi et carnales simplicitate rerum in scripturis, quod verbi Dei nullum habent respectum et solas res aestimant.

„Novit iter tuum," idiotismus ebraeus, ut Psal. 1.:

„Novit dominus viam justorum,“ Matth. 25.: „Amen dico vobis, nescio vos.“ Verbum est eximiae consolationis, quo excitatur fides, quod nos germanice dicimus: Er nahm sichs an; agnovit, et curam ejus habuit, ut magis affectum quam intellectum significet, ut habent morem syntaxes et verba hujus sanctae linguae. Si enim re ipsa ostenderis, quod noveris vel non noveris aliquem, tum vere diceris nosse vel non nosse.

Elath et Ezeongaber, ad mare rubrum civitates regni Edom, alias satis illustres sunt in sacris literis. Ar Moabitarum principalis urbs, sicut Rabba Ammonitarum. Et Sela, id est, petra, Edomaeorum, a qua Arabia petraea dicitur. Porro Mose distribuit hic gigantes, quos Ebraei raphaim dicunt generali nomine. Eos, qui ab Edomitis de monte Seir expulsi sunt, horim appellat, Moabitae suos, quos expulerunt, emim, Ammonitae suos sammesumim, Cananaei suos enakim. Igitur iidem tyranni variis nominibus apud varios appellati sunt. Huic consonat Gene. 14., ubi memorat a rege Elamitarum esse percussos gigantes in Astharoth (quae postea fuit regni Og in Basan) et susim et emim et horim in monte Seir. Item Gene. 6. gigantes ante diluvium vocat niphlim.

Rephaim autem a sanando nomen habent, scilicet quod proceres illi et heroes terrae et patriae patres et salvatores dici voluerint. Emim ab אֵימָה, quod terrorem significat, terribiles et metuendi dicuntur, quod vi et armis grassentur. Horim, nobiles, illustres, candidi, optimates, a candore, vel quod in oriente principes alba veste utantur, sicut latini trabea et purpura, vel quod prae aliis spectabiles sint. Samme-

sumim a זם, quod scelus aut flagitium significat, videlicet, quod fuerint insignes latrones, praedones, et pro libidine omnia audentes. Enakim a torque gestando, quasi torquati. Niphlim a cadendo, quod irruant, dejiciant violenterque opprimant.

Quod de Evaeis per Cappadoces ex Hazerim expulsis Mose scribit, incertum est, quid velit, nisi quod exemplum adducit, quo monstret, imperante domino ac regna transferente, sicut vult, populi populos expellunt, ut non solum sit Judaeorum tantum, sed et gentium Deus, sicut hic dicit: „Nam filiis Lot dedi eam in possessionem. Et Esau dedi montem Seir." Nam quod Caphthorim hic ferme omnes Cappadoces faciunt, nescio, an nominis analogia ducantur, cum Cappadoces in Asia sint, nisi parvam aliquam manum Cappadocum erupisse in Evaeos voluerint. Porro, quos Hieronymus Evaeos vocat, non sunt Hevaei illi in terra Canaan, filiis Israel traditi, nam hi in ebraeo Hivi per ח, illi Avim per ע dicuntur, quo nomine et oppidum quoddam in tribu Benjamin Josua 18. nuncupatur. Hazerim autem videtur esse idem, quod Hazeroth, una mansionum, Numeri 33., de qua et supra capit. 1. Gasa certo est oppidum Palaestinae. Ergo Avim habitasse apparet inter terram Canaan et Aegyptum, in dorso montis Seir seu Arabiae, confines Madianitis.

Transite torrentem Arnon.

Ubique sonant verba, quasi Arnon sit torrentis nomen, quamvis Hieronymus dicat esse rupis in sublime porrectae nomen inter Moabitas et Amorraeos. Quod si verum est, oportet torrentem fuisse in valle

sub rupe, ad quod et Num. 21. alludit Mose, ubi recitat cantico vulgari cantatum esse: „Ignis devoravit cives excelsorum Arnon;“ et in fine hujus cap. videtur torrentem separare ab Arnon, ubi dicit de oppido in torrente sito, et non addit Arnon.

Ecce tradidi.

Innovatur promissio et praemittitur verbum Dei, quo jubente et dirigente res in fide gereretur, non praesumtione aut consilio humano, ut diximus. Est autem magnifica promissio, traditum esse regem Sihon, ut certi essent de victoria, nec solum hoc, sed et terrorem nominis Israel praedicit in omnes populos venturum, ut securi sint undequaque, nullos fore vel a latere vel a tergo hostes, qui Amorraeis succurrant, et Israelitae nihil solliciti sint, nisi ut Amorraeos perdant.

Misi nuntios de solitudine Kedemoth.

Kedemoth Josua 13. inter oppida tribus Ruben numeratur, quamvis alii ex hoc loco et deserti nomen esse velint. Ego vero credo Mosen sic velle dicere: Misi nuntios de deserto, quod ad urbem Kedemoth pertinet, ut solum sit urbis nomen, scilicet, quod Mose velit se non fuisse in urbe, sed in deserto juxta urbem, nempe in finibus primis Amorraeorum.

Vides autem hic, etiam hostibus primum offerri pacem, de quibus tamen Deutero. 20. mandatur, ut prorsus ad internecionem deleantur, qua causa et vulgus contra principes murmurat in Josua, quod cum Gibeonitis foedus fecissent. Oportet ergo sic intelligi, quod pacem primo omnibus offerre debebant,

quam qui recusarent, perderentur, qui vero sese dederent, tributarii fierent.

Induraverat dominus spiritum ejus.

Hic gloria et virtus liberi arbitrii celebratur, scilicet quod non sit nisi nihil, ut et Ro. 1.: „Tradidit illos Deus in desideria sua;“ et 10.: „Quem vult, indurat.“ Si igitur quidquam valet, age, faciat, ne induretur a domino. Indurare autem est erectos animos, superbos atque securos facere, ut omnia praesumant, neque iram neque judicium metuant.

Ab Aroer super ripam.

Duas civitates memorat, Aroer super ripam torrentis, aliam in torrente sitam. Hoc sic intellige, Aroer fuisse in vertice montis Arnon, ut Hieronymus dicit, qui mons subterlabentem habuit torrentem in valle, in qua sita fuit alia civitas. Aroer autem cessit tribui Gad, Josua 13.

Observa hic speciem magnam mendacii in Mose. Rex Sihon tantum habuit regnum, quod duae tribus, Ruben et Gad, occupaverunt, hoc est, forte sexies minorem populum, quam Moses. Quae ergo illa magnifica victoria, ut tam numerosus populus Israel tam parvum superarit? Quid hic opus promissionibus Dei? aut ubi est species illa tam magni miraculi? Verum, ut dixi, per istos quadraginta annos humiliaverat populum suum in deserto, et velut fugientem rexerat, deinde ab Amalekitis et Cananaeis quandoque percuti permiserat, inflabantur hostes Amorraei, praesumentes parva manu illos vincere. Interim autem populus Dei didicerat sola virtute Dei niti. Sic semper regit po-

pulum suum dominus, ut appareat victo quam simillimus, et hostes ejus victoribus simillimi, et hoc ipse implet mirabilia sua.

Mysteria duorum regum et nominum in primo cap. vidimus. Et occisio illa certe significat occisionem peccati per verbum Dei.

CAPUT TERTIUM.

Iterum promissio praemittitur pugnaturis cum Og, rege Basan, ut historia sit sanctificata verbo Dei, et sola sapientia Dei res gerantur. Cetera omnia plana sunt, nam locorum et montium illa nomina, Argob, Basan, Gilead, Hermon, qui Sirion et Senir dicitur, et reliqua etiam sequentibus libris satis celebrantur.

Oportet regem Og fuisse insignem gigantem, qui solus, etiam audita caede regis Sihon, ausus est congredi cum Israelitis, neque regi Sihon auxiliatus est, scilicet fretus magnitudine roboris sui, ut hic scribitur fuisse novem cubitorum longitudine. Et absque dubio non solus fuit tam procerus, sed regnum suum talibus gigantibus administratum est, quorum quilibet praesumsit multos ex Israel occidere, sicut de enakim Nu. 13. dicunt: „Quibus comparati quasi locustae videbamur." Si enakim multi fuerunt, et gigantes regis Og multos fuisse credibile est, ut opus fidei in populo Israel et miracula promissionis Dei magis eminerent. Nam coram uno gigante sub Saule omnes Israelitae fugiebant, quod et hic fore sperabat Og, et factum

fuisset, nisi fides populi et veritas promissionis Dei miraculum ostendisset.

Id quod nos reddidimus „sub scatebris Pisga“ Hieronymus: Ad radices Phasga, ebraice sonat: Assedoth Pisga. Nec certum est adhuc, sitne proprium an appellativum nomen, quanquam huc ferar, ut prope credam urbis nomen esse, motus ex cap. 13. Josua, ubi inter urbes tribus Ruben numeratur Assedoth Pisga, hoc est, Assedoth in radice montis Pisga. Sed et Hieronymus lib. de locis ebraicis dicit nomen urbis esse. Significat alioqui scaturigines, scatebras, effusiones etc.

Expediti praecedite.

Hoc Rubenitis, Gadditis et Manassitis dicit. Sed haec sonant, quasi viribus suis bellare eos velit. Verum haec fiunt, ut sit locus fidei et promissioni divinae, et ne tentetur Deus manifeste. Nam etsi Deus omnes filios hominum creet, alat, servet et regat, tamen non vult otiosos esse ullos, sed dedit membra, quibus alius alium generet, foveat, regat, quibus Deo datur occasio creandi, pascendi et regendi, ut sic sub opere humano abscondita virtus Dei fide percipiatur omnia agere, et fallantur increduli, qui opus hominis solum considerant, et virtutem Dei ignorant.

Sic et hic armis uti jubentur, et tamen in arma fidere prohibentur. In opere Dei incedunt viribus suis, et tamen de viribus suis non praesumunt. Quid ergo sunt vires humanae, ubi fides et verbum regnat, nisi larvae quaedam Dei, sub quibus latens operatur mirabilia sua, dum per infirmitatem illarum provocat in se

superbos, fortes, sapientes et sanctos? ac ubi impegerint, mox eos evacuat et triumphat, et ostentat palam. Beatus, cujus membra et arma sic Deo serviunt. Imo qui talem esse potentiam et sapientiam Dei noverit, is plane non in larvam Dei, sed in verbum sub larva potens fidit, et magnalia, imo omnia in domino potest et facit. Sic fiet, ut liber et tutus incedat in medio praesumtionis et desperationis, ut non tentet Deum, dum habet, quibus utatur, rursus non desperet, si desint, quibus utatur. Deus enim, qui cum eo operatur sub rebus, quas habet, etiam operabitur cum eo sine rebus, ubi nihil habuerit, ut sic nec abundet nec plus habeat, cum omnia affuerint, nec egeat aut minus habeat, cum omnia defuerint. Utrobique enim Deum habet, sicut Paulus dicit: „Didici abundare, didici penuriam pati etc." Impii vero praesentibus bonis inflantur, absentibus dejiciuntur, quia solam larvam rerum apprehendunt, reliqui tentant, qui datis non volunt uti.

Josua quoque praecepi.

Repetit promissiones futurarum victoriarum et institutionem ducis, et simul praeterita inculcat, ut fidem eorum tam ex futurorum promissione quam praeteritorum exhibitione roboret, cum ipse non cum illis transiturus sit Jordanem, nec id a domino precibus potuerit obtinere. Et ita concludit hoc capitulo narrationem coeptam, qua historiam totam recapitulavit. Sequenti capitulo incipit exhortari et legem explicare, et Deuteronomium orditur.

Sed cur Mose non exauditur, cum sit verisimile in spiritu eum orasse? Hoc nobis in exemplum ce

solatium scriptum est. Nam quamvis dominus eum non exaudiat, quo sensit Moses eum sibi iratum, ut hic dicit, tamen non derelinquit eum, jubet eum adscendere in montem, et terram considerare, et Josua mandare. Ita cum non sciamus, quomodo oporteat orare, nihil miremur, si non exaudiamur, simul tamen nullo modo dubitemus nos esse gratos et caros Deo, et benignitatem sub ira comprehendamus, ne dejiciamur.

Mysterium.

Quod Mose Jordanem non transit ad terram promissionis, sed duci alteri id resignare jubetur, illud insigne mysterium est, quod, ut ad Ebraeos dicitur, nihil ad perfectum duxit lex. Neque enim lex dat spiritum gratiae, ideo non introducit in regnum Dei, ubi est hereditas vera domini. Occidit quidem Moses duos reges citra Jordanem, id est, peccatores lex humiliat, et occisos ostendit, et nihil vivum relinquit, id est, nullius rei fiduciam, deducit enim ad inferos, et est ministerium mortis, salvis tamen pecoribus et facultatibus, quae in praedam veniunt, quia lex non occidit hominem corporaliter, sed fiduciam cordis, qua occisa quidquid homo est et habet, cedit in obsequium legis ceu praeda, et vivit miser homo omnibus viribus captivus legis.

Verum quia non praedicat remissionem peccati, quod per suum ministerium excitavit, ideo cogitur mori in terra Moab extra regnum Dei. Quia non licet in populo libertatis exactionem legis occidentis docere, sed donationem spiritus vivificantis, ideo hic tota lex cadit, ut nihil ejus sit reliquum, ut nec homo sciat, ubi sit sepulta.

Josua vero, qui et nomine et re gesta Christum significat, quamvis fuerit minister Mosi, tamen mortuo domino introducit populum, et distribuit hereditatem domini. Sic Christus factus primum sub lege servivit illi pro nobis, tandem finita ipsa aliud ministerium evangelii instituit, quo ducimur per ipsum in spirituale regnum laetae et securae in Deo conscientiae, ubi regnamus perpetuo.

CAPUT QUARTUM.

Et nunc Israel audi statuta et jura.

Finita narratione et recapitulatione hoc capitulo texit exhortationem ad auditores legis, quam sequenti capitulo incipiet. Est autem exhortatio plane copiosa, atque ut linguae hujus mos est, etiam verbosa. Toties enim hic, sicut et alias, eadem repetit, ut, si carnalis assit lector, qui non intelligat, quid agatur, non possit non offendi. Verum nostrum est, taedio imperare, qui scimus verba Dei esse, quae audimus. Deum vero audire, etiamsi eandem syllabam perpetuo sonaret, beatitudo est, quanto magis, si tam varia et tam diligenter loquitur? Proinde non modo verba, sed multo maxime personam loquentis; nempe Dei, nos convenit cum tremore observare.

Agit autem repetitio illa frequens, ut nos, qui propter carnem semper labimur, semper frigemus ac pigri sumus ad bonum, semper proni et intenti ad malum ab adolescentia, habeamus assiduum paedago-

gum, et exactorem, qui peccatum coerceat. Simul in hoc virtus legis monstratur, cujus est instare, urgere et donec gratia succurrat, non cessare a fatigando accusando, damnando, ut apostolus ait: „Lex iram operatur.“

In ebraeo sunt ferme sex aut septem vocabula legis, תּוֹרָה, מִצְוָה, חֻקָּה, פִּקּוּד, עֵדוּת, מִשְׁפָּט, מִשְׁמֶרֶת.

Primum תּוֹרָה proprie legem significat, et ab instruendo nomen habet, unde vocatur instrumentum.

מִצְוָה praeceptum est, ut in Mose legitur saepius: „Sicut praecepit mihi dominus.“

חֻקָּה transferunt ceremonias, et placet. Nam proprie significat ritum et morem sacrorum, quae ego statuta voco, ut Psal. 2.: „Narrabo praeceptum domini,“ ebraice: Narrabo de ritu et statuto, scilicet de novo ritu et ceremonia vera, quae est credere Christum, filium Dei, ut ibidem sequitur, in quo omnes omnium ceremoniae implentur et referuntur.

פִּקּוּד, id est proprie, quod latini mandatum dicunt, ger. befehlen. Nam verbum פָּקַד visitare, constituere, ordinare, censere, et omnino mandare significat. Inde venit Psal. 108. פְּקֻדָּה, quod episcopen graece sive diokesin dicunt, et episcopatum ejus accipiat alter, id est, officium demandatum seu administrationem. Noster vertit justificationem fere ubique.

עֵדוּת testimonium est, quod Deus per legem suam et verbum sese testetur adesse et nos curare, quo conscientiam de Deo habeamus, quem alias neque videmus neque sentimus neque intelligimus.

מִשְׁפָּט constanter reddunt judicium, nec male, nisi quod opus est scire latitudinem ejus vocabuli in ebraeo. Nam significat et ipsum officium seu administrationem juris, ut Psal. 1.: „Non persistent impii in judicio,“ quod aliqui dicerent: In regimine. Item Psal. 72.: „Deus judicium tuum regi da.“ Inde est liber judicum, qui latine diceretur liber principum, rectorum, consulum vel magistratuum. Item Psal. 110.: „Judicabit in nationibus,“ id est, regnabit. Secundo significat ipsum opus et exsecutionem judicii. Hinc illa vox passim in scripturis, facere judicium et justitiam: „Facit dominus judicium inopis,“ et: „De vultu tuo judicium meum prodeat,“ et: „Locutus est cum eo judicia.“

Ultimo significat proprie id, quod latine jura, scilicet leges, quibus homines inter sese civiliter in rebus profanis disponuntur, unde et saepius pro consuetudine et more aliquo accipitur, velut pro jure gentium aut naturali, ut Exodi 22.: „Secundum judicium filiarum faciet cum ea;“ et Psal. 118.: „Secundum judicium diligentium nomen tuum.“ Haec latitudo vocabuli passim in scripturis obscuritatem et ambiguitatem parit. Ideo diligenti observatione opus est.

מִשְׁמֶרֶת observantiam seu custodiam sonat, scilicet generale nomen super omnia praedicta, imo si diligenter consideremus, duo aut tria tantum erunt vocabula legem proprie significantia, nempe חֻקָּה et מִשְׁפָּט, statutum et jus, quorum alterum ea tradat, quibus erga Deum ordinamur, scilicet חֻקָּה, alterum ea, quibus erga homines ordinamur, scilicet מִשְׁפָּט. Et haec duo satis sunt, et videtur differentia ista

mihi proba et constans. Sic enim et Mose hoc capitulo incipit: „Audi statuta et jura, quae ego doceo,“ velut iis duobus verbis omnia complectens, quasi dicat: Docebo vos, quomodo recte vivetis coram Deo et hominibus.

Cetera ergo vocabula omnia generalia sunt, et statutorum ac jurium vim atque naturam indicant, scilicet תּוֹרָה, quod nos instruat et erudiat, ne bestiae simus et in tenebris agamus. מִצְוָה, quod nos ligent, et exigant, ne libere contemnamus, quae docti sumus. פִּקּוּדִים, quod nobis mandentur ad exsequendum, ut habeamus, quod agamus, ne otiosi simus. עֵדוּת, quod (ut dixi) nobis testimonio sint, Deo nos curae esse, et certa conscientia ipsum ubique et semper praesentem habeamus. מִשְׁמֶרֶת, quod diligentiam et observantiam sui requirant, ne segnes et stertentes simus in faciendis illis.

Praeter haec sunt et illa, דָּבָר, אִמְרָה, נְאֻם, verbum, eloquium, dictum, item דָּתָן et טַעַם sed haec duo raro in usu, ut Psal. 119.: „Bonum טַעַם et scientiam doce me,“ quod nos bonitatem et disciplinam habemus, ac significat fere gestum illum, quem nos mores et habitus corporis vocamus, sicut Psal. 34.: „David mutavit mores suos coram rege Ahis,“ ut habet ejus Psalmi titulus.

Reliqua ergo sunt duo illa חֻקָּה et מִשְׁפָּט, statuta et jura, in scripturis celebratissima, a quibus veniunt judices et judicandi potestas. Ab illo vero regendi in spiritualibus magister, quem Mehokuk vocant, Gene. 49.: „Nec dux de femore ejus,“ Ebraeus: Nec doctor de sub pedibus ejus, id est,

semper erit in Juda, qui divina doceat, et ad pedes habeat discipulos, a quibus non tolletur, donec veniat Silo.

Non addetis nec auferetis.

Antequam Moses quidquam statuat aut doceat, id ante omnia curat, ut illibata et intacta serventur, ne quidquam addatur vel dematur. Et hic locus brevi sententia omnes humanas leges damnat, et in re conscientiarum nihil nisi legem et verbum Dei valere decernit, atque in] hoc satis esse deberet voluntas Dei, quae sic censet, quanquam et ipsa ratio et necessitas idem exigat. Nam cum simus per Adae peccatum in caecitatem mersi, ut Deum prorsus ignoremus, in omnibus voluntatibus et consiliis suis, non modo stultum sed et impossibile est, ex nobis ipsis parare lucem et viam, qua ad Deum pertingamus, et deprehendamus, quid a nobis velit fieri, sicut ille in lib. sapientiae dicit: „Cogitationes mortalium timidae et incertae. Quis enim hominum scire potest, quid velit Deus?“ Nisi ergo Deus revelarit legem suam, qua voluntatem suam nobis notam facit, Psal. 103. manet illud nostrum elogium: „Omnis homo mendax, omnis homo vanitas;“ et Isa. 55.: „Sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltantur viae meae a viis vestris.“ Proinde stultissimum est argumentum illud sophistarum pro libero arbitrio: Habeo libertatem regendi vaccam, projiciendi pecuniam, ergo habeo libertatem faciendi, quod Deo placet, et ei serviendi. Idem est ac si diceres: Possum pedibus calcare terram et super terram incedere, ergo possum in coelum quoque ire, et super nubes ambulare.

Habet quidem homo ex prima institutione notitiam et potestatem regendi et faciendi cum sese inferioribus liberam, sed se ipsum regere, et facere, quae suo superiori placeant, neque novit neque potest. Ibi cessat liberum arbitrium, sed necessario ibi caecus, impotens, imo mortuus et damnatus est. Ideo hic nihil debet praesumere aut eligere, quod faciat, sed solo et unico verbo Dei niti, nec addere quidquam, nec demere, ut, ubi non est certissimus verbum Dei adesse, prorsus non accedat, ubi certus est adesse verbum Dei, non discedat. O necessaria admonitio.

Sed dices: Cur ergo tot libri prophetarum additi sunt? Et David constituit templum aedificari abrogato tabernaculo Mosi, et ordines Levitarum distribuit, et Josua multa fecit et mandavit populo, sic de aliis multis dici potest. Respondeo: Hoc non est demere vel addere verbo Mosi, si quis idem aliis aut pluribus verbis docuerit. Sic Mosen prophetae, non se ipsos docuerunt et explicaverunt, et secundum ejus legem judicaverunt, et corripuerunt reges et populum.

Deinde Mose hic non de Deo, sed de populo dicit: „Non addes etc." Quis enim dubitat, quia Deus ipse pro tempore addere et demere possit? Ipse enim sive addat sive demat, semper manet verax, et verbum suum semper est verax, et fideliter ducit ac servat nos. Sic David in Paralipo. testatur sese non suo arbitrio, quod Deus reprobavit, licet a Nathan laudaretur, sed mandato Dei templum fieri jussisse ac Levitas ordinasse. Sic Josua mandatum Dei habuit, ut juberet, quae jubenda erant. Sic omnes prophetae, si quid aliud docuerunt, id ipsum eis dominus revela-

vit, sicut et Mosi, seu ut Petrus ait, Spiritu sancto inspirati sunt, ut loquerentur.

Ut servetis praecepta domini.

Vide Mosen, qui causatur, ideo nihil esse addendum vel demendum verbis Dei, ne non serventur praecepta Dei. Quo dicto ostendit hominum traditiones in re sacra pugnare cum verbis Dei, ut quae obstent et scandalo sint, ne serventur praecepta Dei, quo nomine et Paulus eas infamat Tit. 1. docens, quod avertant veritatem, et Ro. 16., quod seducant corda innocentum, et Christus cavere nos jubet a fermento pharisaeorum et a lupis sub vestibus ovium.

Oculi vestri viderunt.

Ex variis texit exhortationem suam Moses, ut rejectis hominum additamentis et depravationibus puro et solo Dei verbo adhaereant. Primum ab exemplo praesentissimo Baal Peor, ob cujus cultum, quia erat ultra verbum Dei per homines inventus, tot filios Israel perdens, satis ostendit, quam velit prorsus nihil addi suis praeceptis.

Nec valet, si quis pro traditionibus hominum opponat, Moabitas fuisse idololatras, et daemonibus sacrificasse, nos vero nostris ceremoniis Deo vero servire pia intentione et bono zelo inventis, ideo non esse nostra studia illorum similia.

Respondeo: Moabitae et aliae gentes non coluerunt daemonia, quod scirent esse daemonia, sed crediderunt sese Deo vero servire, non minus quam Judaei idololatrae, imo omnes nostri papistae, etiam sanctissimi et religiosissimi, sed impietas eorum erat,

quod verum veri Dei nomen assumserunt, et ritibus non a Deo praeceptis sed a sese inventis eum coluerunt.

Qui enim talia faciunt, in corde suo cogitant Deum verum esse ejusmodi, qui velit coli, et gratum habeat, quidquid ipsi homines, adhuc impii, sine verbo Dei tentant. At talis non est Deus, qui velit impietatem, ut Psal. 5. dicit, sed est justorum Deus, et a piis et justis vult coli, per verbum et gratiam suam, non per proprias vires justificatis. Quare necesse est, ut illorum cogitatio de Deo sit merum figmentum et mendacium, et Deus, quem ipsi sic sibi fingunt et formant, non est verus Deus, sed idolum cordis sui, sub quo diabolum, ejus mendacii magistrum et patrem, adorant. Et sic vere sub veri Dei nomine vero falsa imaginatione idola et daemones colunt.

Proinde in scripturis alienos Deos non oportet sic intelligi, quasi cultores eorum prorsus abnegaverint nomen veri Dei, imo pertinacissime illud sibi vendicabant, ut legimus in prophetis, sed quod retento nomine veri Dei sine vera cognitione Dei (quam caro et homo ex se habere nequit) cogitaverunt de Deo, quae sibi ipsis recta videbantur, quasi Deus esset formabilis et mutabilis secundum imaginationes et visiones cordis sui, cum ipse sit informabilis et immutabilis. Ubi ergo non est verbum Dei, ibi non est vera notitia Dei, ubi notitia Dei non est, ibi impiae sunt ignorantiae, imaginationes, opiniones de vero Deo, quasi illis et istis delectetur, quae nos proprie eligimus. At haec omnia sunt impiae culturae, quibus Deus verus non tangitur, sed loco et nomine suo phantasmata et idola cordis. Haec autem sunt Dii alieni, scilicet daemones, harum opinionum magistri.

Tum proceditur foras, et secundum eas opiniones erigitur ritus, doctrina et regimen, quibus diversa dant nomina, appellantque Deum nunc Baal, nunc Astaroth, nunc Dagon etc., sicut et nos fecimus, dum Deum appellamus Benedictum, Franciscum, Dominicum, et super omnia papam, quia omnibus illis ritibus et doctrinis opinamur nos Deo placere, quae opinio est mendax idolum cordis, sub quo loco et nomine Dei sedet Satan et adoratur.

Hoc est, quod apostolus Roma. 1. tangit: „Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in disputationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum etc.“ Cognoverunt inquam Deum, id est, notitiam habuerunt, quod divinitas aliqua esset, quod probant eorum studia, quibus coluerunt loco Dei idola. Nisi enim divinitatis notitiam habuissent, non potuissent eam tribuere idolis, nec nomen Dei usurpare. Sed haec erat insipientia eorum, quod non glorificaverunt eum sicut Deum, hoc est, talem sibi finxerunt esse Deum, qui ipsorum opinionibus et studiis coleretur, ut sic ipsi gloriarentur, qui Deo aliquid gratum suis viribus facere possent, et gratiam ejus mereri. Hoc autem est Deum inhonorare, et non agere gratias pro acceptis a Deo, sed superbire et praesumere de oblatis Deo. Hoc est aliud nihil, quam velle Deum formari a nobis, et nos non formari a Deo, velle consilia et cogitationes Dei nostris consiliis et cogitationibus assimilare, sicut dicit in Isaia: „Quam similitudinem ponetis ei?“ et 55.: „Quomodo exaltantur coeli a terra, exaltatae sunt viae meae a viis vestris.“

Quod vero Moabitae comessationibus et libidini-

bus suo Baal Peor servierunt, non arguit, ideo daemonia ab eis esse culta. Nam ea est fortuna traditionum humanarum, ut nonnisi ventris animalia alant, ita ut Paulus audeat ventrem eorum Deum vocare, et Ro. 16. servire eos suo ventri pronuntiet. Et prophetae omnes eos arguunt, quod vorarint populum Dei. Hoc et testantur luci et excelsa in synagoga, ubi sub arboribus frondentibus lasciviebant. Sic et in nostro papae regno videmus, ut palam et impudenter luxui, otio, crapulae et libidini serviant, simul tamen suas horas murmurent, et missas crucifigant.

Baal Peor vir hiatus dicitur, quem multi putant Priapum fuisse, eo fortassis moti, quod Moabitae libidinibus in ejus cultu indulserint. Sed hoc nihil movet, cum libidines (ut dixi) omnium traditionum et impietatum humanarum insigne sit, tum haec historia Israel vetustior esse videtur, et gesta, antequam Priapus in Graecia nasceretur. Arbitror itaque Deum verum hoc mendaci nomine et falso cultu a Moabitis honoratum esse, quemadmodum a filiis Israel Baalim vocabatur, ut testatur Hoseas propheta. Deinde video apud Ebraeos Baal in compositione primatum significare. Sic enim balsamum vocant, id est, primarium, illud oleum (שֶׁמֶן enim oleum vocant), item Beelzebub, primaria musca, ut nos dicimus, archangelus, archimagirus, archidux, archiepiscopus. Sic Deum Moabitae Baal Peor primarium hiatum forte appellarunt, causa mihi incognita, nisi divinare velis, quod Deus metuendus ac praecipuus vindex sit, paratus omnes impios et adversarios populi sui devorare, nisi*) hoc modo colatur, quemad-

*) In edit. princip.: si.

modum apud nos papistae Deum finxerunt vindicem praesentissimum, si quis suadente diabolo clerico nocuisset. Sic et e sancto Antonio, Sebastiano, Valentino et Rochio pro suo ventre alendo quosdam Baalim Peor fecerunt.

Sicut praecepit mihi dominus.

Haec sola causa satis esse debuit, ut omnia libenter facerent, quod Dei ipsius praecepta tradit, non sua propria, etiamsi nulla poena aut praemium sequeretur. Et hic est alter locus exhortationis, qui recto ordine sequitur. Nam primus terrorem et iram Dei tractat, a qua incipere debet legislator, deinde Dei gloriam et amorem subjungere, ut territos alliciat ad amorem.

Haec enim est vestra sapientia.

Tertius locus est ab excellentia et dignitate super omnes populos, quae hinc sequitur. „Qui enim honorificant me (inquit), honorificabo eos." Sic si Deum glorificarent, servando statuta et jura illa, erat futurum, ut rursum eos dominus glorificaret, sparsa per orbem fama de sanctitate tum legum tum populi servantis ea, qua fama plurimi traherentur ad verum Deum. Et sic etiam hac gloria, qua ipsos Deus inter populos glorificaret, Deus magis glorificaretur. Sic enim omnia opera Dei, quibus suos sanctos glorificat, serviunt impiis, ut et ipsi convertantur. Haec est caritas, quae omnia nostra in commodum proximi facit et accipit.

Sapientia et intelligentia sic, credo, differunt, quod sapientia ad cognitionem rerum, intelligentia ad judicium pertineat, ut sapiens sit, qui ea norit, quae

fidei et religionis sunt erga Deum, et juris ac caritatis erga proximum, intelligens vero, qui in utrisque acutus, prudens et cautus sit, ut recte in his incedat, et nulla fallacia seducatur, germanice, weis und klug.

Sed hoc magis perpende, quam paucis verbis Mose universam sapientiam et scientiam hominum reprobet et damnet, ostendens sapientiam et intelligentiam populi Dei non esse argutas illas sophistarum speculationes nec magnificas illas principum et prudentum sanctiones, sed notitiam et observantiam legis Dei. „Haec est (inquit) sapientia et intelligentia vestra.“ Esto igitur aliquis sapiens in regenda substantia mundi (siquidem sunt et sapientes, ut faciant mala), populus Dei nusquam petere debet sapientiam nec ullam aliam nosse, nisi ex lege Dei sui, ibi copiose et feliciter inveniet, quomodo erga Deum et homines, quomodo in prosperis et adversis, quomodo in pace et bello se habere debet. Nam aliunde petita sapientia nihil nisi stultitia coram Deo est. Igitur stultos facit hoc verbo Moses omnes homines coram Deo in omni sapientia et prudentia eorum.

Deos appropinquantes.

Gloria et jactantia hujus populi est prae omnibus populis terrae, quod Deus eorum est illis prope, deinde quod justa habet jura et statuta, quae si servarent, essent populis admirationi et saluti. Plane pulchra et jucunda consolatio et fidelis promissio, esse Deum prope. Celebravit hunc locum David in Psal. suis et alii prophetae passim. Verum simul involvit et indicat crucem populi Dei. Nam adesse prope invocantibus arguit, invocantes esse in tribulatione, quae cogit in-

vocare, sicut et vere fuit hic populus semper, et omnes, qui pie vivere volunt, persecutionem patientur, ut stet locus invocanti fidei, et propinquandi Deo sit occasio.

Aliorum populorum cultus, ut habent impia statuta in Deum et iniqua jura in proximum, ita habent Deos longinquos, qui salvare non possunt, imo qui curantur et defenduntur a suis cultoribus.

Notam facies diem.

Hanc diem ecclesiae seu congregationis saepe inculcat Mose, quia in hoc audierat populus legem Dei in monte Sinai tempestatibus et tonitruis terribili, ubi non loquebatur homo, sed summa illa majestas per angelorum ministeria; et ab hac die coepit auctoritas Mosi, ut dicitur Exodi 19. et universa institutio populi.

Vocem verborum ejus audistis, et nullam similitudinem vidistis.

Hic locus non modo damnat imagines externas Dei, quas populo rudi et puerili prohibitas voluit, sed multo maxime internas, quae sunt (ut supra diximus) opiniones et cogitationes de Deo ex nobis extra vocem Dei fictae. Hic certe sola vox verborum ejus commendatur, et quidquid de Deo dicitur aut cogitatur, quod non sit ista vox verborum ejus, prorsus impium et damnatum est. Nam solo suo verbo voluit suam voluntatem, sua consilia deformari nobis, non nostris conceptibus aut imaginationibus. Non ergo hoc placet aut displicet Deo, quod tibi videtur ei placere aut displicere, quantumvis sancte et pie vide-

aris tibi cogitare (ut fecerunt religionum et sectarum auctores et professores), sed quod ipse voce sui verbi definit sibi placere et displicere. Nemo enim significat aut indicat Dei voluntatem, quam Deus ipse, imo nemo non impie errat, si hoc tentet, cum nemo norit profunda Dei, nisi Spiritus, qui est in Deo. Proinde impossibile est, ut homines sine verbo Dei certo recte de Deo sentiant, cogitent, praedicent aut colant. Stat sententia: „Vocem ejus audistis.“

De fornace ferrea.

Vehementi verbo appellat servitutem Aegypti fornacem ferream, non solum propter historiae crudelitatem, sed et propter conscientiarum miseriam sub legis ira et traditionum tyrannide oppressarum, quarum figura fuit populus Israel in sua fornace Aegyptiaca.

Deus ignis consumens et Deus zelotes est.

Celebratur hoc dictum et in epistola ad Ebraeos, et dignum est, quod celebretur ad terrendos et humiliandos impios. Duo autem sunt: „Ignis consumens et Deus zelotes.“ Ignis vocatur, quod prorsus devoret, et nihil reliquum faciat impiis, nec sit, quod resistere queat irae ejus, zelotes, quod eo animo sit, ut parcere non velit. Quis ergo hunc non timeat, quem scias et nolle parcere, et vindicandi virtutem habeat implacabilem et incessabilem? Porro hanc iram dupliciter exercet, primum spiritualiter et subito, dum impiis subtrahit Spiritum suum, ut omnia vastet Satanas, deinde et corporaliter et lente, dum et corpora occidit, terras vastat, et omnia in nihilum redigit.

Et notabis insigniter, Deum a Mose describi ig-

sem et selctem circa primum praeceptum, in quo maxime contemnitur, ubi maxime debebat timeri et coli, ut videas, quod praeceptum potissimum ipsemet urgeat, nempe, ut sit nobis Deus, ne fiduciam ullam operum erigamus, sed sola ejus misericordia nitamur, quamvis videatur in nulla re magis dissimulare, quam in hac impietate, dum sinit impios abundare, et regnare impunitos ac plurimos seducere, ut neque ignis neque zelus, sed frigus et ignavia videatur apud Deum esse, ut et Psalmi plerique querantur eum dormire, et rogent eum surgere.

Testes invoco.

Ultimus exhortationis hujus locus est comminatio. Sic enim solemus exhortari ab utili, necessario, honesto, religioso, tandem a periculo etc., quod et hic Mose facit.

Novissimo autem tempore.

Hoc novissimum tempus generaliter dicitur pro eo, quod nos dicimus, postea. Vult enim Mose talem definire iram Dei, ut relinquat semper poenitentiae locum postea resipiscentibus. Id quod et eventus probavit historiarum, ubi toties Israelem punivit Deus, et tamen revertentem postea semper suscepit. Non ergo solum loquitur de tempore novissimo ante diem judicii, quo putantur Judaei tandem convertendi esse, sed generaliter de omni tempore (ut dixi), quo post peccatum cognita poena poenituerunt.

Et ut ad hanc poenitentiam provocet damnetque desperationem, addit dulcissimam et fidelissimam promissionem, qua pulchre nititur et oratio Manasse, regis Juda, scilicet,

quod dominus Deus tuus misericors est, non dimittet te nec disperdet, neque obliviscetur pacti, quod juravit patribus tuis. Quo simul significat, quae sit vera poenitentia, scilicet, sitis ardens misericordiae in afflictione conscientiae, nam illis solis proponitur dulcis misericordia, non autem hypocritis.

Tunc separavit Moses.

Miscet Moses rem istam inter sermonem servans historiae ordinem. Nam Deuteronomii istos sermones certe uno die non consummavit, sed forte vix decem diebus vel singulis diebus vix duo aut tria capitula, et interim quaedam in populo gessit, prout sese res offerret, qualis est ista civitatum refugii separatio.

Ista est lex.

Epilogus est, ut moris est Mose. Porrò mons Hermon, qui hic Sion dicitur, alius est quam ille in Jerusalem. Nam hic per zadic Zion dicitur, ille per sin Sion. Scatebras Pisga supra cap. 3. diximus debere nomen civitatis proprium dici, Assedoth, quod Hieronymus radices transtulit, verum in locis ebraicis nomen civitatis facit.

CAPUT QUINTUM.

Vocavitque Moses populum.

Hic habes, quod Moses diversis concionibus Deuteronomion absolvit, et populum saepius convocavit, unde et quaedam repetit semper postera die, quae

praecedente dixerat, ut hic, dum pactum Dei et vocem domini etc. inculcat. Incipit igitur hic principalis concio de decem praeceptis.

Non cum patribus nostris.

Indicat hic Moses differentiam testamenti novi et veteris. Testamentum novum est vetustissimum, ab initio mundi promissum, imo ante tempora saecularia, ut Paulus ad Titum loquitur, sed tantum sub Christo impletum. Vetus testamentum sub Mose promissum sub Josue impletum est. Est autem haec utriusque differentia, quod novum nititur sola promissione miserentis et fidelis Dei, sine nostris operibus, vetus autem nititur et nostris operibus. Ideo Mose latius non promittit, quam donec servent statuta et jura, quae causa fuit, ut ipsum antiquari tandem et aboleri oportuerit, et figuram gerere novi et aeterni illius testamenti, quod ante saecula incepit, et post saecula duravit. Illud autem in tempore coepit, et post tempus aliquod defecit.

Ego sum dominus Deus.

Meras ceremonias imaginum videtur hoc praeceptum statuere pro rudi et puerili populo, tamen vere spiritualis est lex, quae cultum internum spiritus requirit, etiam in externis illis imaginibus. Ceterum haec decalogi praecepta nemo melius exposuerit, quam Moses facit hoc Deuteronomio, uti videbimus. Ideo hec loco plura loqui omittamus.

Monstrat autem Mose vim legis, dum ostendit eos non potuisse ferre vocem Dei, scilicet quod lex, dum spiritu profertur et auditur, prorsus occidat et

ducat hominem in peccati sui cognitionem intolerabilem et pavorem mortis, ut homo suspiret mediatorem, et optet blandius verbum, hoc est, evangelion gratiae, ut hic populus pavefactus Mosen precatur mediatorem mollius locuturum, ne moriatur a voce Dei. Quidvis enim pateretur et faceret homo, ne legem audire cogeretur?

Nihil addens amplius.

Et infra dicit: „Non declinabitis ad dexteram, neque ad sinistram," scilicet iterum repetit et inculcat, ut neque addatur neque dematur quidquam verbo Dei, de quo satis supra diximus.

CAPUT SEXTUM.

Ut timeas dominum.

Videtur hujus linguae proprium esse, ut timorem Dei vocet id, quod nos cultum Dei seu pietatem vocamus, seu graece θεοσέβειαν, sicut hic Moses duo illa conjungit, timorem et observantiam praeceptorum.

Distinguamus ab hoc loco commentarium hunc Mose super decalogum suum ab ipsomet compositum (nam quid aliud est reliquus ab hoc loco totus liber, quam copiosissima eaque clarissima interpretatio decem praeceptorum, uti videbimus?) in duas partes. Prior pars sit explicatio praeceptorum trium primae tabulae, quae durat usque ad vicesimum fere capitulum, altera vero reliquorum secundae tabulae usque

ad finem libri. Multi sane scripserunt praeceptoria et integras summas super praecepta, sed meras sordes, si ad hoc Mosi praeceptorium conferantur. Nam Mose docebit te, quid sit, non habere Deos alienos, quid sit nomen Dei non in vanum assumere, quid sit sabbatum etc. Dicit ergo:

Audi Israel, dominus Deus noster dominus unus est.

Vides, quod praeceptum primum ipsemet affirmative exponit, unum scilicet esse dominum. Ponitur enim hic nomen tetragrammaton, Deo unice proprium. Tractat autem hanc Dei unitatem in spiritu, hoc est, non tantum hoc agit, ut Deus sit unus, quantum ut a nobis habeatur pro uno, siquidem esse Deum unum nihil nobis confert, haberi autem pro uno et pro Deo nostro (ut hic dicit), salus et vita et omnium plenitudo praeceptorum est.

Sic Gene. 28. dicit Jacob: „Erit mihi dominus in Deum.“ Quomodo erit ei dominus Deus, quasi antea non fuerit? Nisi quod certo ritu et cultu uno solum dominum pro Deo statueret habere. Sic Deus fit et mutatur, secundum quod affectus noster erga eum mutatur, ut Psal. 17. dicit: „Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris.“ Sic antichristus extollitur super omnem Deum, id est, cultum Dei instituet proprium, quem elevabit super omnem verum et falsum cultum omnium Deorum, quia nullius verbum plus timetur et adoratur.

Est ergo prima declaratio Mosi primi praecepti haec, dominum Deum nostrum pro uno domino habendum esse, id est, non colendum aliis et

aliis cultibus a nobis repertis, sed unico illo a sese instituto.

Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Secunda declaratio primi praecepti, nam prima jam dicta tangit fidem. Nemo enim potest unum Deum habere, nisi pendeat ab ipso solo, et ei soli fidat, alioqui in varietatem operum rapietur, et varios Deos finget. Secunda tangit caritatem, quae sequitur ex prima, quando enim omnem fiduciam in eum rejicimus, ex eo pendemus, omniaque ex ipso fluere intelligimus, et illi nos esse curae, necessario sequitur dulcis amor erga eum. Ideo utitur negativa phrasi in praecepto: „Non habebis Deos etc.,“ quasi dicat: Abnegatione et desperatione tui opus est, ne multos facias Deos, ut unum Deum habeas, natura enim non potest non idololatrare.

Quando ergo dicit: „Dominus Deus tuus dominus unus est“, tollit omnem fiduciam. Quando dicit: „Diliges dominum,“ excitat hilarem et liberam Dei servitutem. Cum enim diligo Deum, vere volo omnia, quae vult Deus, nec dulcius est quidquam, quam audire et facere, quae Deus vult, ut etiam carnalis amor facit cum suo amato. Sic per unitatem Dei in fide recipimus omnia gratis a Deo, per caritatem facimus omnia gratis Deo.

Verum quod addit: „Toto corde, tota anima, tota fortitudine tua, arduum est, ut nisi ignoscente Deo nullus sanctus implere possit. Imo, quis est, qui non in utroque deficiat, tam in uno Deo habendo quam diligendo? quando nullus est, qui non aliquando

trepidet in fide, et alia simul cum Deo diligat. Quod probant fructus illi. Si enim diligerem Deum toto corde, nihil magis me offenderet, quam contemtus praeceptorum Dei, sicut Paulus flevit ad Corinthios et Galatas, dum vidit gloriam Dei conculcari. At ubi sunt, qui plorent sic conculcari nomen Dei toto orbe?

„Toto corde“ significat intimo et toto affectu, „tota anima“, tota vita animali, „tota fortitudine,“ id est, omnibus viribus ac membris, de quo alias satis dixi, non quod nulla alia diligere debeamus, cum omnia, quae fecit Deus, sint valde bona et amanda, sed quod nihil sit aequandum aut praeferendum in amore Deo et iis, quae Dei sunt, et omnium amor urgendus ad consummandum amorem Dei. Ex quo intellige, quam perversi sint, qui sua statuta et dicta tam sollicite exigunt, et Dei praecepta sic negligi sinunt.

Et sint verba haec in corde tuo.

Non tantum in libro nec tantum in cogitatione, sed in intimo affectu, ut tibi sint summus thesaurus, quia, ubi thesaurus tuus est, ibi et cor tuum erit. Nihil ergo regnet in corde tuo, nisi fides et caritas Dei. De his meditetur cor tuum die et nocte, Psal. 1. Ubi enim sic in corde primum fuerint, tum feliciter sequetur, ut etiam sint in ore tuo.

„Et acues ea filiis tuis,“ id est, quotidie iteres et inculces, ne hebescant et frigeant, et rubigine exolescant. Deinde sequetur, ut ubique et semper de eis loquaris. Tandem et ligabis ea in memoriale super manus et ante oculos. Novissime scribes ea in postibus.

Vide ordinem tractandi verbi Dei, primum in corde meditandum, secundo filiis fideliter et assidue inculcandum ore, tertio palam et ubique dicendum,

quarto signandum in manu et ante oculos pingendum, quinto et ultimo scribendum, idque in postibus et portis, non in libris, quia Moses ipse jam ea in libro scripsit. Hic omitto ista mysteria, quod praecepta in manu signari et ante oculos poni significet ea opere implere et inspicere. Simpliciter vult ubique nobis occurrere et in memoria esse debere verba haec.

Observabis, quod hanc admonitionem Moses non ponit juxta alia praecepta, sed solum juxta primum et ejus declarationem, ut sint in corde, acuantur, dicantur, signentur et scribantur, ut scires primum praeceptum esse metrum et regulam omnium aliorum, cui cedant et obediant, ut si pro fide et caritate sit, occides contra quintum praeceptum, sicut Abraham occidit reges, Gene. 14., et rex Ahab peccavit, quod non occidit regem Syriae, 3. [1.] Reg. Sic de furto, sic de insidiis et fallaciis contra hostes Dei, sic de spoliis, rebus, uxoribus, filiabus, filiis, servis hostium. Sic patrem et matrem odies, ut diligas dominum.

In summa, ubi contra fidem et caritatem aliquid fuerit, ibi nescies ullum aliud esse praeceptum neque a Deo neque ab hominibus. Ubi vero pro fide et caritate fuerit, omnia in omnibus et ubique praecepta esse scias, quia stat sententia: „Haec verba sint in corde tuo," haec regnent ibi. Porro nisi etiam fuerint in corde, certe hanc epiikian nemo intelliget neque sequetur, neque unquam prospere et tuto et legitime legibus utetur, sicut et Paulus dicit, 1. Timo. 1. „quod lex justis non sit posita," eo quod plenitudo legis sit caritas cordis boni et fidei non fictae, qua lege legitime utitur, dum nullas habet leges, et omnes habet leges, nullas, quod nullae ligent, nisi fidei e

caritati serviant, omnes, quod omnes ligent, dum fidei et caritati serviunt.

Est ergo sententia Mosi hoc loco: Si vis primum praeceptum recte intelligere, et vere non habere alios Deos, sic age, ut credas et diligas unum Deum, abneges temet ipsum, omnia accipias gratis, et omnia facias gratis.

Cum introduxerit te.

Peratat in exponendo primo praecepto, et incipit ostendere, quibus modis contra primum peccetur, et docet vitare occasiones peccandi contra ipsum, et primo arripit opes et abundantiam, scilicet mammon et avaritiam, de quo scribit Baruch: „Aurum, in quo confidunt homines." Et Paulus avaritiam facit idololatriam et radicem omnium malorum. „Vide (inquit) cum saturatus fueris, ne obliviscaris domini Dei tui." Cor enim humanum praesentibus bonis fidit, absentibus diffidit, ut vulgo dicitur: Gut macht Muth, Armuth wehe thut. Fiducia autem opum et fides ac caritas simul regnare in corde non possunt. Et hoc vocat hic oblivisci domini Dei. Non enim est meminisse domini, si in ore nomen ejus volvas, sed si in corde assidua fide ex eo pendeas, et diligas.

Et vide tu ipse, ut Moses praeceptum primum spiritualiter primo tractat contra idololatriam cordis, contra fiduciam rerum, ad fiduciam Dei, antequam de idolis dicat, ne putes Mosi totam curam de idolis fuisse. Est ergo sensus: Unum Deum habeto, ut soli illi fidas, etiamsi affluant opes, non illis fidas, si desint, non diffidas, sed semper in domino confidas, ut et Psal. dicit: „Divitiae si affluant, nolite apponere cor, et rapinas nolite concupiscere, nec vani fieri."

Sed dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies.

„Timebis,“ id est, coles, et reverentia illius metues mammonae confidere, hoc est, in copia rerum, quando solent homines secure agere, et Deum contemnere, suisque libidinibus servire, tu timebis me, et rebus domineris, mihi servies, nec sines tete per eas rapi post tuas concupiscentias. Est et haec insignis declaratio primi praecepti, scilicet, ut, cum omnia assint abunde et tota et secura nullusque timori locus, tum maxime timeamus. Est enim haec fidei virtus et primi praecepti vis, ut in prosperis pavidi et Deum timentes simus, rursum in adversis (ut sequitur) securi et tuti et fidentes in Deo, utroque tempore pure in Deo haerentes.

Hic varia somnia de dulia, latria et hyperdulia finxerunt sophistae. Ebraeus uno eodemque verbo servitutem Dei et hominum signat, ut frustra sit illorum distinctio. Vult autem hoc dicere: Illi soli servies, hoc est, quidquid feceris et vixeris, sive sub servitute hominum sive administratione rerum, hoc referas ad me, et nullo alio nomine a te fiat, quam quod certus fide sis mihi soli in hoc serviri, et nisi scires mihi serviri in ea re, mox desisteres, ut nihil facias in gratiam hominum contra me, etiamsi captivus eis sis, nihilque indulgeas tuae cupiditati aut gloriae, etiamsi omnia abunde affluant. Sic et Paulus docet servos dominis suis subdi, sed tanquam domino, et mulieres viris subdi, sed in domino, et ipse frui vult Philemone, sed in domino, et virginem nubere vult, sed in domino, et virum per mulierem venire, sed in domino, nihil de dulia et hyperdulia somnians, sed unam illam et simplicem servitutem Dei super omnia

extollens, et per omnia dilatans. Sic Petrus in Actis dicit David administrasse voluntati Dei.

Quin si dulia separatur a latria, jam nec latria nec dulia est, sed idololatria, cum hic audias: „Soli illi servies." Ergo vel dulia tua erit latria, vel idololatria, si separetur. Sed haec sophistae finxerunt, intuentes operum larvam et sectas, et cultum Dei penes diversitatem operum metientes, cum hoc verbo Deus tollat operum diversitatem, et colligat ea in unitatem fidei cordis, ut solum huc spectes, quaecunque, qualiacunque, ubicunque sint opera, ea in timore et nomine Dei facias, et soli illi per ea servias. Corruit itaque et hic papatus et omne regnum traditionum humanarum, quibus talia docentur opera, qualibus servitur impiis hominibus vel a Deo vocantibus vel negare Deum cogentibus. Quo sensu et Christus hoc verbum Satanae vocanti eum ad opera non soli Deo praestanda respondit: „Vade Satana, scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies."

Ac per nomen illius jurabis.

Duo hic notanda sunt. Primum quod Matth. 5. Christus simpliciter prohibet jurare, hic mandatur jurari. Sed et alias diximus, quod juramenti usus duplex est, unus, quo pro nobis nostra levitate juramus sine causa, hanc prohibet Christus in totum; alter, quo pro gloria Dei et salute proximi ex fide et caritate juramus, pro firmanda veritate, hanc praecipit Moses, sic, ut non jubeat jurare, sed hoc urget: Si jurandum est, non jurabis nisi per nomen Dei.

Sed quae consequentia ad praecedentia? Dixerat: „Soli illi servies," qua servitute non distinxit illa religiosa et ceremonialia cultus Dei opera ab aliis

stertit et laborare non vult, praesumens se alendum esse a Deo sine labore, cum per laborem illi Deus promiserit providere, ut Proverb. 10. dicit: „Manus sedulorum parant opes, manus autem remissa esuriet."

Hujus generis est coelibatus ille vulgaris, ubi Deus creata et sociata foemina providit peccato et infirmitati carnis, et stulti ea relicta continere praesumunt miraculo coelesti. Dictum est et supra, quomodo Deus sub larva rerum praesentium sua opera ostendat, et velit illis nos uti, sed non in eas fidere. Licet enim verum est, quod manus sedula parat opes, tamen simul verum est, quod sola benedictio domini divites facit, ut idem Salomo dicit, nempe per manum sedulam. Nam si manus sedula vi cohiberetur, adhuc benedictio domini ditaret. Sic per gladium dat salutem solus, et tamen vana est salus hominis, et gladius meus (inquit) non salvabit. Salvabit autem Deus per gladium, si affuerit, et sine gladio, si haberi non possit. Utendum est ergo rebus, sed non fidendum. Soli vero Deo fidendum, et tam cum adest, quam cum abest, quo utaris.

Secundo tentatur, quando nihil ad manum est, quo opus est, nisi nudum et solum verbum Dei. De hac tentatione hic loquitur Mose proprie, dum addit: „Sicut tentasti in Massa," ubi jurgati dixerunt: „Estne Deus in nobis an non?" Hic enim impii verbo non contenti, nisi tempore, loco, modo ab ipsis praescripto Deus fecerit, quod promisit, discedunt, et non credunt. At Deo locum, tempus aut modum praefigere, est proprie eum tentare, et velut palpare, an ibi sit. Hoc autem aliud nihil est, quam Deum velle circumscribere et nostro arbitrio subjicere, ac plane divini-

tatem illi adimere, quae libera esse debet, et incircumscribilis et indefinibilis, ac potius nobis praescribere locum, modum ac tempus.

Igitur utraque tentatio contra primum praeceptum est, tam ea, quae mera fit libidine et curiositate in rerum copia, quam ea, quae fit urgente penuria et suadente infirmitate fidei. Atque hic vides primum praeceptum spiritualissimum per Mosen spiritualissime et perfectissime explicari. Nondum enim ad imagines venit, sed in affectibus impietatis damnandis, qui radices sunt externarum idololatriarum et imaginum, primo loco occupatur.

Cumque interrogaverit te filius.

Vides, quam sollicitus sit Moses pro inculcando primo praecepto quoad spiritualem affectum, quem monstravimus, quod hoc modo velit maxime urgeri praeceptum, scilicet, quod sciat, nisi primo loco iste sensus et affectus fuerit correctus, nihil sit, si etiam omnes imagines perdant, et omnia alia faciant, hoc autem affectu correcto omnia alia feliciter fiant. Non sic moratur et instat nec tam copiosus est circa alia praecepta.

Et habebimus justitiam coram domino.

Quid hoc? An justitia operibus paratur coram domino? Absit, sed (ut dixi) in primo praecepto atque in ejus primario opere versatur, nempe in docenda fide, amore, timore Dei toto corde. Per haec enim impletur lex, et satisfit Deo. Ideo recte in hoc loco ponitur et jactatur justitia, quae coram Deo valet. Tunc enim vere habemus justitiam, nobis a Deo imputatam (quam proprie significat צְדָקָה Psal. 32.

involvens misericordiam reputantem), si crediderimus, dilexerimus, timuerimus Deum, idque toto corde. Iustus enim ex fide vivet. Ideo hanc sententiam non ponit Moses, ubi de operibus aliis legis loquitur, quod ea non justificent, sed justificentur potius per cor jam fide justificatum. Nam hoc solum gloriatur, quod faciat statuta et jura etc., ut bene ei sit etc.

CAPUT SEPTIMUM.

Cum introduxerit te dominus etc., percuties eos etc.

Pergit Moses et alias occasiones impietatis adversus primum praeceptum ostendere, et prodit in opus externum, recto sane ordine, cum primo correxerit cor, fontem operum, postea et manum aliaque membra corrigat, docens, ut occidant et anathema faciant gentes in terra, nec conjugia nec foedera cum eis socient, deinde aras, statuas, lucos et sculptilia perdant. Servat et in hoc opere ordinem, ut primum auctores imaginum perdere jubeat, deinde ipsas imagines; quod frustra tollantur imagines, si artifices et magistri earum cultores relinquantur.

Hic attendendum est, quod gentes istas non simpliciter perdendas censet, sed si induratae perseverarent. Alioqui pax illis offerenda fuit, et ipsae ferendae, si converterentur ad Israel, sicut Gibeonitis et Rahab meretrici contigit. Deinde hoc opus praecepit, non quod vellet populo suo necessarium esse perpetuo, sed quod gentes illas decreverat perdere omnino propter peccata sua, ad quod opus uti voluit suo populo,

qui Sodomam sine populo alio subvertit, et alias solet populum alio populo punire. Proinde istam literalem et carnalem praecepti primi intelligentiam non licet trahere ad christianos, quorum est spiritus gladio gentes occidere et imagines tollere. Nam hoc opus peculiariter huic populo ad tempus impositum est, sicut et omnia alia, quae huic populo praecipiuntur, item de conjugiis, foederibus et cunctis ceremoniis externis.

Hic mihi digrediendum est ad novos nostros prophetas, qui praecepto primo sese urgeri (quanquam non Judaeos, sed christianos) jactant, ut vi et manu imagines perdant, et mire hic furiunt, et gloriantur sese spiritu plenissimos, et omnes damnant ut reos primi praecepti et laesae majestatis. Ego vero eos assero sanguinarios, seditiosos et homicidas, qui aliud quoque in animo non habeant, nisi caedes et strages. Quod facile ex hoc loco probabo in hunc modum: Si nihil ceremoniale in primo praecepto haberi volunt, sed omnia necessario facienda contendunt, coguntur ex hoc loco occidere totum mundum, qui imagines habet, etiamsi non adoret. Nam aeque hic praecipitur, ut gentes occidant, atque ut imagines destruant, et uno asserto reliquum necessario concedent, imo hic prius gentes occidere, ut magis necessarium opus praecipit, quam imagines demoliri.

Atque hoc est, quod vidi futurum, si eorum dogma praevaleret, ut vulgus coerceri non posset a caede, fretum hoc praecepto et eorum dogmate. Ideo censui eos e terra profligandos ceu vere sanguinarios et seditiosos, qui tota vita nihil agere haberent, quam ut sanguinem funderent. Jam cum constet, apud christianos non debere gladio corporali occidi impios, estque ea legis pars ut mere ceremonialis abrogata, ut

quae temporalis fuerit usque ad Christum, sequitur simul et imagines nulla necessitate tollendas esse, cum ad eandem partem legis pertineant. Quare nemo dubitet, qui viderit imaginicidas sic furere in ligna et lapides, istic latere spiritum mortificatorem, non vivificatorem, qui data opportunitate et homines occiderent, sicut quidam eorum coeperunt docere. Coguntur autem necessaria consequentia sic docere et facere urgente lege Mosi, licet alii subdoli hunc spiritum caedes spirantem pulchre dissimulent.

Est et alius furor ejusdem spiritus, quod executionem hujus legis, etiamsi nos tangeret, non recte distribuunt. Nam Moses et hoc libro et alias primo magistratus instituit, qui leges administrent. Isti fanatici spiritus vulgo committunt contemtis magistratibus. Nam Deus jussit non uno loco peccata publico judicio, testibus et sententiis tractare, quae illi privato furore invadunt. Nec enim legitur ullum exemplum, ubi vulgus sine duce vel magistratu sive ordinario sive a Deo dato imagines sustulerit, ut in Gedeon, Ezechia, Josia, Ahab cernere licet.

Tertius furor eorum est, quod prorsus omnes imagines perdunt, cum Moses solum de iis praecipiat, quae coluntur, et quibus fiditur, id quod non modo textus ipse indicat, et intentio primi praecepti, cum dicit non esse Dei similitudinem faciendam ad adorandam. Alias autem imagines quam Dei, tum quae non adorentur, nusquam prohibet Deus. Quin ipse serpentem aeneum in eo ipso populo erexit et tulit, donec coli inciperet. Denique altare Rubenitae erexerunt ad Jordanem, quod impium alii sentiebant, sed ubi perceperunt solum pro signo et pro memoriali erectum, non pro sacrificiis et cultu, sinebant intactum. Insu-

per Levit. 25. clare dicit non esse imagines faciendas, ut adorentur.

Proinde viros istos sanguinum vitantes non sinamus nos in judaismum trahere. Nobis dicit Paulus: „Scimus, quod idolum nihil est in mundo," et externa illa omnia libera, etiamsi sint imagines cultui alicui divino deputatae. Nam verbo illas tollamus, aut communi consensu magistratus et eorum, sub quorum ditione sunt, deponamus. Quae autem tantum pro signo et memoriali habemus, libere habeamus, ne tandem et ipsi ad spiritum caedis et seditionis prolabamur, si libertatem in necessitatem verti patiamur. Ferendi enim essent utcunque furiosi illi, si tantum imagines destruerent, nec etiam conscientiam operis necessarii facerent, et sub iram legis mitterent libertateque nos spoliarent. Nunc vero cum libertatem divinitus donatam asserere oporteat, dicamus illis Mosen ad nos nihil pertinere in omnibus suis legibus, sed tantum ad Judaeos, nisi ubi cum naturali lege consentit, quam in cordibus gentium scriptam Paulus Roma. 2. docet. Quidquid ibi non est scriptum, inter ceremonias Mosi populo necessarias, sed nobis liberas numeremus, ut et sabbatum est, teste Paulo Coloss. 3. et Isaiae ultimo.

Mirandum autem, cur hostes illi imaginum tam pii et mites sint in imagines illas in aureis et argenteis nummis, item in vasis argenteis excusas. Cur has imagines tantum amant, et non etiam exurunt aut projiciunt? An hic intelligimus nequitiam Satanae in cordibus eorum per summam avaritiam et summam insaniam regnantis? Deinde, cur non corda sua quoque lacerant, cum sine imagine esse non possint, quoties audierint vel Christum crucifixum praedicari, vel ipsi cogitaverint illum, aut alios sanctos? An est

nocentior imago in oculis extra nos, quam quae est in corde intra nos? Furor est et insania, qua non quaerunt nisi gloriam, velut ab insigni opere. Nobis satis est scire idolum nihil esse in mundo. Si nihil est, non nocebit, sive stet sive cadat. Quanquam et ego imagines non admodum amem et vellem in templo non statui, non quod solum hoc spectem, quia adorentur, quod rarius accidere puto, sed quod fiducia operis in pretio et specie earum ponitur, quasi illo opere aliquid obsequii Deo praestetur, cum interim perdatur sumtus et totum, quod istis impenditur, in meliores usus pro fratrum necessitate impendendum. Alias levi pictura imagines privata in domo non possum damnare. Sed hanc causam quia alii assignarunt, prophetae furiosi sese in hoc nullam gloriam consecuturos vident, fingunt necessitatem legis adversus libertatem spiritus, quod ferendum nullo modo est.

Devovebis.

Verbi hujus frequens est in Mose et Josua et Judicum libris usus, quod ebraice herem, latine excommunicare dicunt. Inde herem vel horma, excommunicatio, graece ἀνάθημα. Unde Paulus 1. Corinth. ult.: „Qui non diligit dominum Jesum, sit anathema maharam motha.“ Sic excommunicabantur et anathema fiebant gentes per gladium filiorum Israel, dum prorsus in nihilum redigebantur, et irreparabiliter perdebantur. Voluit enim Deus illas definita sententia penitus de terra abolere, etiam cum maledictione. Hoc proprie vocat Mose Haram vel Herem, ut nulla eis spes vitae aut salutis esset reliqua, sicut id, quod devovetur, exsecratum et anathema est, Levit. ultimo.

Verum quamvis gentes illae essent morte dignae,

nulli tamen, ne Israeli quidem, licuisset illas occidere, nisi certo et evidenti mandato et verbo Dei coacti fuissent, ut stet sententia: „Qui acceperit gladium, gladio peribit;“ et iterum: „Mihi vindictam, et ego retribuam;“ item: „Dominus judicat populos.“ Ipse enim, qui dedit vitam, potest jure auferre, in quem et solum peccaverant. Quare Israelitis hic pro ministerio usus est, ut iram suam impleret per ipsorum manus, sicut ab initio semper solitus est populos per alios populos perdere, et regna per regna transferre, ubi peccaverint, ut dicit in Daniele et Amos: „Ecce ego super regnum peccans, ut conteram illud.“ Sed hoc distant aliorum populorum gladii a gladio Israelis, quod illorum furore Deus utitur occulto judicio, et impios per impios conterit, horum autem gladius aperto et certo mandato Dei sanctificatur, ut sancta et pura conscientia pii impios perdant ac sanguinem fundant sancta religione.

Hoc est, cur Amorraeos et Chananaeos per sententiam decernit occidendos esse, nec sinit Israelitas in quosvis saevire pro sua libidine. Nam excepit Moabitas, Ammonitas et Edomitas, non minus impios populos, quam Amorraei et Chananaei fuerant, ut significaret, quantumvis magni sint peccatores, non tamen eos liceat bona conscientia occidere, nisi jussu et voluntate Dei fuerint traditi et nominati. Quis enim est hominum, qui coram Deo non sit dignus morte, nisi quem ipse praeveniens misericordia sua, verbo suo primum vivificaverit, et tum alios occidere jusserit? ut non habeant Judaei causam sese jactandi, quasi sint soli inter homines ad occidendas gentes nati, cum sint a Deo electi tantum, ut in Chananaeos iram suam Deus per ipsorum gladium exerceret.

Et hoc pulchre hic Mose indicat, cum dicit: „Te enim elegit dominus, ut sis ei populus peculiaris etc.“ ac si dicat: Non tu elegisti dominum, nec tuo merito factus es occisor populorum istorum, sed electione, vocatione et jussione Dei. Quin ut scias, nullam esse inter te et gentes distinctionem apud Deum, hoc animadvertas, quod, nisi verbum Dei impleveris, et gentes has non occideris, sed cum eis foedera et conjugia inieris, te quoque eadem ira manebit. „Irascetur (inquit) furor domini contra te, et delebit te cito.“ Eadem poena indicat eadem impietate rees fore coram Deo, ut solo verbo Dei sciant sese gentibus illis praestare, sine quo nullae sint tam impiae, quibus non sint pares tam culpa quam poena futuri.

Non quia cunctas gentes numero vincebatis, amavit aut elegit vos.

Vide, quam diligens tractator Moses sit in primo praecepto. Superius verum cultum Dei in fide, timore et amore spiritus docuerat. Hic cum ad opus externum venisset, ne, quod spiritu coepissent, carne consummarent, et de opere suo inflarentur, et perditis externe impiis et idolis, pejores impii fierent ipsi, pejoraque idola in corde erigerent, scilicet, fiduciam et gloriam operis (ut solet caro), atque hoc ipso gravius in primum praeceptum occasione tam speciosi operis peccarent, quam gentes ipsae, quas occiderent, salubriter praevenit, et in legitimo usu legis eos servat, gloriam operis et fiduciam prorsus evacuans et ad fiduciam solius gratiae vocans, dicens: „Non quia cunctas gentes etc.“, quasi dicat: Quod Deus vestro gladio utitur, non fit, quia vestra virtute opus ei sit,

ast sine vobis id non possit, cum sitis paucissimi. Non est gloria operis vestra, sed illius, qui paucitate vestra usus tantam multitudinem perdet. Alioqui si multitudine voluisset vincere, non vos elegisset, sed alios populos, qui sunt multo plures, quam vos.

Quid ergo reliquum est, de quo possitis in isto opere gloriari? Nihil vestrum, sed „quia dilexit vos (inquit) dominus, et servavit juramentum suum etc." Vides, ut fiduciae humanae in quocunque opere nihil proponatur, quam immeritus amor Dei, quo movetur, ut verbo suo et promissione nos praeveniat, etiam antequam nascamur. Tantum abest, ut quippiam reddat, postquam nati aut operati fuerimus. Atque is est purus et sincerus sensus primi praecepti, sentire nos nihil nostris meritis, sed omnia ipsius sola misericordia et dilectione habere, obtinere, posse et facere, in gloriam suam, quam misericordiam, ut verbo suo primum praemittit, ita et post opere, quod per nos operatur, ceu signo confirmat, ut hic allegat exodum de Aegypto et Chananaeorum perditionem.

Notabis ergo, magni esse spiritus opus, posse res istas, divini nominis et cultus titulo speciosas, perdere, ut sunt gentium arae et religiones. Quem enim non absterreat et fallat divinum nomen objectum? imo quem non inflet simulata illa pietas? Certe gentes istae, ut dixi, non coluerant nisi verum Deum, sed cultu et opinione falsis et proprie inventis, a Deo non praeceptis. Verum multo majoris spiritus est, de tali cultu vastato non gloriari, et loco idoli externi non statuisse idolum internum fiduciae vanissimae. Tanta res est, verum et solum Deum pure cogno-

facere, sincere timere, colere, amare et credere, ut Mosi tantum verborum sit impendendum pro primi praecepti declaratione. Ideo et hic repetit verba primi praecepti, dicens: „Scies, quod dominus Deus tuus est Deus fidelis, servans etc.;“ ut ostendat haec ad primi praecepti intellectum pertinere, quae de operis fiducia dixerat.

Postquam audieris et servaveris haec.

Quid hoc? Hactenus docuit populum esse amatum non ipsius merito, sed electione Dei praevenientis. Nunc promittit operibus et meritis amorem, benedictionem, imo quod amplius est, fidem pacti et promissi tribuit operibus eorum, dicens: „Si servaveris, servabit et dominus pactum et misericordiam,“ quam hic longo textu de temporali prosperitate exponit. Respondeo: Nota est jam toties a nobis data distinctio de praeveniente et subsequente misericordia. Praeveniens est, qua nos eligimur, vocamur et justificamur ante omne opus nostrum. Subsequens est, ubi per opera certam facimus nobis ipsis, et sentimus ipsam praevenientem misericordiam, de qua dictum est: „Convertimini ad me (quod fit misericordia praeveniente) et convertar ad vos,“ quae est subsequens misericordia, quae jam justificatis pacem, securitatem et omne bonum confert, ut alteram possis dicere gratiam et alteram pacem, seu alteram donum et rem, alteram certitudinem accepti doni et rei possessae. Ita hic vult dicere: Si servaveris haec praecepta (quod tamen sine gratia non poterant), senties ipsa rerum experientia dominum esse fidelem, ut terram et promissam donet et donatam conservet.

Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istae etc.

Aliam occasionem praevaricationis in primum praeceptum tollit Mose, scilicet diffidentiam, quae oritur ex impotentia et infirmitate virium nostrarum, si conferatur ad rem et opus praeceptum, qua peccaverunt illi exploratores, qui populum terruerunt ab ingressu terrae, in qua gigantes, enakim, et urbes munitas esse jactabant, ut supra vidimus.

Docet vero Moses hic iterum, quomodo implenda sint Dei praecepta, nempe non nostris viribus, sed divina virtute nobis promissa, uno verbo simul exstinguens et nostrae virtutis fiduciam praesumtionemque et nostrae infirmitatis diffidentiam desperationemque, praesumtionem in hoc, quod indicat majora mandari, quam possumus, ut hic gentes, quas delere mandat, fatetur esse plures et robustiores Israele, vastatore suo, desperationem in hoc, quod dominus sit facturus per ipsos omnia, quae eis mandat.

Si itaque spectassent filii Israel suas vires et gentium vastandarum viribus comparassent, prorsus desperassent et mandatum Dei neglexissent. Nunc vero, ut fide impleant omnia, promittit affore Deum, et addit promissioni exemplum praecedentis misericordiae, qua Pharaonis et Aegyptiorum manibus eos liberavit, ut sic verbo et facto eos animet ad fidem, qua gentes perderent mandante Deo. Quin et crabrones nova promissione affirmat sese missurum, ut videas, quantum sit situm in erigenda fide. Fide igitur servitur Deo, fide implentur mandata Dei, fide meremur virtutem divinam adesse nobis in omnibus operibus

nostris, ut recte Christus dixerit: „Credenti omnia sunt possibilia."

Ne timeas eos, quia dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus et metuendus.

Quem rogo ista magnifica vox non inflet et superbire cogat, non modo adversus gentes illas perdendas, sed et adversus omnes portas inferorum? Quid mirum, si unus fuget mille, et sicut ille ait: „In Deo meo transiliam murum?" Quid potest dici superbius et inflatius: Deus magnus et metuendus est in medio nostri? „Deus in medio ejus non commovebitur," Psal. 46. Sic et 1. Joh. 3.: „Major est, qui in nobis est, quam qui in mundo est." Sint ergo gentes illae enakim, gigantes, armatae, quid tum? Quis est in medio eorum? Nihil nisi vana fiducia brachii et gladii carnis, hic autem Deus spirituum magnus. Satis fideliter hoc dicitur: Beatus, qui firmiter crediderit, fiet enim, sicut credidit.

Non poteris eas delere velociter, ne multiplicentur contra te bestiae etc.

Quam blande et paterne provocat eos ad fidem, ut etiam futuris infirmis cogitationibus fidei praeveniat, ut, cum inciperent promissiones Dei impleri, percussis gentibus magna ex parte, et aliquas relinqui, non continuo cogitent sese deseri aut promissione falli, verum omnia in bonum illorum fieri, ut firmius et plenius terram occupent, et loco impiorum hominum perditorum non cogantur ferre crudeliores bestias, quanquam et haec ipsa dilatio gentibus convertendis datur, ut resipiscant, qui voluerint.

Paululum allegorias hujus capituli tractemus.

Gladius noster verbum Dei est, quo populus spiritualis pugnat, et interficit primo gentes ipsas, id est, convertit ab errore, in quo vivebant. Isaiae 10.: „Et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.“ Sculptilia sunt ipsa dogmata impietatis, quae procedunt ex opinionibus impiis, quibus putatur Deus coli operibus sine fide. Arae sunt ipsa studia et exercitia, quibus secundum haec dogmata nos exercemus, et frustra affligimus, atque plane mactamus. Luci sunt carnis illecebrae, qua istis operibus nobis placemus et jactamus, velut haec sint jucunda coram Deo. Haec omnia verbo fidei sunt redigenda in nihilum, ut solus Deus sit in medio nostri, ut hic dicit.

Crabrones mitti ante nos inter gentes, est terrore legis et aculeis mortiferis conscientiae agitari impios, ut sese abscondere nequeant, donec pereant et impietatem confiteri cogantur. Porro ut in manu Israelitarum non erat crabrones praemittere, ita et nostrum non est ullum impium perterrefacere, sed Deus est, qui conturbat et pavefacit corda eorum, ut conterriti dicant cum Paulo: „Domine, quid me vis facere?“ et cum illis Act. 3.: „Fratres, quid faciemus?“

Non subito gentes, sed paulatim deleri, ne bestiae multiplicentur in terra, est victa impietate cordis non in totum purgari impium, sed relinqui pugnam spiritus et carnis, ut Ro. 7. et Gal. 5. docet Paulus. Ea pugna in hoc necessaria est pro hac vita, ne superbiamus, pigrescamus et pejores fiamus, sicut Paulus 1. Corinth. 14. dicit: „Ne me extollat magni-

tudo revelationum, datus est mihi stimulus carnis meae." Sic relinquitur in finibus carnis nostrae Jebusaeus, Cananaeus, Philistini, hoc est, reliquiae peccati, quae nos sollicitent, et in armis spiritualibus exerceant. Alioqui, quam crudelis et saeva bestia est praesumtio secura, vana gloria, superbia, socordia, dum nostrae infirmitatis obliti nostris viribus tribuimus, quod solius est gratiae et misericordiae, regnantis super nos et vitia nostra non imputantis?

Nihil de auro sculptilium in domum inferendum est, neque verborum neque operum impietatis reliquias in conscientia esse servandas, sed puro et solo verbo Dei corda imbuenda et servanda, ne tandem et nos inficiat. Exempli gratia, vox illa impia liberi arbitrii, et quidquid est dogmatum de eo vulgatum, prorsus detestandum nec admittendum, quasi bono usu vel glossa aliqua tolerari possint. Sic monastica vota et regulae ceu aurum anathematis habenda, tantum in hoc tractanda, ut arguantur et detestentur, non ut conscientiae nostrae illis consulatur, quacunque id tandem glossula fieri posse putatur. Domus illa conscientiae ab iis debet esse munda omnino, quia nihil tenerius et mollius conscientia et fide, sicut dicitur: Non patitur jocum fama, fides, oculus.

CAPUT OCTAVUM.

Omne praeceptum etc.

Novus et alius sermo est, sicut dixi, multis diebus et sermonibus hunc librum esse a Mose comple-

tum. Tractat autem in hoc capitulo occasionem illam praevaricationis in primum praeceptum, quam praebet prosperitas et abundantia, quae multo fortius avertit cor, quam adversitas et penuria, sicut in cantico suo dicit: „Incrassatus, impinguatus, dilatatus recalcitravit,“ et Proverb. 1.: „Prosperitas stultorum perdit illos,“ ut et Germanico proverbio dicitur: Es mussen starke Beine sein, die da sollen gute Tage tragen. Facilius enim fert homo mala, quam bona, ut dicit poeta: Luxuria saevior hostis incubuit etc.

Et recordaberis.

Primo dicit populum fuisse afflictum et tentatum a Deo per quadraginta annos in deserto, ut nota fierent, quae in corde ejus essent, scilicet an sincero animo Deum amaret, vel propter ventrem. Neque enim certius cor nostrum (quod Deo semper manifestum est) etiam ipsi cognoscimus, an ventris causa Deo serviat, vel non, nisi dum penuria et malis tentamur. Fidele cor aeque diligit, credit et servit, dum penuria et malis laborat, atque in mediis opibus et bonis. Cor vero infidele credit, dum assunt bona, recedit, dum irruunt mala, sicut Psal. 77. dicit: „Cor eorum non erat rectum cum eo, et lingua mentiti sunt ei.“

Afflixit te, et dedit tibi manna, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo.

Quae est ista consequentia, quod dato manna ostenditur, hominem vivere verbo Dei? An manna est verbum Dei? Nequaquam, sed magis declarat,

quod de penuria dixerat, scilicet hoc modo: Antequam manna tibi daret, sinebat te prius fame laborare. Hoc fecit ideo, ut ostenderet tibi, quod, si etiam nunquam manna veniret, tamen verbo suo, quo promiserat se fore tibi Deum, qui te non derelinqueret, te posset sustentare, sicut et sustentavit. Nam fides in verbo Dei, etiam in media fame, pascit non solum animam, sed et corpus, id est, ut hic dicit, totum hominem, cum impossibile sit fidelem in verbo perire, etiamsi nihil corporale comedat aut bibat, quanquam vere non deserat, quin tandem in tempore suo etiam corporaliter pascat, sicut Eliam per corvos et per viduam Zarepthanam, et hic patres per manna.

Igitur ostensio illa, quod homo non in solo pane vivat, pertinet non ad manna, sed ad utrumque, scilicet ad afflictionem famis et ad copiam mannae, ut sit sensus: Hanc bonitatem suam voluit Deus per tuam experientiam tibi monstrare, ut in fame disceres fidere verbo promittentis, quo et in fame sustentareris nec perires, deinde fide hac tandem corporalem quoque saturitatem acciperes. Nam totum hoc ideo facit, ut ventris idolum tibi tolleret, et disceres, non in hoc esse sitam hominis vitam, si venter esset provisus pane suo, sed multo magis utrumque, scilicet, anima et venter, quod nunquam disceres, si venter esset semper satur, et nunquam per verbum disceres Deo fidere in media penuria ventris.

Hoc modo Christus Matth. 4. hunc locum citat, ubi Satan ei solam ventris curam suggerit, ipse vero dicit: „Non in solo pane vivit homo,“ non negans hominem vivere pane, sed non solo. Nam si panis desit, tum vivit verbo, quo per fidem possesso tan-

dem et panem venire necesse est, etiam si ex petra sit producendus, vel, ut hic, de coelo mittendus. Quando ergo dicit: „Afflixit te penuria, et tentavit," revocat a ventre et ventris cura, ut in media fame doceat verbo fidere et vivere. Quando dicit: „Et dedit tibi manna," ostendit non defuturum panem illis, qui verbo vivunt in fame. Vides ergo, nihil nisi fidem doceri his verbis, qua tenemus et credimus nos habere Deum juxta sensum primi praecepti.

Praecipit autem hujus facti esse memores, quomodo aliti sint et verbo et pane in deserto, velut indicans et prophetans fore, ut in posterum simili famis tentatione aliquando vexarentur, ut tum hujus exempli consolatione sese ad fidem erigerent, scirentque sese esse pascendos, utcunque saeviat fames, modo credant promissionis verbo in praecepto primo, quo sese illis Deum esse promittit, sicut dicit et Psal. 37.: „Et in tempore famis saturabuntur. Impossibile est enim, justum derelinqui, aut semen ejus quaerere panem." Esuriat sane, sed non morietur fame, fames enim exercet fidem ejus in verbo, fides autem panem et pro corpore impetrat.

Stat ergo Mosi verbum egregium, sic agere Deum cum suis, ut fame tentet et exerceat verbo suo, tum credentem pascat, vel e medio coelo, si secus fieri non posset, ut sic experientia discant, non oportere pro ventre esse sollicitos, nec vitam esse in his, quae possidemus, seu in pane, sed in verbo, quo in Deum efficimur divites, ut est in evangelio. Verbo enim dum vivimus in corde, quasi cogimus Deum, ut et ventrem pascat.

Sicut autem promittit victum credentibus, ita et

vestitum, deinde et valetudinem bonam corporis, sicut hic mox post manna subjungit: „Vestimentum tuum vetustate non defecit, et pes tuus non intumuit his quadraginta annis," ut his verbis doceat nihil defuturum his, qui verbo vivunt et credunt, sed curae esse nos Deo in omnibus et per omnia, sicut Petrus dicit: „Omnem sollicitudinem projicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis;" et Psal. 33.: „Inquirentes dominum non deficient ullo bono."

Istas sane et similes promissiones Dei, plane magnificas et fideles, intelligere, est vere intelligere primi praecepti promissionem, qua dicit: „Ego sum dominus Deus tuus," tuus, tuus (inquit), qui me Deum tibi ostendam et exhibebo, nec te derelinquam, modo tu id credas. Nam omnes tales promissiones pendent et fluunt ex primo praecepto. Contra illis non credere, est vere praeceptum non intelligere, sed Deos alienos habere.

Applicat autem Mose hanc doctrinam fidei ad usum futurum in media copia rerum, sicut a principio capitis dixi, ut tum scilicet recordentur, quomodo per verbum olim in media penuria aliti sint manna, et recogitent hoc exemplum et dogma, et discant non eo magis fidere Deo, quia abundent et saturi sint ventre bene proviso, quae fiducia non est fiducia in Deo, sed potius in bonis et donis acceptis, qua fit, ut obliviscantur tam verae fiduciae quam verbi Dei, et nunquam discant in penuria fidere Deo. Et (ut dixi) magna res est et multi spiritus opus, florentibus rebus non oblivisci Deum, et sic sese habere, juxta Paulum, ac si nihil habeas, uti mundo, tanquam non utaris, scire deficere et abundare, scire humiliari et sublimari, et

cum propheta cor non apponere divitiis, si affluant, et non vanefieri, sed soli Deo adhaerere.

Hoc est enim, quod agit Mose in hoc capitulo, opponens et suggerens in media abundantia exemplum illud mannae in media penuria dati, ut a ventre ad verbum revocet. Unde et repetit in fine, postquam opes futuras depinxerat, et dicit: „Eduxit tibi rivos de petra dura et cibavit te manna in deserto, quod nescierunt patres tui, ut affligeret et tentaret te, et postea benefaceret, ne diceres in corde tuo etc." Nonne robustius exemplum est, quod ex petra dura potum et manna in deserto dedit, quam quod Christus Matth. 6. de liliis agri et volucribus coeli a Deo provisis docet? Quid enim minus e saxo speres, quam aquam et potum? Quid minus in deserto, quam panem et victum? Cur non aquam ex virente aliqua arbore vel nube coeli dedit? Cur non victum ex ramis vel radicibus aut herbis? Cur haec fecit?

Scilicet ad commendandam illam inaestimabilem curam Dei super nos, qui tum etiam Deus nobis sit, et omnia largiter tribuat, cum fuerint omnia desperatissima, ut qui velit et possit saxum in potum tuum mutare, desertum in cibum tuum, nuditatem in decorum vestitum, paupertatem in opes, mortem in vitam, ignominiam in gloriam, malum in bonum, hostes in amicos. Et quid non? Omnia ex omnibus, omnia in omnia, omnia ex nihilo, omnia in nihilum potest dare et mutare. Tantum hoc agas, ut credas, et ubi affuerit penuria, non frangaris nec sollicitus sis, rursus ubi affuerit copia, non infleris, et securus Dei obliviscaris, sed sive assint sive desint omnia, eodem corde semper Deo tuo adhaereas, sciens, quod is, qui

dat copiam, dabit etiam, cum presserit inopia. Vide ergo, quam commode et apte Moses isto miraculo Dei utatur ad explicandum sensum primi praecepti.

Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea et manus mea etc.

Hoc adjicit, ut oblivio Dei qualis sit et unde oriatur, describat. Sic enim sentit impium cor hominis, ubi affluxerint divitiae: Ego meis laboribus haec paravi, nec advertit esse has meras benedictiones Dei, aliquando per labores nostros, aliquando sine laboribus nostris, nunquam autem ex laboribus nostris, semper vero ex gratuita misericordia sua donatas. Ut enim supra docuimus, labore nostro utitur ceu larva quadam, sub qua benedicit nos et sua largitur, ut fidei sit locus, ne nostris viribus aut laboribus partum putemus, quod habemus, seu ut hic dicit, ne nostra fortitudine et robore manus nostrae hanc facultatem possedisse nos arbitremur, sed ut recordemur domini Dei, quod ipse sit, qui praebet vires ad parandas has facultates, non nostris meritis, sed quia promiserat ante.

Iste est igitur locus ille insignis, unde fluxerunt multa egregia dicta, quale est illud Proverb.: „Benedictio domini divites facit;" item Psal.: „Qui dat escam omni carni;" et totus ille Psalmus Salomonis: „Nisi dominus aedificaverit domum," ubi prorsus denegatur quidquam viribus nostris parari aut servari, sicut et hic Moses negat fortitudine nostra aut robore manuum nostrarum parari opes, sed benedicente et praebente vires Deo, ut faciamus facultatem, hoc est, opes et substantias, hoc enim significat vox ebraea

חיל. Fides ergo est summa rei interpretatio, et vera intelligentia, et plenitudo praecepti primi, quae nec prosperis extollitur, nec adversis dejicitur.

Si autem oblitus domini Dei tui etc.

Sicut credentibus promissio gratiae, ita incredulis comminatio irae proponitur, ut utrimque trahat et urgeat ad fidem. Incredulitas facit ex Deo et patre judicem et hostem, sicut hic dicit: „Testificor vobis, quod omnino dispereatis." Fides facit ex hoste et judice Deum et patrem, ut paulo supra dixit: „Sicut homo erudit filium suum, sic erudivit dominus te." Et iterum hic insigniter notabis populum Israel prorsus non discerni a gentibus illis perdendis, nisi fide, sicut hic eos perituros dicit aeque atque gentes illas, quas dominus coram eis delebit. Non ergo habent, quod adversus gentes glorientur, de lege, de justitia operum, de sanguine patrum, de miraculis Dei, de eloquiis divinis, de sacerdotio, de regno, et si qua sunt alia. Stat sententia: Si Dei fuerint obliti, et Deos alienos coluerint, peribunt, ac si haec omnia nihil sint, et ipsi quoque gentes essent. Qui enim non crediderit, condemnabitur. Satis autem dictum est, colere Deos alienos est incredulum esse et agere erga verum Deum.

Mysteria seu allegoriae hujus capituli patent facile. Manna, quod ebraice paratum seu donum dicitur, eo quod absque manibus nostris paretur et donetur, significat evangelion Dei, sicut et Christus Joh. 6. exponit: „Non Moses dedit vobis panem de coelo, sed pater meus dat vobis panem de coelo verum." Hoc enim verbum coeleste non nostris viribus aut

meritis datum est mundo. Penuria et afflictio in deserto quadraginta annis, significat miseriam laborantis in peccato conscientiae, ubi est fames, sitis, deinde serpens ignitus et scorpio, scilicet, morsus et aculeus peccati, quod nos dire affligit. Venit manna et cibat nos, venit rivus e petra percussa, id est, Spiritus per Christum crucifixum nobis impetratus, et refrigerat nos, ut nunquam sitiamus in aeternum, Joh. 4. Porro quam absurdum fuit e petra percussa fluere aquas, tam inopinatum erat, ex mortuo Christo venire Spiritum vitae, ita ut et Moses hic laberetur. Quis enim Spiritum vivificatorem ex moriente et sepulta carne speraret?

Abundantia et felicitas in terra promissionis, sunt opes illae donorum Spiritus, thesauri sapientiae et scientiae in Christo nobis donati, ubi habitamus securi et opulentes in omni benedictione coelesti, 1. Corinth. 1. Hic opus est, ut non inflemur saturati, sed benedicamus domino grati, qui dedit haec omnia non solum immeritis, verum etiam sub penuria peccati maledictis et perditis. Haec pro occasione satis.

CAPUT NONUM.

In hoc capitulo amputat Mose aliam occasionem praevaricationis in primum praeceptum, quam vocant superbiam spiritualem, quae de justitia et meritis gloriatur. Haec est fiducia in operibus propriis, qua non est pestilentior pestis et adversaria fidei seu fidu-

ciae in misericordia Dei. Ideo multis verbis eam Mose hic destruit per totum capitulum. Nam haec est rapina gloriae Dei, juxta quod simul consistere nequeant, gloriari in Deo et gloriari de misericordia, in nobis ipsis, de justitia et operibus. Confutat autem eam justitiam tribus robustis argumentis.

Primo, quod gentes illae meruerint expelli propter suam impietatem. Hoc dicit: „Neque enim propter justitias tuas et aequitatem cordis tui ingrederis, sed quia illae impie egerunt, expulit eas dominus.“ Hoc dicto et nos erudiri oportet, si viderimus alios percuti, sive per nos sive per alios, quia non sequitur: Tu vel alii percutiunt illum, ergo tu et alii estis justi prae illo. Alioqui turris illa Siloha, quae oppressit multos in Jerusalem, Lucae 13. etiam justa reputabitur. Sed Deus est, qui percutit impios, ut hic dicit, sive haec faciat per turrem, ignem, aquam, bestias, tuas vel alterius hominis manus, nihil refert, nihil ibi agitur, nisi quod Deus justus impium percussit.

Ceterum, exemplum tibi metuendum est, tibi enim in terrorem percutitur impius, sicut Christus ibidem Lucae 13. exponit dicens: „Omnes sic peribitis;“ et Pau. Ro. 11., dum eodem argumento vetat gentes extolli adversus ruinam Judaeorum, dicit: „Vide, ne nec tibi parcat, alioqui et tu excideris;“ et Rom. 2.: „Existimas homo, qui judicas eos, qui talia faciunt, et eadem facis, quod effugies judicium Dei?“ Egregia est et s. Gregorii sententia dicentis: Dum quospiam peccare conspicimus, nosmet ipsos primum in eorum calamitate deflere oportet, quia aut similiter et ipsi lapsi sumus, aut labi possumus, id quod quidam hoc versu comprehendit:

Aut sumus, aut fuimus, aut possumus esse, quod hic est.

Et ille in vitis patrum, cum lapsum fratris audisset, ille heri (inquit), ego hodie. Quare dum alius percutitur, illud cogitandum:

Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Quin cum misericordi et compatientis affectu sunt impii perdendi seu percutiendi a nobis, cogitando, quod nos instrumentum Dei sumus, forte et ipsi ceu virga in ignem projiciendi, ubi correpti per nos fuerint nocentes.

Secundo, auctoritate promissionis divinae. „Expulit eas dominus, ut compleret juramentum et verbum suum, quod pollicitus est patribus tuis.“ Nihil potuit robustius dici in justitiae propriae fiduciam. Nam ubi erant filii Israel, cum promitteret Deus Abrahae patri eorum, adhuc sterili et desperatae infecunditatis, terram Canaan? Si ex promissione Dei terram accipiunt et possident, non ergo ex meritis aut justitia propria, sed ex mera gratia et bonitate Dei super indignos et nondum natos effusa. Cur enim promittit? An quod sic mererentur ii, qui post 430. annos erant futuri? Absit, sed qui ex sola bonitate promisit, sola etiam misericordia complevit verbum suum. Hoc argumento et Paulus ad Gal. et Ro. utitur, dum potentissime probat justitiam non deberi meritis, sed misericordiae Dei olim promissae.

Tertio, ipsa experientia, dicens: „Cum sis populus durae cervicis etc.“ Qua cervice adeo non meruerunt terram, ut prope fuerit, cum irasceretur Deus, ut ipsos potius quam gentes deleret in deserto,

sicut Psalmus dicit: „Et levavit manum suam, ut prosterneret eos in deserto, et promissionem suam alio vertisset,“ scilicet, in posteros Mosi, Numeri 14. Denique omnes ad unum prostravit in deserto, excepto Josua et Chaleb, ut nec Moses nec Aaron intraret terram. Tantum abest igitur, ut meritis suis terram ingrediantur, ut etiam longe contraria illis evenire oportuerit, sicut et evenerunt, si secundum merita cum illis agendum foret. Hoc argumento et Paulus Roma. 4. utitur, ubi dicit: „Si ex lege hereditas, exinanita est fides, abolita est promissio, lex enim iram operatur;“ ut videas, eadem dialectica spiritus et Mosen et Paulum uti adversus justitiam operum, pro gratia et misericordia Dei.

Quare haec omnia et in nostram doctrinam scripta sunt, ut discamus mala, si qua irruant super impios, venire quidem merito illorum, ceterum, si super nos non irruant, sed bonis fruamur, non nostrae justitiae deberi, sed divinae bonitati, qua nobis ab aeterno talia sunt provisa et promissa, cum et nos longe contraria mereamur. Stat enim sententia, non propter justitiam nostram ullum bonum nobis dari, sed ut Deus suum verbum compleat, quod ab aeterno voluit, ne inflemur, et idolum ex justitia nostra faciamus, sed Deum unum nos habere sciamus, ex quo omnia suscipimus gratis, ex mera bonitate sua super indignos effusa, sicut et Jacob patriarcha confitetur dicens: „Minor sum omnibus miserationibus tuis,“ id est, non una tantum miseratione, velut magna, sed quibuscunque, nempe, quantumcunque parva et modica.

Deinde antidotum salutare adversus hanc pestem adhibet Mose (tanti momenti est hoc monstrum justitiae propriae, ut satis confutari non possit). Ponit

enim ob oculos omnia flagitia praeterita populi, et jubet eos talium meminisse, et illud in monte Sinai peccatum vituli adorati prae ceteris magna vi verborum urget. Quid enim praesentius mederi potest morbo hujus superbiae, quam recordari praeteritarum impietatum et scelerum? Quid enim habet, nisi unde erubescat oculos ad coelum levare? sicut Paulus ait suis Ephesiis [Romanis]: „In quibus nunc erubescitis.“ Nam ideo et David, Mosen, Petrum et Paulum magnosque alios viros labi permisit, ut humiliarentur, et coram Deo erubescerent, solaque sua bonitate niterentur. Unde Petrus 2. Pe. 1. acriter eos taxat, qui praeteritorum peccatorum remissionis oblivionem accipientes, securi et frigidi, deinde praefracti et superbi fiunt.

Denique concludit: „Semper fuistis inobedientes domino a die, qua nosse vos coepi.“ O digna praeconia, o merita, o justitias sancti populi, scilicet, inobedientia divinae vocis. I nunc et gloriare, jacta, inflare tuis justitiis terram datam, qui aliud non mereris audire, quam quod sis populus durae cervicis, et semper inobediens domino, scilicet, his meritis debetur opulentia illa regia, ac non potius mille mortes et cruces? Quid atrocius dici potest, quam esse inobedientem domino? Et tamen huic inobedientiae datur terra illa laudata et benedicta. Quid hic reliquum habet Israel, unde superbiat, ac non potius in pulverem os ponat, et dicat: Pejor sum omnibus gentibus, et magna ac immerita est gratia tua, quod terram illam accipio. Porro, si Israel ille sanctus et peculiaris populus talis est coram Deo, quid nos gentes et peccatores sumus?

Vide hic Mosen, quantis verbis populum accusat in ea ipsa oratione, qua pro eis orat, dicens: „N

adspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum, ne forte dicant habitatores terrae etc." Nihil hic de populo memoratur, nisi talia, ob quae meruerunt mortem. Una salus est, quod periculum nominis domini impendebat in illorum perditione. Quare ut nomen Dei non blasphemetur, datur eis venia, non donanda alioqui, sed prorsus perdendi, si gloria nominis Dei, quod super eos vocatum erat, salva esse posset. Hinc acceperant et alii multi, praesertim David in Psalterio, hunc praetextum sane securum et fidelem, ut dicant: „Propter nomen tuum domine propitiaberis peccato meo etc.," et Josua: „Quid facies nomini tuo magno, quod invocatum est super nos?"

CAPUT DECIMUM.

Quae hic de tabulis secundis recitat Moses, pertinent ad capitulum praecedens de peccato vituli adorati exaggerando. Sunt enim capitula inepte distincta, ut alibi frequenter, ita et hic. Quae vero de profectionibus et mansionibus Israelis, de morte Aaron, et substitutione filii Eleasari, de institutione Levitarum ad portandam arcam, et ad standum in ministerio, et benedicendum in nomine domini, dicuntur, vel quod ea gesta sint, cum haec agerentur, vel quod his mansionibus exsecutus sit Moses in Levitis, quod in monte Sinai mandatum fuerat, vel quod magis credo, quod post mortem Aaron instituto novo sacerdote Eleasaro Levitarum ministeria denuo et iterum correcta et instaurata sunt, ut solet fieri in rebus humanis,

quotidie labentibus et variantibus. Deinde his intersertis redit Moses ad peccatum vituli, et impetrata venia mandatum accipit ducendi populi in terram promissam.

Allegoria vituli et tabularum ipsa quoque ad caput praecedens pertinet. De tabulis satis nos docet Paulus, 2. Corinth. 3., scilicet, esse tabulas lapideas dura illa corda populi legalis, ubi populus gratiae habet tabulas cordis carnales et molles. Scriptae autem sunt leges in tabulis lapideis, quia opus legis scriptum est in omnium cordibus teste eorum conscientia, Ro. 2. Sed duritia cordis facit, ut nec affectu capiatur, ametur, servetur, nec opere impleatur. Sicut tabulae lapideae tantum servant literas scriptas, sed nihil faciunt, ita corda dura, sine spiritu, legem habent tantum in testimonium contra se ipsa. Praecipue populus Judaeus hospes talis est legis et totius Mosi, contra se ipsum in testimonium.

Vitulus ex auro conflatus dogma est operum, ex scripturae verbis et lege depravata conflatum et contortum ministerio et arte sacerdotum, qui praeesse debent populo. Hoc adoratur, dum in illo gloria et fiducia conscientiae (quae soli vero Deo debetur) collocatur, sicut necesse est facere justitiarios. Moses vero arripit illud et igne comburens, confringens et comminuens projicit in torrentem, qui de monte descendit, hoc est, verum ministerium legis docet cognitionem peccati, et opera nihil esse una cum suis dogmatibus, sed opus esse gratia Dei, quae justificet. Ideo totum hoc dogma contritum projicitur et absorbetur torrente evangelii, qui manat ex Christo monte, qui terram implet. Ex eo dat Moses populo bibere,

dum monstrat evangelion esse necessarium, et illud urget cognitione peccati.

Tum redit Moses ad exhortationem et commendationem primi praecepti, dicens: „Et nunc Israel, quid dominus Deus tuus petit a te?“ quasi dicat: Haec est summa praecepti primi, de quo omnia haec dixi, et propter quod omnia praedicta facta sunt, ut timeas dominum Deum tuum, et ambules, et diligas, et servias, ut serves praecepta, quae hodie praecipio tibi. Dixi supra, quod timor Dei apud Ebraeos valet id, quod apud nos cultus Dei. Et vide hic ordinem, timere, ambulare, diligere, servire toto corde etc. Praemittit Moses huic, quod sequitur: „Ut serves praecepta et statuta etc.,“ ut scias nihil externorum praeceptorum servari posse, quod Deo placeat, nisi procedat ex corde timente, diligente, obediente et serviente, ut virtus primi praecepti, quae est fides, regnet et operetur in omnibus praeceptis et operibus, sine qua sunt omnia nihil nisi species et larva.

En domini Dei tui coelum est, et coelum coelorum.

Iterum inculcat et repetit more boni legislatoris magnitudinem et bonitatem Dei praecipientis. Ecce ait: Diversi sunt coeli et diversi Dii, sed Deus tuus est super omnes unus (ut Paulus 1. Corinth. 8. fere loquitur), et tamen ex omnibus populis, sub omnibus coelis, patres tuos et semen eorum amavit et elegit. Notum est, coelos in scripturis distribui non secundum sphaeras, ut mathematici solent, sed secundum portiones terrae, sicut et terra distribuitur, ut alibi dicit: „Dabit coelum, quod supra te est, ferreum,“ scilicet, ut aliud coelum hujus, et aliud coelum alte-

rius populi significet. Verum hic Deus est omnium coelorum, hoc est, super omnes coelos, in omnium orizonte regnans, et non Judaeorum Deus tantum, sed omnium gentium. Sic Psal. 113.: „Coelum coelorum dedit domino, terram autem filiis hominum."

Circumcidite igitur praeputium cordis vestri.

Manifestus hic locus est de gemina circumcisione, ubi simul damnatur fiducia et praesumtio carnalis circumcisionis. Alioqui si ea sufficeret, quid opus erat exigere circumcisionem cordis? Sic et Jeremias dicit, gentes esse quidem incircumcisas carne, sed Israel esse incircumcisos corde. Quo verbo totam illam gloriam populi hujus prosternit Moses, qua praecedente verbo videbatur eos inflasse, ubi dixit, prae omnibus populis sub omni coelo esse eos electos, ne superbirent contra reliquas gentes. Quin mox sequitur, dominum esse dominorum dominum, et magnum, qui nec personam respicit, nec munera accipit. Quid tum? Nihil nisi obedientiam cordis seu circumcisionem spiritus, cujus laus est ex Deo, Ro. 2. Cum igitur personam non respiciat, circumcisio autem carnis et generatio sanguinis ex patribus et omnia praeter circumcisionem cordis sint personaliae et personas faciant, sequitur, quod propterea non possint Deo placere, sed sola circumcisione cordis, quam si gentes habeant, ut Roma. 2. disputat, implent legem, et judicant Judaeos carne circumcisos.

Destruit ergo Moses hoc dicto occasionem illam peccati adversus primum praeceptum, quae oritur ex observata circumcisione et omnibus operibus legis. Satis mirabilis legislator, qui simul praecipit opera, et tamen ea facta damnat. Verum hoc agit, ut non

operibus legis sciant legem impleri, sed ex circumcisione cordis, et ea demum opera esse vere bona, quae non ex lege cogente, sed ex corde prius circumciso procedunt. Ea enim quaerit, qui personas non respicit, alioqui opera nonnisi personas faciunt. Et similis est hic locus Mosi ejus, quem Paulus ad Roma. tractat.

Amat peregrinum, ut det ei victum.

Observandae sunt illae suavissimae promissiones Dei: „Qui non respicit personas," item: „Non accipit munera," item: „Facit judicium viduae et pupillo," item: „Qui amat peregrinum, ut det ei victum et vestitum." His enim verbis consolatur Deus plane omnes miseros, derelictos et afflictos in toto orbe, et allicit cor eorum ad se, ut illi sese credant, et suae bonitati fidant, sicut debetur vero, uni et soli Deo. Nam si personas non respicit, jam habeo, quod glorier et inflato corde superbiam adversus omnes reges, principes, divites, fortes mundi, certus, quod qui ab ipsis ceu pauper, ignobilis, infirmus contemnor et deseror, tamen ab eo, qui est Deus Deorum et dominus dominantium (ut hic Moses quoque verbis luxuriat et superbit), potens, terribilis super omnes contemtores meos, respicior, suscipior et in cura habeor. Quid ergo desit mihi, si dominus aliquis servorum paucorum me despicit, quando me dominus omnium dominantium et Deus Deorum sua cura dignatur?

Ita si sim stultus, peccator, desperatus ac deploratus, adde, si sim judicatus, damnatus, excommunicatus ut peccator, haereticus, maledictus, blasphemus, diaboli servus, quid tum? Illi sunt sancti, justi,

honorati, laudati, inter filios Dei reputati, et inter sidera numerati, quid tum? Hic est Deus Deorum, qui has personas non respicit, nec illorum dona curat, aeque mei peccatoris et stulti curam habet, atque illi de se praesumunt. Obsecro, si fide istae promissiones tenerentur, quae res accidere posset, quae me contristare queat? Quod peccatum me premere possit, quod desperationem facere queat? Imo quae altitudo, quod profundum, quod instans, quae creatura posset nos aut inflare aut humiliare? Haereat cor his verbis, et nihil deerit, cum omnia deseruerint, et nihil aderit, cum omnia etiam arriserint. Tantum crede, non mentiri eum, qui haec dicit, sicut mentiri non potest, et habebis cor securum ac laetum in omnibus et per omnia.

Ecce hoc est interpretari primum praeceptum, hic est commentarius ipsiusmet Mosi. Sic intelligere docet, quid sit esse Deum, quid sit habere Deum, quid sit implere primum praeceptum. Quanti quaeso fontes vel haec sola verba fuerunt prophetis? qui hinc omnia sumserunt, quae de cura Dei super infirmos, viles, pauperes, peccatores, viduas, pupillos, judicatos, damnatos, afflictos, miseros clamant, rursus, quae adversus divites, tyrannos, potentes et judices, violentos, duros, superbos de ira et vindicta Dei tonant. Omnia enim haec fluunt ex oceano illo magno primi praecepti, et rursus in ipsum refluunt, ut non sit solatio fecundior ac plenior audita vox, nec audienda unquam, rursus nec durior nec severior, quam vox illa primi praecepti: „Ego sum dominus Deus tuus."

Et ut pergamus ad reliqua. Multa patiuntur viduae et pupilli, tum quis eos curat? Nemo, nemo. At huc spectent corde certo, ubi dicitur in eorum

gaudium: Deus Deorum, dominus dominantium, Deus magnus, potens et terribilis, hic facit judicium viduae et pupillo. Hinc illud fluxit Psal. 67.: „Pater orphanorum et judex viduae," qui hunc titulum gloriae sic jactari vult, ut videatur ex mera misericordia monere tyrannos, ne committant, ut contra eos cogatur ei titulo satisfacere, sed fideliter terret, ut timeant nocere viduis et pupillis, quin potius suo exemplo illis benefaciant et ament. Atque id multo insignius est, quod, sive viduae et pupilli credant sive non, nihilominus ipse judicium eorum facit, et tyrannos judicat, licet incredulitas viduarum et pupillorum illud non mereatur in hac vita, vel dum durat incredulitas, experiri. Nam promissio illa pergit et impletur contra violentos et duros, etiamsi nullus hic crederet, multo potentius ac citius implenda, si ipsae viduae et pupilli crederent.

Ita peregrinos amat, ut pascat et vestiat. Quis obsecro nunc confidat in domum aut hereditatem paternam? quanquam etiam non sit contemnenda. Sed si quo casu contingat peregrinari, ne diffidat ullus, neque minus credat, quam si domo paterna foveretur, sed cum psalmista canat: „Pater meus et mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumsit me." Sap. 16. de patriarcha Jacob dicit: „Haec justum profugum ab ira fratris deduxit recta via, ostendit illi regnum Dei, et dedit ei scientiam sacrarum rerum, locupletavit illum laboribus suis, et perfecit labores ejus etc." Quis dubitat hinc illud contingere, quod plures ditescunt, exaltantur et inclarescunt apud extraneos, quam qui apud parentes domi manentes educuntur? quia Deus est pater omnium, qui peregrinum amat ad dandum ei victum et vestitum.

Ipse est laus tua et Deus tuus.

Phrasis ebraica. Laus hoc loco mihi proprie id videtur esse, quod Paulus graece καύχησιν aut καύχημα vocat, glorationem, teutonice Ruhm, ut sit sensus: De nulla re, neque de te aut tuis operibus inflaberis aut gloriaberis, sed in Deo tuo gloriare, in ipso inflare, in ipso superbus esto, dum scis, quod ipse sit, qui personas non respicit etc., et fecit tecum haec omnia magnalia, quae viderunt oculi tui, quasi dicat: Experimento didicisti, quod tibi peregrino victum et vestitum dedit, quod personas non respicit, quod judicat pupillo et viduae etc. Habes ergo, quo inflerís et superbus sis adversus omnes tyrannos, imo adversus omnia mala, nempe Deum tuum, qui omnibus bonis te providet. Vides itaque primi praecepti plenitudinem esse, si sit Deus laus, gloriatio, jactantia, superbia cordis nostri in utroque tempore, prosperitatis et adversitatis. Hoc est enim Deum habere in veritate.

Allegoria de tabulis fractis et novis paratis ea est, quod ministerium legis in duplici usu est: Primo, cum nihil nisi opera sine corde fiunt, hoc est, vere vitulum erigi et adorari, id est, ex lege facere doctrinam carnalem operum, et in ea gloriari, quod idem est, legem Dei violari. Hoc significat Moses, quod viso vitulo frangit tabulas, id est, ostendit per doctrinam et opinionem operum violatam esse legem Dei. Sic itaque lex non pervenit ad populum, quia non intelligitur a populo carnali. Secundo, cum pervenit ad populum, sed radiante vultu Mosi non sustinetur, et occiduntur adoratores vituli, hoc est, spiritualis lex iram operatur, dum peccatum ostendit, Ro. 7., et su-

stinseri non potest cornu radii ejus, exigentis longe aliud, quam opus.

Ideo simul hic describitur profectio filiorum Israel, et mortuus Aaron, et reformatio Levitarum, scilicet, quod secundus usus legis succedit primo, et aboleri oporteat sacerdotes et magistros vituli, hoc est, doctores operum, ut populus in alium affectum migret, et Levitae, hoc est, ministri verbi reformentur, qui stent in ministerio domini, non operum, et benedicant in nomine domini, hoc est, praedicent verbum gratiae, ut sit portio eorum solus dominus in fide pura. Tum impletur praeceptum primum.

CAPUT UNDECIMUM.

Hoc capitulum est epilogus quidam exhortationum omnium praedictarum super primo praecepto. Repetit enim et inculcat beneficia in Aegypto et deserto accepta, et promittit terram et futura beneficia accipienda, ubi servaverint praecepta Dei, et Deos alienos non coluerint. Hoc enim praeceptum primum hactenus tractavit et ursit, ideo et circa ipsum sic sollicitus est, ut mandet illud in cordibus poni, pro signo in manibus et oculis ligari, et docendum filios, sicut et supra fecit, quia in isto sita est tota summa et plenitudo omnium sequentium. Ita videmus nihil omissum a Mose, quod pertineret ad intellectum primi praecepti, quomodo omnia, quae promovent ad fidem, omnia, quae impediunt, copiose tractarit. In sequentibus tractabit ritus et cerimonias operum ejusdem praecepti.

Intermiscet autem et promissiones aliquot, nempe, si domino adhaeserint, expulsurum esse gentes fortiores illis, item, omnem locum, quem calcaverit pes eorum, fore ipsorum, item quod ait: „Nullus stabit contra vos," et: „Formidinem ac terrorem vestri dabit dominus Deus vester super omnem terram illam, quam ingressuri estis;" deinde juxta promissiones et maledictionem. Quin utrumque simul, benedictionem et maledictionem mandat pronuntiari in montibus Grisim et Ebal, de quo infra dicemus, quae omnia ad finalem epilogum pertinent. Addit et terrae promissionis conditionem per modum promissionis, scilicet, eam non esse sicut terram Aegypti, sed esse domino curae singulari, cujus oculi in ea sint a principio anni usque ad finem, scilicet, ut suspendat eos fide in Deo, et sciant pluviam hujus terrae fidelibus praestandam favente Deo, et negandam infidelibus.

Notum est Aegyptum non pluviis rigari, sed inundatione Nili quotannis in aestate, quod miraculum Dei assiduitate viluit, sicut et omnia alia. In hoc enim differt ab aliis terris mirabili discrimine. At haec terra promissionis montes et valles habet, ideo non inundatione fluvii, sed rigantibus pluviis de coelo fecundatur, non quod aliae terrae non eodem modo rigentur et curentur, et oculi domini in illis non sint a principio anni usque in finem, sicut in ista, cum ipse det escam omni carni, et ut praecedenti cap.: „Ipse peregrinis victum et vestitum dat," et „replet laetitia et cibo corda filiorum hominum," Act. 17., sed quod nullae gentes de hac re habeant promissionem Dei. Omnibus quidem omnia dat Deus, sed huic populo peculiari addit promissionis verbum, ut non solo pane, sicut ceterae gentes, sed et verbo vivant, nec curam

ventris in terra solum habeant, sed multo magis et spiritus, ne putarent sibi dari terram, in qua se sicut porcos saginarent, ac non potius verbo Dei alerentur, et verbo Dei omnia acciperent, hoc est, Deo servirent. Non ergo propter terram ipsam, sed propter populum in ipsa curat eam Deus et respicit, ut eos fide regat in illa, sicut alibi dicitur: „Non gentem propter locum, sed locum propter gentem elegit." Non enim elegit Abraham et semen ejus propter terram, quam ei promisit, sed elegit terram propter Abraham, quam ei donaret.

Significat autem ea terra regnum Christi, quod antea impiis daemonibus et doctoribus et operariis occupatum per verbum evangelii liberatur a peccatis et erroribus, in qua per fidem sic vivitur, ut certa et fideli conscientia sentiamus nos esse curae Deo, et oculos gratiae suae apertos super nos perpetuo. Deinde pluviis coelestis doctrinae fecundatur. Non enim opere aut verbo hominis, sicut in Aegypto ducuntur aquae irriguae, sed solo Dei sermone rigatur de coelo etc.

Pluvia temporanea et serotina alias quoque dictae sunt, ut temporanea pluvia sit pluvia prior, serotina sit posterior, sic enim fiunt laetae segetes et copia rerum, si post pluviam sequitur serenum et calor solis, deinde ubi aestus praevaluerit, iterum pluvia sequatur. Nam perpetua pluvia aeque omnia perdit, atque perpetuus aestus et ardor. Sic et doctrina non sola in populo est versanda, sed post doctrinam opus fidei exercendum. Ubi vero virtus operando et patiendo lassata fuerit, tum iterum doctrina cor erigendum, confortandum et consolandum. Sic crescit homo in cognitione Dei. Alioqui solum docere et nihil facere est idem, ac si perpetuo plueret, ut omnia suffocarentur et perirent. Rursus,

facere et pati et non docere, idem est, ac si perpetuo ferveret aestus, ut etiam sic lassata virtus spiritus exstinguatur. Opus ergo utraque pluvia, temporanea et serotina, scilicet, docere et exhortari, Roma. 12.: „Qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando."

CAPUT DUODECIMUM.

Haec sunt statuta et jura etc.

Absoluta explanatione spirituali praecepti primi et instituto corde pergit nunc Moses ad opera et cultus Dei externos in opere et cerimoniis, et primo decernit de loco cultus divini ubi fere quinquies aut sexies repetit, ne in loco quovis sibi placito, sed solum in eo, quem elegerit dominus, sacrificent et Deum colant. Unde et gentium loca, aras, statuas praecipit demoliri, et memoriam eorum tolli. Erat autem locus a Deo electus, ubicunque arca foederis et tabernaculum erat, loquendo de loco generali et perpetuo, pro sacrificio jugi totius populi. Alioqui saepius ad diem unum vel horam alium locum elegit, ut patet in Samuele, Elia, Gedeon, Manoha et aliis, sed nec hoc ipsum sine revelatione singulari vel per angelum vel per prophetam.

Hoc totum ideo praecipit, ne populus in cultu Dei feratur proprio affectu quantumvis sancto et bono, sed regatur verbo, quia si sine verbo non vivit homo quoad ventrem, quanto minus vivet in opere Dei et spiritu sine verbo? Vult enim Deus conscientiam

nostram esse certam et securam, sese placere Deo. Quod fieri non potest, si suo affectu feratur, sed si verbo Dei nitatur. Ideo si in loco a se ipsis electo Deum colerent, etiamsi sibi in eo placerent, certi tamen non erant se Deo placere. Certi autem erant placere, si in loco per verbum Dei designato offerrent.

Obscuritas et difficultas quaedam in hoc capitulo oritur ex eo, quod toties idem repetit Moses, deinde quod sibi ipsi pugnat, dum bis indulget, ut in oppidis suis sacrificent et comedant carnes juxta desiderium animae suae, semel, dum locus domini prope, deinde, ubi locus procul fuerit, et tamen simul prohibet, ne in loco quovis comedant aut sacrificent, id quod toto (ut dixi) capitulo urget. Altera difficultas, quomodo concedit, ut de decimis et sacrificiis comedant, quae tamen sacerdotibus et Levitis debebantur?

Ad primam sic dicemus, Mosen hoc capitulo hoc solum urgere, ne nisi in loco a Deo electo sacrificent. Ideo huc intendit, et non advertit, quam distincte vel de sacrificiis vel escis disputet, tantum ut locum unum constituat. Ideo vult sic dicere: Carnes quidem quascunque permitto tibi, ut sacrifices et comedas domi, et in loco tuo, sive mundus sive immundus. Verum quodcunque Deo offerre debes vel volueris, ea prorsus nolo, ut nisi in loco Dei offeras et comedas. Etiamsi fuerit is locus procul, adhuc quidem concedo, ut carnes quasvis sacrifices et comedas. Verum quae Deo offerre volueris, illuc deferas, vel si deferre non poteris, in argentum commutes, et alia in loco Dei emas, ut dicet cap. 14., ut sit sensus, carnes quidem, quas non offerre oportet, liberas esse ad comedendum in quovis loco, sed sacrificia et ea, quae Deo deben-

tur, non posse sacrificari et comedi, nisi in loco Dei.

Ex quo patet, quod Moses verbo sacrificandi hic utitur pro mactandi verbo, cum nihil sacrificetur nisi mactetur, quomodo et Lucas Acto. 10: „Surge, Petre, sacrifica et manduca,“ id est, occide et comede. Id ita habere cogit textus circumstantia, nam rigidissime statuit, ne sacrificent in loco nisi a Deo electo, et tamen permittit carnes sacrificari et comedi in quovis loco. Nam dum id de carnibus non Deo offerendis dicit, sine periculo et scandalo eas vel mactari vel sacrificari dicit, cum quilibet bene intelligat, ibi de sacrificio non agi. At si de carnibus Deo offerendis loqueretur, non sine scandalo eas sacrificandas permitteret in quovis loco, quanquam simul sub hoc verbo occulte indicet commune illud et spirituale sacerdotium, quo nos mystice omnes nos ipsos sacrificamus, Roma. 12.

Ad secundam difficultatem idem dicimus, quod Moses intentus loco decernendo, de comedendo non distincte loquitur, sed involvit totum populum cum sacerdotibus et Levitis, ut sit sensus: Decimas et sacrificia in loco Dei offeretis, et comedetis cum gaudio, sed quilibet suam partem, nempe decimas sacerdotes et Levitae, de sacrificiis etiam vulgus. Nam Moses spectat (ut dixi) in totum populum coram Deo congregatum, ubi alii decimas, alii sacrificia, alii partes sacrificiorum accipiunt et comedunt, et gaudent omnes in eodem uno loco. Ideo non sequitur, decimas a vulgo comedi, sed in populo esse, qui eas comedant, scilicet, sacerdotes et Levitas, cum interim vulgus suas partes de sacrificiis ederet.

Memorabiles sententiae hujus capituli sunt istae

duae: „Non facies, sicut nos hodie hic facimus, singuli quod sibi placet," et: „Quod praecipio, hoc serva, ut facias, nec addas quidquam nec minuas." Prior damnat in totum liberum arbitrium, quia comparat nostra studia verbo Dei, dum vult generali sententia, nihil a nobis eligi aut fieri sine verbo Dei praeeunte et lucente, ita nec locum aliquem eligi etc. Ex quo sequitur meras tenebras et errores esse, quidquid sine verbo tentamus. Nam si hoc non esset, non opus fuisset cavere, ne faceremus, quod nobis rectum videtur, nec verbo etiam indigeremus.

Posterior praesumtionem tollit, ne meliora faciamus, quae Deus statuit, simul et libertate nos donat, absolvens nos ab omnibus operibus, studiis, legibus, traditionibus hominum, et solo verbo Dei copulans nostras conscientias, de quo alias plurima.

Nota vero, populum hoc loco a Mose definiri impium, dum dicit eos facere, quae sibi, non quae Deo recta videntur. Huc pertinet illud Act. 8., ubi Steph. ex Amos allegat, eos fuisse idololatras, et Paulus Act. 15. Deum pertulisse mores eorum, et Psal. 95. quadraginta annis eos fuisse fastiditos Deo. Quomodo ergo constabit, quod Numeri 24. benedictus vocatur, et a Bileam tam magnifice laudantur? Sic constabit, quod utrobique per synecdochen res dicitur, quod major pars impia fuerit, et minor pars pia. Veruntamen propter verbum Dei, quod inter eos in piis fuit, totus populus laudatur, sicut Roma. 3. circumcisionem, id est, totum populum laudat, quod eloquia Dei illis credita sint, licet multi non crediderint.

Allegoria unius loci est ipse unicus sensus fidei, in qua omnes sancti conveniunt et communicant. Hic ergo summo rigore praecipitur, ut in unitate fidei

maneamus, et non in sectas et opiniones nostras dividamur, quae sunt colles, valles, luci et omnino loca illa, quae nobis placent, in quibus quidquid offerimus, displicet. At manentibus in eodem sensu fidei nihil nocet, etiamsi peccent alioqui, sed quidquid obtulerint, placet.

Veruntamen carnes quasvis licet edere extra locum Dei etc. Hoc est, omnia externa, quae non sunt fidei, libera sunt, potest eis conscientia uti et non uti, ut sunt ista carnalia, vestes, loca, cibi, tempus, personae, gestus. At quae sunt fidei, ut sacrificare corpus nostrum, et fructus spiritus, libera non sunt, sed in fide offerenda sunt, et gaudendum coram Deo in omnibus bonis acceptis a Deo, praesertim in verbo gratiae.

Sanguis fundendus ad terram sicut aqua et non comedendus cum carne, sive in sacrificiis sive aliis escis, significat, nihil docendum neque sequendum in rebus tam fidei quam libertatis christianae, quod veterem hominem, carnem et sanguinem sapit. Pariter enim impium est, conscientias fideles captivare carnalibus doctrinis operum, aut operibus velle justificare, et rursus sic liberas facere, ut prorsus nihil operentur, et libertatem in occasionem dent carnis. Is ergo non comedit sanguinem, sed fundit in terram sicut aquam, qui fide justificatus opera justificantia contemnit, et tamen otium et carnis libertatem damnat. Id cum fecerimus, bene nobis erit, ut hic Moses dicit, et facimus, quod placet domino. Haec est enim voluntas ejus bona, beneplacens atque perfecta, Ro. 12.

CAPUT TERTIUM DECIMUM.

Si surrexerit in medio tui prophetes, et praedixerit signum etc.

Ad confirmationem illius, quod in fine praecedentis cap. dixit: „Non addas quidquam etc.," hoc totum capitulum ponit Moses, volens verbo Dei tanta religione adhaereri, ut nec personis nec signis moveri debeamus, sive sint docti et sancti, sicut prophetae, sive sint boni et blandi, ut fratres, filii, amici, sive sint magni et multi, ut urbes et potentes. Prorsus solo verbo nitendum est, et omnia ex oculis et sensibus removenda, quia amisso verbo amittitur Deus. Melius est autem amittere amicos, fratres, sanctos, potentes et omnia, quam Deum.

Et hic vides, unicuique mandari jus judicandi doctrinas etiam legitimorum prophetarum, sicut et Christus mandat, Matth. 7.: „Attendite a falsis prophetis," licet nulli sit permissum externum jus exsequendi et occidendi talem prophetam, sed magistratui, ut sequenti capitulo docebimur. Unicuique enim sua conscientia custodienda est, ideo unicuique necessarium est jus judicandi spiritus et prophetias, sed nulli jus est accipere gladium sibi ipsi. Alioqui quid opus esset magistratu publico?

Quaeritur hic, quomodo prohibet credi prophetae facienti et praedicenti signa, quae veniant, cum tamen capitulo 18. dicat, hoc dinosci verbum esse Dei, si venerit id, quod propheta dixerit? Respondeo. Hoc 13. cap. loquitur de verbo Dei praeterito, quod jam receptum signisque suis confirmatum est, sicut

dicit: „Non addas quidquam, nec minuas,“ et iterum: Mandata Dei servate, et vocem ejus audite.“ Adversus tale verbum non sunt admittendi prophetae ulli, etiamsi pluerent signa et prodigia, ne angelus quidem de coelo, ut Paulus ad Gala. dicit. Hic autem propheta scribitur daturus signa ad hoc, ut alios Deos introducat. Hoc jam est adversus verbum acceptum de uno solo Deo colendo, ideo non est audiendus. Cap. vero 18. loquitur de novo verbo nondum recepto, quodque nec sit*) adversarium recepto, unde ibidem dicit: „Si locutus fuerit propheta in nomine meo, quod non mandavi etc.“ Talis propheta non est admittendus, nisi signa fecerit, sicut Christus evangelion suum signis firmavit, cum esset ultra Mosen praedicandum, Deus enim non revelat aliquod verbum novum, nisi confirmet ipsum signis. Permittit quidem novum verbum doceri, ut tentet nos, sed fideliter adest, ne signa fiant, aut quae illi praedixerint, veniant, ut in Elia cum Baalitis ostendit, sicut et Paulus dicit: „Oportet haereses esse, ut ii, qui probati sunt, manifesti fiant.“ Ita sinit quoque signa fieri adversus receptum verbum, iterum, ut tentet nos (sicut hic Moses dicit), an diligamus eum toto corde. Ita nos hactenus lusit Satan signis et prodigiis mendacibus ad operationem erroris, ut Paulus praedixit, dum peregrinationes, apparitiones spirituum, sanitates aliquas juxta sepulchra quaedam adversus receptum evangelion admirati sumus, ita ut sancti quoque hic lapsi sint, ut Aug., Bernhardus, Hierony. et multi alii, qui ordines et regulas operum instituerunt adversus puritatem fidei, plane damnandi

*) In edit. princ. desunt vocc.: quodque sit.

(ut Viglephus ait), nisi resipuissent et plenitudine fidei, in errore incognito, servati fuissent.

Deos alienos diximus saepe, et iterum dicimus, non esse tantum idolum illud externum, sed multo magis opinionem seu conscientiam erroneam de Deo vero fictam, qualis enim est conscientia, talis Deus. Si enim credideris Deum coli sacrificiis istis vel istis, isto vel isto loco, idque sine verbo Dei, jam verum Deum amisisti, et opinio illa sacrificii talis est Deus tuus, quam sub nomine veri Dei tenes. Si credis cuculla et rasura verticis, paupertate, obedientia, jejunio, cibo, potu coli Deum (cum hic verbum Dei non habeas), jam cuculla et rasura Deus tuus est, seu opinio illa de cuculla et rasura. Ideo sicut opinionem de cuculla intus loco Dei habes, ita foris procedis, et cucullam velut idolum externum secundum imaginem opinionis internae erigis, geris, honoras, colis et in pretio habes.

Ecce, hoc est Deos alienos facere et sequi, hoc est, Deos colere, quos ignoras, quia non sentis nec intelligis te loco veri Dei opinionem et idolum colere, nec advertis, quam incertus sis in eo cultu, et quam nihil de vero Deo cogites aut teneas, quia sine verbo ejus de eo cogitas. Ipse autem nisi per verbum suum nec teneri nec cogitari potest. Ita vides, quod omnis ratio alienos Deos inveniendi et colendi nulla est alia, nisi opinio illa impia, qua eligimus et credimus sine verbo Dei, hoc vel hoc opere, isto vel isto loco, isto vel isto ritu Deo nos placere, cum ille talis non sit, et tamen sub nomine suo alius mendaciter in corde fingitur. Inde foris etiam varia nomina sicut et idola sequuntur, ut alius Baal, alius Astharoth

alius Dagon, alius Moloch, Peor, Camos, et sic de aliis nuncupetur, sicut nostri monachi alius ab alba, alius a nigra veste, et quilibet suo nomine et opere foris ab aliis distincto nominetur. Omnes hi sunt prophetae, quibus somnia illudunt et dicunt: Eamus et colamus Deos alienos, id est, novos ritus eligamus sine verbo, sub nomine veri Dei.

CAPUT QUARTUM DECIMUM.

Filii estis domini Dei vestri, ideo non incidetis vos.

Definito loco cultus divini hic definit personas seu ritus personales, scilicet quales in corpore esse debeant. Prohibet autem tria, incisionem, rasuram super mortuo, et escam immundorum. Incisio hic intelligitur non illa impressio stigmatum, de qua infra dicet, sed ritus quidam funebris, qua forte Aegyptii et aliae gentes faciem secuerunt, et prosciderunt, tum supercilia deraserunt in signum tristitiae et luctus. Non enim de calvitio capitis hic loquitur, sed faciei inter oculos, ut ebraeus textus habet. Quo ritu aliud non vult, quam ut populus suus esset dissimilium morum ab aliis populis, sicut dicit: „Filii estis domini Dei vestri.“ Cujus allegoria est haec, quod nos suscitato Christo a mortuis, per fidem victa morte et peccato, nullum signum tristitiae aut mortis gerere debemus, sicut ceteri, qui conscientia peccati

sunt sine spe vitae. Ideo in illis est videre non signa neque verba vitae, mors enim regnat in ipsis virtute peccati, nos autem filii Dei vivimus cum ipso.

Post haec docet Moses, quae animalia sint illis munda et immunda, et verisimile est animalia ista ad literam omnia esse immunda, hoc est, noxia et incommoda pro cibo et corpore humano.

Veruntamen potior ratio est, hunc populum oportuisse multitudine et varietate legum non solum discerni ab aliis populis, unde eis odium et persecutio propter legem Dei oriretur, verum etiam occupari, ne per sese ritus et opera et leges sibi inveniret otiosus et vacuus, deinde et opprimi, ut multitudine peccatorum superbia ejus fracta ardentius suspiraret Christum salvatorem eis promissum, simul ut hoc exemplo externo moverentur ad mundiciam spiritus, et ad caritatem et mansuetudinem formarentur, dum viderent, nonnisi immunda et rapacia atque crudelia animantia prohiberi. Haec pro litera.

Ceterum allegoria, quam diximus tutissime trahi ad ministerium verbi, cum frigida sit, et potius non mystica intelligentia, sed historica, quae ad mores et opera trahitur. Ita et hic immundicies animalium significat doctrinam operum, quam legis et traditionum magistri docent, quibus nunquam purificatur cor et conscientia, imo immundis nihil est mundum, sed inquinata est eorum mens et conscientia. Nam quo magis sese mundant operibus, hoc magis sese polluunt fiducia et superbia, incredulitate et impietate tali. Unde et Pet. impios a fide in opera relapsos comparat porco in volutabro luti post lotionem. Rapacia vero sunt et crudelia, quia doctrina eorum non solum polluit

magis ac magis, sed etiam lacerat et devorat, quia non reddunt pacatam et laetam conscientiam, sed laceram, convulsam, vastam et misere devoratam, insuper et plurimos seducunt et rapiunt a fidei sincera doctrina. Unde Christus eos lupos rapaces vocat, et Paul. lupos graves, qui non parcant gregi. Igitur impii operum doctores sunt immundi et crudeles, dum corda magis conspurcant, devorant et a Christo avellunt.

Hic negotium relinquo otiosis, ut per singula illa animalia mores impiorum doctorum scrutentur. Nota est stultitia struthionis, qui tecto fronde aliqua collo putat se totum tegi. Sic impius magister apprehenso uno dicto aliquo scripturae putat suam opinionem esse pulchram, non videns, quod undique nudus et inermis sua asserat. Asio valet aucupi, quia mire allicit species pietatis. Noctua in luce non videt, nocte videt. Quia impius veritatem non audit, ad fabulas vero suas convertitur. Cuculus sorbet ova currucae, et sua in nidum ejus ponit, cujus postea foetus grandior currucam matrem devorat in nido. Quia impius magister surripit filios ecclesiae, et suam prolem substituit, quae ecclesiam tandem pessundat, a qua nutritus erat. Sic upupa in nidum suum cacat. Quia impii magistri se ipsos (ut dixi) et ecclesiam maculant, ut Pet. dicit: „Labes et maculae sunt." Hirundo garrula familiaris est hominibus, sed nullius usus, et laesa graviter in pecore sese ulciscitur. Verbosus est magister impius et blandus, verum nullius utilitatis, et laesus est implacabilis, donec se ulciscatur. Sic de aquila et aliis faciat, cui libet, et videbit mire omnia quadrare impiis doctrinis.

Edere talia est eis credere et sequi, sicut edere carnem Christi est credere, Joh. 6. Non edere est vitare eas abominationes. Dividere vero ungulam est (ut Paulus Timotheon docet) recte secare verbum Dei, hoc est, sic docere, ut evangelion et legem recte applices, evangelio conscientiam erigas, vivifices et liberes, et non lege aut operibus et peccatis premas et oneres, rursus, carnem non liberes evangelio, sed lege et operibus premas et mortifices, sicut docet veterem hominem et corpus peccati, ut destruatur. Ruminare vero est cum affectu verbum suscipere et meditari summa diligentia, ita ut non sinat (juxta proverbium) una aure illabi et altera elabi, sed pertinaciter retineat in corde, et deglutiat ac trajiciat in viscera.

Qui ergo vel solum evangelion vel solam legem super utrumque hominem, scilicet, interiorem et exteriorem ponit, hic non dividit ungulam, (id est, officium docendi non recte exercet), quia per solum evangelion docet libertatem totam, id est, et spiritus et carnis, ut simul et conscientia laetetur et liberetur ab operibus, et corpus otietur a servitute caritatis, rursus, per solam legem docet captivitatem totam, id est, et spiritus et carnis, ut simul et conscientia vexetur scrupulis et inquietudine, et corpus labore et opere. Utrumque est immundum et pollutum, ac non vere justificatum per fidem ostendit magistrum. Fiat ergo per verbum gratiae cor liberum, et per legem caritatis corpus servum, et recte divisa erit ungula.

Rursum sunt, qui dividant ungulam et non ruminent, ut sus seu porcus. Hi sunt, qui utrumque recte docent, sed dum aliis praedicant, ipsi reprobi

efficiuntur, quia non castigant corpus suum, nec redigunt in servitutem, quia cum vidua in deliciis vivente mortui sunt, et inter spinas et voluptates suffocant verbum, ut non faciat fructum. Hauriunt verbum, sed mox labi sinunt, nec toto corde percipiunt aut meditantur. Porci sunt hi in volutabro peccati. Alii vero ruminant, sed non dividunt ungulam. Hi sunt, qui vel solum evangelion vel solam legem toto corde accipiunt, pertinaciter haerent ac tenent, sed vel conscientiam solam vexant, vel corpus solum liberant, et hi ergo immundi sunt, ut camelus et lepus et cuniculus.

Idem sentiendum est de aquaticis, quae sine pinnulis et squamis sunt. Pinnulae enim sunt eis vice alarum, quibus regunt cursum suum. Per quas significatur doctrina fidei, quae verbo Dei regit et agit corda in hoc mundo. Squamae vero sunt velut arma et ornatus corporis eorum, sine quibus cetera natantia sunt velut nuda. Significant autem fidem non esse otiosam, sed operosam per spiritum caritatis. Si qua igitur sunt squamosa sine pinnulis, significant operarios sine fide et verbo, ut serpentes. Si qua pinnulas habent sine squamis, significant eos, qui habent verbum sine fructu et opere, ut anguillae, murenae. Alia nec pinnulas nec squamas habentia sunt, quae nec fide nec opere valent, ut vermes, sanguisuga etc. His omnibus vesci non licet, nec communicari. Ita inter aves, quae reptant et pennas habent, immunda sunt, significant hypocritas, qui verbi doctrinam in speciem habent, acsi volare possent, tamen reptant toti et terrena sapiunt.

Morticinum non comedendam, alibi nec tangendum esse dicit, sed peregrino vendendum aut dandum.

Hoc est, sinite mortuos sepelire mortuos suos. Ne ullam societatem habeamus cum iis, qui sunt sine verbo vitae. Atque si aliquando habuerint, et amisso verbo mortui fuerint, ut haeretici, demus eos peregrinis, hoc est sint nobis sicut ethnici. Illis sociari sinamus, et a nobis alienemus. „Quia tu populus es sanctus domino Deo tuo," id est, verbo ejus sanctificatus, ideo non communices peccatis alienis.

Non coques hoedum in lacte matris.

Sicut in animalibus immundis civilem mundiciam instituit, ita et in hoede civilem misericordiam, ut assuescerent ista externa mansuetudine et clementia etiam hominibus misereri et parcere, etiam relicto jure suo. Deinde cum hic de cultu Dei agat, non vult immolari hoedum immaturum, sed anniculum (ut alibi praecipit), ut non invalida et inutilia offerant. Significat autem illud apostoli Ro. 1.: „Infirmum in fide suscipite," ne eos, qui lacte opus habent, solido cibo perdamus, et ne coquamus eos aut mortificemus vel martyrio vel aliis robustis tentationibus, antequam vitae firmitatem et doctrinae certitudinem consecuti fuerint. Deus enim non tentare sinit, ultra quam ferre possumus. Quare et nobis sic credendum et docendum est. In regno enim Christi lex una est: „Alter alterius onera portate," Gal. 6.

Decimam partem separabis etc.

Triplices decimas huic populo imposuit Deus. Unas, quas singulis annis de omnibus fructibus terrae dabant Levitis. Alteras, quas quolibet anno tertio ultra praedictas de eisdem omnibus fructibus terrae

separabant, velut in communem cistam et in stipem publicam erogandas, tam Levitis*) quam peregrinis, pupillis quoque**) et viduis, quia nolebat pauperes in terra esse, ut cap. sequenti dicit. De istis duabus decimis loquitur hoc capitulo. Tertiae decimae erant Levitis impositae, ut de suis decimis darent sacerdotibus quoque decimas, de quibus in Levitico, quibus sacerdotibus et primogenita omnia Deus dedit, ita ut primogenita hominum argento redimerentur. Erant ergo ordinarii reditus sacerdotum, primogenita seu primitiae ac decimae a Levitis acceptae, quibus accedebant sacrificia et dona totius populi. Levitarum autem reditus erant decimae a populo acceptae et pars sacrificiorum, si ministrabant sacerdotibus. Atque utinam ceteris omnibus censibus sublatis, qui hodie terras et populos devorant, quos et iniquos esse necesse est, instituerentur decimae, si unae non sufficerent, adderentur tres, quartae aut quintae. Sic populus posset vivere sub dominis suis. Hic esset redituum honestissimus et justissimus modus, qui penderet ex mera bonitate Dei. Si enim anno aliquo largiter Deus benediceret, haberet populus largiter proventus, et magistratus largas decimas. Sin parum benediceret, ferret magistratus aequale onus cum subditis, et minus acciperet. Nunc vero cum stati et certi sint census annui, et rari sint anni benedictionis, coguntur subditi pendere plenos census, etiamsi decennio perpetuo vel amplius nullum annum benedictionis habeant, imo quod miserius est, census pendere coguntur plenos, etiamsi de terra eo anno vel vix tantum vel non tantum, quantum pendendum est, ac-

---

*) In edit. princ. † quoque. **) In ed. princ. deest: quoque.

ceperint, scilicet, aliunde mutuo acceptis, quo vel suppleant census, vel unde vivant ipso anno.

Nonne haec est plus quam barbaries? imo bestialis quaedam et crudelis rapacitas? Hos ergo census justos dixeris? has leges esse aequas putaveris? Quid mirum, si populus devoretur et fugetur ex omni loco? Quid est igitur hodie regnum Germaniae, nisi mera tyrannis? De exteris regnis nihil loquor, nihil novi, de nostris sollicitor. Quis putas principum aut magistratuum hodie salvari poterit, si haec sciens aut volens patitur aut facit, si mederi rebus (sicut decet principes) possit? Vides, quam urgeat hic ratio salutis, ut principes communi consilio cooperati hoc agant, ut prorsus exstinctis omnibus censibus et in decimas (quotquot necessariae fuerint) mutatis populum servent, et aliis legibus orbem regant. Fateor, vulgus luxu et petulantia perditum est, si abundet; sed his rebus aliter quam iniquis censibus succurri debet, et peccatum peccato non sanari. Deinde culpa perditi vulgi in principibus est, qui sine lege, sine cura, sine rigore imperant, et tantum censibus et voluptatibus student.

Sed ad Mosen redeamus. In quo vide pulcherrimum ordinem. Primo loco de decimis annuis et primogenitis quotidianis tractat, quibus providetur sacerdotibus et Levitis, deinde de decimis triennalibus, quibus succurreretur quibuslibet pauperibus, ut intelligamus, prima cura providendos esse ministros verbi, per quos non venter, sed cor et spiritus pascitur; deinde curandus et venter pauperum. Quia prior est fides et verbum, quam caritas et opus bonum, ideo prius curandum est, ut fides et verbum sit provisum, quam

caritas et opus bonum. Non aliter autem providetur, nisi ut, qui docere debent, alantur. Imo si fides et verbum perierint, caritatis et operis boni nihil erit reliquum. Sed lex est lex, dicitur et non fit. Sicut enim populus Mosi hac lege omissa non pascebat suos sacerdotes et Levitas, unde cogebantur aut verbum et cultum Dei relinquere, apprehensa opera aliqua manuum, aut novas doctrinas et idololatrias erigere; hic opulenter populus pascebat seductores suos, qui veros pastores negligebat, quia et ipsi a veritate auditum avertebant, et ad fabulas convertebantur: ita et nunc fit, verbi ministros nemo pascit, ut penuria panis cogantur deserto ministerio rusticari et artificiis exerceri, dum tamen impios seductores hactenus non solum paverint, sed et orbem episcopatibus et monasteriis, quae regum et principum opes aequent, repleverint, justo judicio Dei, ut, qui panem unum non dederunt nec dant ministro Dei et nuntio salutis, integra regna et principatus profundant in ministros Satanae et nuntios mortis.

Vides, quanta cura Paulus 1. Cor. 9. 1. Timoth. 3. Galat. 6. et alibi pro alendis verbi ministris sollicitet, ut pudendum sit, de hac re levissima tantum verborum a tanto apostolo in tanto ac tali populo Dei audiri, ubi contra sic oportuit ardere caritatem, ut a contribuendo opus esset arcere populum, ut Exod. 36., scilicet, cum talibus ministris exemplo Galatarum et oculos erutos (si posset fieri) dare debeamus. Unde et hic Moses, cum de decimis et primogenitis dixisset, addit: „Ut discas timere dominum Deum tuum omni tempore,“ scilicet, quod alere ministros verbi, sit pri-

mus et summus usus colendi et timendi Dei. Qui enim non alit, quomodo is curat verbum Dei? Qui vero verbum Dei non curat, quomodo curat Deum? Qui Deum non curat, quomodo timet eum? Igitur negligere et contemnere verbi ministrum, idem est ac Deum et verbum ejus contemnere. „Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit," hoc est, quod hic et toties alibi Moses tam diligenter inculcat, ne Levitas derelinquant, qui aliam hereditatem non habeant.

Illud, quod de longiore via et de longinquo loco Dei, de vendendis primogenitis et decimis, aliisque ea pecunia emendis dicit, supra declaratum est cap. proximo, quod mactari et comedi non licuit in aliis oppidis, quae offerenda fuerunt, aut si comederentur, alia vice eorum argento emta restaurarentur.

Mysteria primitiarum ex mysterio occisorum primogenitorum Aegypti intelligere licet. Ea primogenita arbitror significare fructum primum legis, id est, justitiam operum. Lex enim primo cogit ad opera, et carnali sensu accepta parit speciosos hypocritas, qui sibi videntur esse primi omnium, et quibus omnia debentur. Hanc justitiam occidit Christus transitu suo, id est, morte sua, qua docuit, coram Deo nullam carnem justificari ex operibus legis, Ro. 3. Primogenita vero Israelis sanctificata domino, justitia fidei est, quae tota debetur ei, qui justitiam operum damnavit. Ideo offerre primogenita et primitias, est confiteri acceptam justitiam fidei ipsius gratia, non paratam nostris viribus. Primus enim fructus evangelii fides est in spiritu, quae et facit nos primogenitos, et duplici jure heredes constituit, et regni et sacerdotii, decimae vero velut posterior fructus caritatis et spiritus bona sunt, quae et

ipsa offerimus ac reddimus, dum ipsius gratia nobis ea data per fidem, non nostris meritis accepta, confitemur.

CAPUT QUINTUM DECIMUM.

Anno septimo facies remissionem etc.

Quia coeperat cap. praecedenti agere de providendis pauperibus per decimas triennales, occasione decimarum annuarum Levitis debitarum pro cultu Dei, perseverat in eo coepto, et digrediens plene absolvit eum locum de pauperibus, adeo ut civilem hanc remissionis legem misceat in hoc tractatu primi praecepti. Summa autem hujus cap. est, ne committant, ut pauperes sint in terra derelicti. Semper autem fore pauperes, dicit, ut habeant, quibus dent, vel de decimis triennalibus vel de mutuo vel alias. De decimis dictum est, nunc de mutuo dicamus.

Dicit mutuum posse repeti ante septimum annum, ipso autem septimo anno, quidquid mutuum fuerit inventum reliquum, liberum atque donatum erit fratri, idque divino jure. Hanc autem annum septimum fuisse fixum et certo statutum, sicut annus jubilaeus fuit in restituendis et liberandis emtionibus, necesse est, quia non coepit a die, quo mutuum dabatur, sed erat generalis totius terrae et populi, quemadmodum fuerunt festa passah et pentecoste et alia. Pulcherrima sane et aequissima lex, quam utinam aemulentur hodie

quoque rectores orbis, minus tum haberent quaestionum et turbarum, ubi lites, jurgia, debita, acta, pacta, jura, sigilla, literas scirent tandem septimo anno, sive is prope vel longe abesset, semel esse omnia tollenda et exstinguenda, et non in aeternas et infinitas quaestiones proroganda et servanda. Simul cauti esse cogerentur, ne tantam summam mutuo darent, quam desperarent ante septimum annum posse reddi, nec sic liceret prodigis et perditis fidere alienis opibus per debita et pacta cumulatis.

Sed quid dices ad Christum, qui Matth. 6. et Luc. 6. prohibet mutuum repetere, et praecipit mutuum dari sine spe recipiendi aequalia? Respondeo: Christus loquitur christianis, qui super omnem legem sunt, et plus faciunt, quam leges statuunt. Moses autem civilem populum instituit legibus, qui magistratui et gladio subjectus est, ut mali arceantur, et publica pax servetur. Hic ergo lex sic est administranda, ut mutuum reddat, qui accepit, licet christianus, si lex talis ei non succurrat, nec mutuum reddatur, aequo ferat animo, sicut lex cogit neminem laedere, et vindicat in violentos, tamen christianus fert, si laedatur, nec vindicat, nec petit vindictam, licet nec prohibeat rigorem gladii vindicantis, qui sciat gladium esse institutum ad vindictam malorum, ut Pet. dicit.

Deinde quid hoc est, quod a peregrino repeti mutuum permittit, etiam anno septimo, hoc est, semper, sed non a fratre? An non et justitia et caritas in peregrino servanda est? Respondetur, et hoc esse e ratione justa publicae politiae, ut cives aliquo privilegio honorentur prae exteris et peregrinis, ne confusa et aequalia sint omnia, sicut dum Romani aliquibus oppidis jus vel coloniae vel Romanae urbis dederunt.

Nam has formas, quamvis speciem iniquitatis habere videantur, in politia necessarias habet mundus, qualis est et servorum et ancillarum conditio, item operariorum et laborantium. Neque enim omnes possunt esse aequaliter reges, principes, senatores, divites, liberi, cum mundus sine variis et differentibus personis non queat consistere. Quantumlibet coram Deo nullus sit respectus personarum, sed omnes aequales, mundo tamen necessarius est respectus personarum et inaequalitas, et hoc ipsum ideo, ut mali arceantur, et pax publica constet, quae sub aequalitate et indifferentia personarum constare non potest.

Populus tamen Judaeorum amplius et excellentius habuit jus, non modo repetendi mutui, sed, ut hic dicit, et foenerandi gentibus et usuras capiendi, nempe auctoritate divina, quae hoc ipsum statuit et concedit. Ipse enim Deus et dominus est omnium, qui non modo pecuniam et res, sed et regna et imperia aufert, cuicunque vult, quocunque modo vult, et dat, cuicunque vult. Si ergo in vindictam gentium Deus voluerit eas per usuram et foenus punire, et id Judaeis mandet ut faciant, bene faciunt Judaei, quod obedientes sese Deo instrumentum praebent, et iram ejus foenore et usura in gentibus implent, non aliter quam dum eis praecepit, ut Amorraeos et Chananaeos expellerent. Sic, si maritus Deo dignus visus sit, cui auferatur uxor aut filii, et mihi id mandetur verbo ejus, non sum adulter nec plagiarius rapiendo uxorem et filios ejus, sed obediens virga Dei super maritum impium.

Hinc solvitur illa quaestio, quomodo Judaeis licuerit foenerari. Respondetur enim, non eis licuisse neque licere suis meritis aut lege communi, sed per iram Dei super gentes, quam per Judaeos, velut irae suae organa,

vult implere, nec tamen hac ipsa licentia eis uti licuisset, nisi certo et aperto verbo Dei jussi et ad organa talia electi fuissent. Neque enim ipsi meliores erant ullis gentibus, ut supra dixi, nisi quod Deus eos sola misericordia elegit et assumsit, ita ut si rem recte consideres, non Judäei ipsi sunt, qui foenerantur, sed Deus est, qui foenore Judaeorum gentes persequitur. Quod satis probatum est, dum Judaeos sibi inobedientes et peccantes rursum tradidit gentibus, non solum foenore gravandos, sed omni contumeliarum genere vexandos, non parum etiam saevius, quam ipsas gentes unquam Judaeis tradidit, sicut et in hoc libro capitulo 28. praedicit, et hoc capitulo annectit, fore, ut foenerentur gentibus, si tamen audierint vocem domini, quasi dicat: Si non audierint, non modo non foenerabuntur, sed pares aut miseriores erunt gentibus, quod et contigit.

Hodie tamen, cum Judaei desierint esse populus Dei, lex sublata est, et ipsi impietate et blasphemia sua meriti sunt iram Dei, non est eis permittenda usura, sed cogendi sunt sub leges gentium, inter quas vivunt, quamvis si textum bene inspicias, non praecipit foenerari, nec sunt verba legis, sed potius verba promissionis, dum dicit: „Si audieris vocem domini, foenerabis gentibus multis." Verba autem promissionis non est hominum implere, sicut verba legis, sed solius Dei, qui ea promittit, ut sensum esse oporteat talem: Ubi tu audieris vocem domini, fiet, ut agente Deo gentes in eam miseriam redigantur, ut etiam te neque cogitante nec quaerente foenus persolvant, et tibi per omnia subjiciantur, et tu illorum cum omnibus bonis eorum domineris, ut rapias, exigas, foeneres, sicut

placuerit. Dominus est, qui gentes sic subjiciet tibi, et eas per te humiliabit.

Pauper non erit inter vos.

Pulcherrima politia, sed nunquam servata, ideo et haec Mosi lex in verbis manet quoad totum populum. Si in isto populo prohibita est mendicitas, quo jure inter christianos, etiam velut sancta legibus instituitur? Paupertas praedicatur, sed sic, ut ei subveniatur. Deinde paupertas spiritus laudatur, exterior vero mandatur curari, haud aliter atque alia incommoda proximi. Et mirum est, cur paupertatis externae illi jactatores non etiam vulnera, morbos, carceres, nuditates, exilia, esuriem, sitim, gladios, pericula, mortes, peccata, diabolum et omnia alia mala subeant et profiteantur, institutis ad haec novis votis, sicut de paupertate fecerunt, ut alius ferat morbum, alius carcerem, alius famem, alius peccata aut diabolum, cum ista aeque atque paupertas in proximis curari et mutari mandarit Christus. „Infirmus fui (inquit) et non visitastis me etc.“

At nostri jactatores paupertatis pro morbis et vulneribus obesam cutem saginatamque carnem gerunt, plus quam ganeones et meretrices, pro exiliis domus regum palatiis superbiores habent, pro fame omnium penuaria devorant, pro siti plena cellaria habent, pro morte suavissimam et securissimam vitam agunt. Tum nobis cantant gloriam paupertatis ferendae, quam Deus praecepit tollendam, ut simus sicut in Actibus quoque christiano populo scribitur exemplum, nec quisquam egens erat inter illos.

Non ergo paupertas et mendicitas in populo Dei esse debet, sed cura et sollicitudo, ne sit ulla paupertas et mendicitas, ut scias mendicantes ordines et

omnes paupertatis externae professores et jactatores esse Satanae discipulos et ministros, recta adversus dominum et Christum ejus furentes, sicut non debet esse morbus, fames, sitis, exilium, mors, peccatum, diabolus in populo Dei, sed cura et sollicitudo, si quid tale inter eos acciderit, ut quam primum tollatur, et curetur, ne sit inter eos. Non est (inquam) advocanda, eligenda, docenda paupertas, quae satis per sese adest ubique, ut hic dicit: „Semper erunt pauperes inter vos," sicut et omnia alia mala. Verum id agendum perpetua cura, ut, quia semper accidunt, semper illis occupatur. Vides ergo, quid sit institutum vovendae paupertatis, et totum regnum illud papae.

Si autem unus de fratribus etc.

Ita habet cursus mundi, ut posita lege mox inventa sit et fraus in legem. Ideo et hic Moses praevenit dolum, qui futurus erat in lege illa remissionis septimo anno, avaritia et duritia humana sic cogitante: Si forte prope sit annus remissionis, quid faciam? Mutuum dabo? At post menses aliquot remissionis annus erit, frustra dedero, cum non sit spes recipiendi, nec jus repetendi. Contra quam hic Moses miris et acribus verbis invehitur, appellans illud durum cor, verbum Belial, nequiter factum, oculum nequam, tandem et peccatum clamans ad Deum, ut videas et Mosen cum Christo consentire in doctrina de mutuo, ut sub interminatione tantorum scelerum praecipiat dari mutuum, etiamsi non sit spes recipiendi aut jus repetendi, ut summa sit hujus doctrinae, pauperes esse curandos in caritate.

Si venditus tibi fuerit frater tuus.

Revocat legem Exod. 22. in hanc legem remissionis mutui, quia et ipsa de pauperibus loquitur, qui pau-

pertate coacti sese vendiderunt, ac velut mutuum acceperunt, dum proprio corpore sese debitores fecerunt. Addit autem hoc loco, ne vacuum dimittat, cum liberum dimiserit, cujus duas signat causas, primam, ut meminerint et sese fuisse servos in Aegypto, deinde quod dupliciter mercenarius fuerit apud eum. Quod puto ideo dici, quia venditus alteri duo damna sibi facit, primo, quod alteri servit, et omnia domino suo lucratur, secundo, quod interim sua negligit, et quae domino suo lucratur, sibi lucrari potuisset. Ideo iniquissimum foret, dimittere eum prorsus vacuum. Ideo dicit: „Non graveris eum dimittere liberum."

Addit vero Moses semper magnificas promissiones, Deum benedixisse, benedicere ac benedicturum esse facientibus haec, ut non dubitent copiose sibi restitui, si quid vel dederint vel mutuum commodarint, sicut et Christus dicit: „Date, et dabitur vobis." Hinc et illud Salomonis proverbium: „Foeneratur domino, qui miseretur pauperis;" et iterum: „Honorat dominum, qui miseretur pauperis," et multa talia, sicut econtra multae comminationes contrariae his, qui non miserentur, ut est scriptura plena. Verum nihil ad surdam impietatem et incredulitatem, quae Deum putat vel ludere vel mentiri talibus verbis, digna, quae et hujus et futurae vitae spolietur bonis, sicut Nabal ille stultus in Carmelo David negavit, et mox vita privatus nihil ipse retinuit.

Si dixerit: Nolo egredi etc.

Subula perfodi aurem ad postem in janua domus signum externum fuit perpetuae servitutis, sicut in rebus humanis signa haberi oportet ad personas discernendas. Sic enim imperator trabea, securi et fascia

utitur, mulier peplo, virgo corona, puer bulla. Commodum vero et aptum signum erat, aurem perfodi subula. Subula praeceptum heri sui significat acutum et ferreum, scilicet, ut penetret et efficax sit verbum heri apud servum. Auris obedientiam significat, quae praecepto subjicitur. In janua vero hoc fieri, significat ingrediendi et egrediendi et omnia expediendi jus et usum illi conferri, et quod in familiam domus recipitur. Porro inaures ornamentum sunt liberorum, ex auro, argento, gemmis factae. Servorum vero ferrea subula est, quod liberorum obedientia sit spontanea et liberalis, plane aurea et pretiosa, sed servorum coacta, mercenaria et ferrea ac vilis.

De primogenitis, quae nascuntur etc.

Repetit ac plane redit ad census sacerdotum, postquam expleta est digressio illa de pauperibus curandis, ut addat, quod superius addendum fuit, nempe talia esse primogenita debere, quae Deo offerrentur, ut prorsus sine culpa et vitio sint. Ideo hic dicit, ut nec arandum sit primogenito bovis, nec tondendum primogenitum ovis, ut sit prorsus intactum, et nulli usui aut fructui deputandum, nisi quod Deo offeratur et comedatur in loco a Deo electo, sicut a sacris ac Deo debitis abstinendum est. „Comedes“ (inquit), id est, comedendum dabis, et inter comedentes congregatus eris, ut supra dixi. Sic si aliud quippiam vitii habuerit, non offeretur, sed domi in oppido quisque suo id comedat.

Allegoria. Annus remissionis debiti est totum tempus gratiae, quia nihil est regnum Christi, nisi assidue dimittere debita, ut dimittantur. Peregrino autem non dimitti, significat extra ecclesiam Dei non esse remissionem peccatorum. Neque enim potest illis

dimitti, qui dimitti sibi nolunt, sese justificant et ecclesiam contemnunt. Ergo ab eis repetendum est, donec reddant, id est, non est eis concedendum, sed semper exigendum, ut aliter sapiant et faciant, donec resipiscant, resipiscenti autem fratri omnia dimittenda. Manente enim fide nulla peccata non sunt remissibilia et donanda, manente incredulitate nulla peccata non sunt damnabilia et exigenda. Nulli foenerari, et omnes ei foenerari, est justum sic vivere, ut nulli debeat, omnes ei debeant, quia nullum laedit, laeditur autem ab omnibus. Pauperes non esse debere, et si sunt, juvandos esse, est infirmos fide et moribus tolerare, docere et hortari, et pro eis orare, sine fraude ex tota simplicitate cordis, et semper tales erunt inter vos. Dimittere servum Ebraeum fratrem non sine viatico, est non solam culpam ignoscere, sed et adjecto beneficio caritatis juvare. Quanquam hic servus propia allegoria sit populus legis, qui duram servitutem servit. At veniente anno remissionis per evangelion non modo dimittitur liber a lege, sed et verbo evangelii honoratur, unde vivat, quia duplici servitute servivit, quod opera legis fecit, et nihil lucratus est, nisi quod dominus ejus, lex, magis crevit, quia, quo plus operamur in lege, hoc magis exigit et potentior fit, et minus impletur, crescente nimirum odio legis assidue, et tamen interim sua quoque negligit, id est, conscientiae fiduciam non assequitur, sed amittit, quam extra legem per evangelion potuit consequi. Quod vero subula auris ejus perforatur, et manet servus in aeternum, hoc est, quod spiritu jam liber carnem tamen fortius legi subjicit, et ferrea ac dura lege cogit ad obedientiam, ut Paulus ait: „Castigo corpus meum et in servitutem redigo etc.“ Sic simul manet servus et liber.

Non arari bove primogenito, nec tonderi ovem primogenitam, est justitia fidei non pro nostro commodo aut gloria abuti, sed simpliciter Deo offerre, ut ipsius sit gloria et honor. Non enim nostri operis aut sub nostra potestate est, ut nos dominemur ei, sed solius Dei, qui eam creat et dat. Ita Paulus non vult dominari fidei Corinthiorum. Pertinet ergo ista allegoria maxime ad ministros verbi, ut populum fidei non subjiciant suis legibus et operibus a se statutis, sed offerant subjectos soli Deo regendos per fidem, sicut Paulus gloriatur Ro. 15. se sic sanctificare evangelion, ut oblatio gentium accepta fiat, hoc est, per evangelion offert gentes Deo, ut non sibi Paulo, sed Deo subjecti sint. Et quid faciunt ministri verbi, dum operibus suis nos subjiciunt, nisi quod nos tondent et commoda sua quaerunt ac gloriam, scilicet, lanam et fructum nostrum?

Nullum vitium in ipso esse debere, est sanam esse debere fide conscientiam, ut non simul velit operibus simul fide justificari et Deo placere. Ideo hoc vitium et in Malachia graviter increpat, quia non est jocus in fide et doctrina ejus, Tit. 2.: „Sanum et irreprehensibile verbum."

CAPUT SEXTUM DECIMUM.

Observa mensem Abib, ut facias passah.

Descriptis loco et personis hisque provisis hic de temporibus et festis statuit, praesertim de tribus illis praecipuis, quae ad populum maxime pertinebant, cujus

docendi officium hoc libro Moses suscepit. Sunt autem haec festa, passah, pentecoste et festum tabernaculorum, porro festum tubarum et festum expiationis in eodem septimo mense, quo festum tabernaculorum celebrabatur, Levit. 23., nempe festum tubarum die primo, festum expiationis die septimo. Verum quodlibet horum duorum uno die celebrabatur. At festum tabernaculorum in medio mense, nempe quinto decimo celebrabatur per octo dies, in quo apparere oportuit omne masculinum coram domino, in loco, quem elegerat, ut in festo passah et pentecostes, ut hoc capitulo dicit.

Facilis est autem textus ipse per se, nisi quod vocabula quaedam sunt discutienda. In mense Abib, quem noster vocat mensem novorum, alibi novarum frugum, forte, quod tunc omnia nova prodeunt, et totus mundus vernat. Est autem mensis Aprilis, etiam latinis dictus ab aperiendo, quod tum terra aperiatur, et omnia novantur, quanquam Ebraei Aprilem non Abib, sed Lier appellent. Abib autem venit ab Abab, quod virgulam aut tenerum surculum significat, Levit. 2., quales sunt, cum arbores erumpunt in vere, quo indicio aestatem prope esse designat Christus Matth. 24. Eo tempore, scilicet, in Aprili, egressi sunt Aegyptum, qui ob id et principium anni et primus mensis vocatur, Exod. 12. Alii vero mensem Julium faciunt mensem Abib, quos redarguit ipse exitus filiorum Israel ex Aegypto, qui in principio anni in mense Abib fuit, ut hic et Exo. 34. dicit.

Panem afflictionis, quoniam in pavore egressus es etc.

„Panem afflictionis" appellat a praeterita afflictione, quam passi sunt eo tempore, quando primum hunc

panem comederunt, id quod declarat, quod mox addit: „Quia in pavore exivisti etc.," hoc est, cum anxietate et trepidatione, sicut solent, qui in angustiis sunt, festinare et angi, ut quam celerrime fugiant. Haec est enim vis hujus vocabuli, חָפַז, quod non significat simpliciter festinare vel pavere, sed (ut dixi) prae angustia conari fugere, quomodo de David dicitur 1. Reg. 23., cum a Saul esset in monte cinctus in modum coronae, quod desperatus fuerit, id est, animo anxio cogitavit festinare. Sic Exo. 12.: „Et comedetis festinanter," id est, quod hic dicit „panem afflictionis," quem in pavore et festinatione anxia comederunt. Et Psal. 104.: „A voce tonitrui tui formidabunt, id est, vellent fugere et festinare." Psal. 116.: „Ego dixi in excessu meo," id est, in festinatione anxia.

In die septima concio est domino Deo tuo.

Noster collectam dixit, sed rectius coetum, concionem, synodum, conventum significat, sicut solet populus in atrium convenire ad audiendum verbum Dei, vel ad statuendum aliquid publice, ad eligendum, qualia sunt comitia gentium. Ita populus Dei, cum per totum festum passah coluissent Deum sacrificiis, et epulati essent in loco a Deo electo, die septimo convenerunt in locum unum, ut in atrium, et ibi legebatur lex Dei et mandata, quae ad ipsos pertinebant. Ideo appellat eam concionem domini Dei, quod ad audiendam legem Dei convenirent.

Festum hebdomadarum vocat pentecosten, ab hebdomadibus numeratis a die passah, quarum sunt septem, ut dicit: „Septem hebdomadas numerabis." Hoc festum Exodi circumscribit ea periphrasi: „Festum,

cum primos fructus messueris eorum, quae seminasti in agro," hic vero tali periphrasi: „Ab ea die (inquit), qua falcem in segetem miseris, incipies numerare." Quae sic intelligo: Hebdomadae incipiunt numerari a tempore passah, quando jam herba eo crevit, ut luxuriantem comam ejus demetere possis. Aut si hoc durum videtur, referendum est numerandi praeceptum ad tempus pentecostes, hoc modo: Incipies numerare ab ea die, id est, cum circa tempus pentecostes fueris, quando solet herba luxurians primo desecari, aut primi fructus meti, numerabis retro, donec computando usque ad passah impleveris septem hebdomadas. Et hoc mihi magis placet, quia hebdomadas numerari praecipit, quas jam plenas esse significat, simul, quod Ebraeis mos est retro legere, scribere et agere.

Tum illud pulchre consonabit Exo. 23.: „Cum primos fructus messueris," quia circa pentecosten, praesertim illis calidis regionibus, solent primi fructus inveniri et demeti, ut dixi, ut idem tempus sit, quo primi fructus demetuntur et quo falx in segetem mittitur. Unde et oblationem spontaneam, quae hoc loco ebraice missa dicitur, intelligit primitias fructuum, quas sacerdotibus afferrent, de qua Levit. cap. 2. in fine legas. His declaratis facilia sunt omnia in hoc capitulo.

Instituuntur festa et ritus hujusmodi externi ad cultum Dei propter rudem populum, ut illis occupatus non inveniat studiis propriis festa. Est enim natura proclivis, imo inquieta, ad erigendas cerimonias et statuendos cultus Dei, ideo necesse est eam praeveniri et servari in verbo Dei, quo certi simus divina nos agere et Deo placere. Deinde et haec ratio est, ut populus saltem in anno bis vel ter conveniens au-

diret et disceret legem Dei, et servaretur in unitate fidei et morum.

Tria vero sunt, quorum istis festis tribus voluit memoriam fièri, in festo passah memoriam exitus de Aegypto, quod erat festum omnium primum et summum in principio anni ob primum et summum miraculum eis exhibitum, scilicet, liberationem ex Aegypto. In festo autem pentecostes memoriam acceptae legis in monte Sinai, siquidem mense tertio post exitum data est lex, fere quinquagesimo die post passah. In festo tabernaculorum memoriam omnium beneficiorum corporalium, per desertum totis annis istis quadraginta exhibitorum. Ita vides festa institui non luxus, otii aut voluptatis gratia, sed salutis nostrae et gloriae Dei causa, ut verbum Dei audiatur, et beneficia ejus memorentur, ut in fide et caritate Dei erudiamur, alamur et servemur.

Omnia haec festa, etiamsi multa alia fuerint, allegoria spiritus uno festo celebramus. Quotidie enim passah nobis est, dum Christum agnum Dei edimus et immolamus, id est, ut Paulus 1. Corinth. 10. exponit, immolatum praedicamus et credimus pro nobis. Sic quotidie pentecosten habemus, dum novam legem, spiritum in corde accipimus per verbi ministerium. Quotidie festum tabernaculorum celebramus, dum docemus et sentimus nos esse peregrinos in hoc mundo, et in tabernaculis corporis nostri, brevi tempore durantibus, moramur, scientes nostrum πολίτευμα, hoc est, civilitatem seu conversationem et habitationem in coelis esse, ubi interim fide sumus et vivimus, et hic quotidie morimur, donec tabernaculum nostrum deponatur etc. Sic laetamur in his festis coram domino in azymis sinceritatis et veritatis, id est, in pastu puri evangelii

et vita spiritus, sine traditionibus et vitiis humanis, et offerimus primitias nostras laudis et gratiarum actionis.

Nam et illud, quod praecipit masculinum non apparere vacuum debere coram se, pro illo tempore ad hoc erat statutum, ut alerentur sacerdotes. Nostro saeculo per impios sacerdotes ad ventrem pascendum offertoriis vulgi coactum est, cum verius significet offerre laudem et gratiarum actionem, jam non coram domino super propitiatorium et arcam aut ullo certo loco, sed in spiritu et veritate, id quod est, non quovis loco (ut iterum hic Moses inculcat) offerre passah, sed quem Deus elegisset. Nam sacrificulos pascere offertoriis aut pensionibus, idem est, ac scorta et lenones, imo lupos et bestias pascere, ut nos devorent suis pestilentibus doctrinis. Ministris vero verbi suus debetur honor, de quo diximus. Igitur nullus masculus nunc apparet vacuus coram domino, quando fidelis in spiritu gratias agit et laudem offert. Mulier, id est, caro et infirmitates reliquae peccati non offerunt quidquam, quia non est speciosa laus in ore peccatoris.

„Panem afflictionis" appellat azyma, quoniam in pavore sunt egressi, et fermentum vetat. Quid fermentum sit, ipse Christus Matth. 16. satis docet, ubi caveri a fermento pharisaeorum jubet. Ergo azyma sanum et sincerum verbum fidei est. Dicitur afflictionis a pavore festinati egressus, quia per evangelion revelatur ira Dei de coelo super omnes homines, praesertim justitiarios, Roma. 1. et 2., dum spiritus arguit mundum de peccato, justitia et judicio. Hic pavefit conscientia a facie regni peccati et irae, et festinat egredi, dicens cum illis, Act. 2.: „Fratres, quid faciemus?" et cum Paulo: „Domine, quid

me vis facere?" quia cognitio peccati urget et compellit exire electos Dei, ubi primogenita Aegyptiorum, id est, justitia operum cum fiducia et superba gloria, percussa fuerint.

De carnibus agni nihil remaneat usque in mane, sed igne comburatur, si quid reliquum fuerit. Hoc adversus Judaeos dicitur, qui post verum agnum immolatum Christum adhuc in futurum eum exspectant, et differunt ac tardant credere in eum, qui venit, desertis operibus legis. Sed pii totum igne Spiritus sancti, id est, verbo et fide consumunt, simpliciter credentes impleta esse omnia vero et aeterno agno, postquam illuxit mane novum resurrectionis domini.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Judices et praefectos constitues in omnibus portis tuis.

Declarato primo praecepto de fide in Deum, quo et internus et externus cultus Dei traditus est, venit nunc Moses ad alterum praeceptum, nempe caritatis. Sed huic praemittit tractatum de magistratibus, de jure gladii et forma judicii in causis externis. Et hoc recto et pulchro ordine. Nam (ut et supra diximus) nisi sint administratores et exsecutores legis, qui gladium gerant et exerceant, frustra est omnis legislatio quantumvis sancta, cum gladius sit virtus et efficacia ac ipsa vita legis, qui arcet malos, et tuetur bonos. Summario ergo hic docemur, ubi lex ponitur, ibi gladium simul institui oportet, ut lex do-

ceat, quae facienda et omittenda sunt, gladius autem id exsequatur, et puniat factores et omissores, cogens impios vi ad faciendum et omittendum. Nam sine gladio lex inutilis et solum causa multiplicandorum facinorum est. Rursus gladius sine lege tyrannis et saevitia bestialis est. Utrumque autem, scilicet, lex et gladius simul juncti, pulchra et stabilis politia est.

Disces hoc simul capitulo, publica crimina non esse castiganda per vulgum aut quemlibet privatum, sed publico gladio per magistratum. Nam hic vides, Deum ipsum pro sua ipsius lege administranda constituere judices et praefectos, et addit casus quosdam (ut vocant) in terminis, quibus praescribit formam judicii, quae servari debet in castigando facinoroso, ne ulli fiat injuria, scilicet, ut causa diligenter examinetur, certo pernoscatur, et testibus convincatur, et sic secundum legem puniatur. Quod dico contra novos istos nostros prophetas imaginicidas, qui e coelo nuper lapsi omnem magistratum contemnunt, et vulgus excitant adversus gladium gerentes divina auctoritate, et gladium sibi arripiunt, et sine judicio, sine testibus et formis fori grassantur.

Hoc est, quod hoc cap. causas deferri ad judices et testibus probari praecipit, item qualis rex esse debeat. Sic Exo. 23. praecipit ad Deos (id est, ad judices) deferri causas, et ibi vel arbitrio vel judicio definiri et componi. Sic alibi docet parentes, ut filios rebelles ipsi accusent coram judicibus, et sic lapidentur, et puella sponso non inventa virgo similiter ad judicium vocanda praecipitur, ut ubique videas, auctoritate divina gladium et forum publicum institui pro castigandis criminibus. Quibus respondetur illis furio-

sis prophetis, dum urgent hoc verbum Dei, quo in secunda persona alloquitur populum, dicens: Lapidabis, interficies, sic vel sic facies, tolles malum de medio tui etc. Nam hoc verbo illi jactant vulgo indifferenter datum esse jus gladii, cum haec loquatur ad populum legitimis magistratibus et sacerdotibus praesidentibus dispositum et ordinatum.

Unde et hic non de summis illis magistratibus loquitur, ut sunt principes, sacerdotes et capita populi, qui jam antea divina auctoritate in populo dati erant per Mosen, ut Aaron, Josua, et duodecim principes, et septuaginta seniores, sed judicibus et praefectis, quos ipse non ordinat, sed populo jam ordinato ordinandos committit. Nam judices proprie ad causas pertinent, quamvis casu rerum quandoque ad principes et sacerdotes hoc officium rediret, ut liber Judicum et Samuelis de judicibus docet. Praefecti autem proprie sunt exsecutores juris et gladii, quales apud nos lictores, apparitores et spiculatores; olim honestissimi et optimi viri ad hoc eligebantur, nunc ut quisque est despectissimus et vilissimus, hoc officio fungitur.

Nam si honestum est judici, definire et damnare reum verbo, quae turpitudo est, eundem percutere, et judicis verbum opere implere? Si turpe est, gladio percutere impium, turpe magis fuerit, cum judicio talem definire et gladio tradere, cum praefectus non percuteret, nisi judex juberet. Legimus enim, quod Salomo viro honestissimo Jojada Banaia hoc officium mandarit, dum Semei et Adoniam et Joab juberet occidi, et Saul suo Doeg mandavit sacerdotes occidere, et David suis viris, ut occisorem Saulis occiderent.

Sed et apud Romanos hoc officium magnis et honoratis viris mandabatur, non minus, quam ipsum judicis officium.

Nam has duas personas, judicem et praefectum, administratio gladii postulat et necessarias habet. Et in ebraeo pulchra allusione similantur שֹׁפְטִים et שֹׁטְרִים, ego transtuli judices et praefectos, non satis proprie, cum aliud non haberem. שֹׁטְרִים seu praefectos Moses plane eos vult intelligi, qui sunt judicis ministri, exactores, exsecutores et administratores publici, unde et praecones noster aliquando transfert, et Exod. 1. exactores et praefectos operum facit. Christus plane eundem ministrum vocat, Matth. 5.: „Ne judex tradat te ministro etc."

Praescribit autem his judicibus et praefectis regulam, ut juste judicent, hoc est, secundum legem Dei, non secundum suum sensum. Deinde affectus pravos prohibet, ne deserta lege ducantur et moveantur personarum et munerum respectu. Quae duo solent omnia judicia pervertere et declinare, unde et addit hic gnomen, dicens: „Munera excoecant oculos sapientum, et depravant causas justorum." Personarum respectus comprehendit in se timorem magnatorum, potentium et divitum, amorem propinquorum, favorem amicorum, contemtum vilium, et misericordiam calamitosorum, periculum proprium vitae et famae rerumque omnium. Munera vero complectuntur in se lucrum, commodum, spem, et totum illud chaos insaturabile et infinitum avaritiae. Unde et Exod. 18. consulit Jethro Mosi, ut eligat viros, qui sint sine avaritia, hoc est, raras illas aves nigroque simillimas cygno.

Vides ergo, quo animo oporteat esse eum, qui judicis et gladii officium exercere debet, nempe victore omnium affectuum, timoris, amoris, favoris, misericordiae, avaritiae, spei, famae, vitae et mortis, et amatore simplicissimo simplicissimae veritatis et justi judicii, quia (inquit Josaphat, rex Juda) judicium domini est. Necesse est enim judicem onerari multorum invidia, periclitari odio, et tentari misericordia et lucro, ubi, nisi Deum solum spectet, non poterit hos insultus superare et subsistere. Deum vero solum quomodo spectabit, nisi cor fide certo fuerit firmatum?

Vide exempla in juristis optimis, qui aequitatem, dum vel publice docent aut scribunt, pulcherrime tradunt, at in consiliis privatim dandis plane aliter sentiunt, et sibi dissimiles sunt, scilicet, quod hic personae respectus vel misericordia calamitatis (ut optime interpretemur) eos deflectit a recto, ut velut mederi et succurrere inopi studeant, quod tum non fecerunt, cum in publicum docerent. Et sic prae affectu non vident, se ab aequitate in publico docta deflectere. Tam difficilis, rara et ardua res est oculus simplex et rectus in judice.

Idem est cernere in summis theologis, quales sunt Augustinus, Bernhardus, et his antiquiores Cyprianus, Tertullianus et similes, qui, ubi in publico scripturam tractant, candide et pure tractant, sed propositis quaestionibus raro in via manent, quin aliquid scripturae adimant, et causae ac personae tribuant, et verba Dei vi torqueant. Vide in hoc eos, ubi contra Arium, Hieronymus contra Jovinianum, Augustinus contra Manichaeos, Bernhardus contra liberum arbitrium scribunt, et videbis me vera dicere. Adeo nullus

sanctorum omnem carnem exuit, aut affectus ejus detrivit, ut nihil reliquum sit spei, quam ut tam judex quam doctor in timore Dei agant, sibi semper suspecti, ne forte legem Dei et verba ejus non recte tractent. Securitas enim in his locum non habet, ubi res Dei agitur, et nimis seria

Non plantabis lucum etc.

Cur hoc Moses de cultu Dei externo interserit, cum jam coeperit de operibus erga proximum loqui? Respondeo: Repetendi modo id facere videtur, ut in hoc legali populo etiam gladio subjiciat puniendum, ubi quid contra externum cultum Dei peccatum fuerit. Id ex eo probatur, quod nihil de fide aut timore, sed de opere illo dicit, quo erigitur statua, plantatur lucus aut arbor juxta altare Dei, et quo immolatur vitiosa victima. Quibus duobus, exempli vice, omne peccatum externi cultus designat. Deinde et exemplum subjungit, ut vir et mulier lapidentur, qui convicti fuerint de idololatria. Quo exemplo certe gladium jam institutum applicat peccato in cultum Dei externum admisso, et judici ac ministro subjicit puniendum. Nam id quod in corde per infidelitatem peccatur, sibi reservat puniendum, ut cap. 18. de futuro propheta dicit.

Vide ergo hic forum judicii divinitus institutum et exemplum ejus fori. Primum est, si fiat malum in conspectu domini. Malum autem in conspectu domini ipse definit tunc fieri, cum fuerit opere transgressus aliquis pactum Dei, eundo et serviendo Diis alienis, quae non praecepit. Loquitur enim (ut dixi) de peccato externi cultus Dei, ut exemplo monstret, quomodo

in omnibus criminibus sit gladius gerendus, et jus exsequi oporteat. Dicit autem insigni verbo „malum in conspectu domini," nam idololatria et impietate, hypocrisi et specie pietatis ornata nihil pulchrius, melius et sanctius est in conspectu hominum. Id igitur est malum coram Deo opus, quod absque fide et verbo ex nostris studiis tentatur, quantumvis appareat bonum et speciosum. Hoc enim vult, cum dicit eos transgredi pactum suum, et fieri, quae non praecepit, ut certo scias, facere aliquid in cultu Dei, quod ipse non praecepit, esse malum coram Deo, ut hic clare dicit, quia necesse est fieri ea fiducia, quasi Deo faciant aliquid gratum, et quo justificentur, alioqui non facerent, quod plane est contra fidem, pactum et verbum ejus.

Secundum, non satis est, opus malum esse factum, oportet et annuntiari et rumore vel relatione notum fieri, ut hic dicit: „Et id tibi fuerit annuntiatum." Tertium, et hoc non satis est, sed inquiri debet diligenter, an ita sit, sicut nuntiatur, ne temere delatori cuivis credatur. Inquisitio autem illa non potest esse alia, quam per testes, qui viderint et scierint, sic, ut unus testis non sit satis, sed „in ore duorum aut trium testium (ait) stabit omne verbum." Et addit: „Nemo moriatur uno dicente contra eum testimonium." Quarto, tandem convicti educantur et lapidentur. Ita vides in publico judicio et publica poena inferenda debere esse crimina tam publica, quam ipsa poena est.

Ab isto exemplo discas, quam multa sint crimina toleranda et dissimulanda, quae vel tu solus vel alii tecum noverunt, vel quae vulgo rumor sparserit. Simul vides, quam diligenter os obstruxerit Deus delato-

ribus et detractoribus, aures quoque eorundem auditoribus, ut etiam rigor legis divinae hic patrocinetur non solum vere innocentibus, sed et nocentibus, modo occulti sint. Occultos autem dico, qui magistratui et judici delati non fuerint legitimis testibus convincendi. Et hic patet, quam satanicum chaos sit mundus, ubi proximi fama tam facile laeditur, et crimina vel falsa vel solo rumore et suspicione collecta traducuntur palam, ut lex Dei rursum praeceperit alio loco, non minus severe puniendos esse, qui aliena crimina deferunt, quae probare non possunt. Igitur, si vides peccantem solus, tace, si audieris, compesce, donec testibus certis res judici potest probari.

Posuit autem exemplum judicii Moses in crimine cultus Dei potius, quam in homicidio aut adulterio vel alio crimine, scilicet, quod hoc exemplum certum et fidele sit, et nulla misericordia ignosci aut dissimulari debet. Nam peccare in cultum Dei, est in fidem et verbum peccare. Hic nulla est habenda ratio caritatis aut misericordiae, quia per haec offenditur et amittitur Deus cum verbo, quod totius vitae et omnium operum dux, lux, doctrina et regula est, quo amisso nullum opus dirigi, nulla vita institui potest. At peccare in caritatem, manente salvo verbo et doctrina, tantum opus amissum est, quod potest ad regulam verbi restitui et reparari. Adeo infinita est distantia peccati in fidem et verbum, et peccati in caritatem et opus. Caritas omnia suffert, omnia tolerat, fides nihil suffert, et verbum nihil tolerat, sed perfecte purum esse debet verbum, sana per totum doctrina semper, ut scopus sit vitae et operum dirigendorum. Caritas autem infirma et impura esse potest, quotidie augenda et per-

ficienda. Hinc Moses, mitissimus omnium in terra, occidit tamen sine misericordia tria millia virorum, qui vitulum adoraverant, Exodi 34., quia in verbum, vitae lucem et ducem, peccaverant.

Si difficile fuerit etc.

Et hunc textum miro conatu papistae ad suum idolum traxerunt, ut papatum statuerent, proinde opus est, ut diligentius eum consideremus. Primo, Moses hic agit non de verbo aut doctrina, seu (ut illi dicunt) de quaestionibus fidei, quas ad papam referri volunt, sed de sententia publicorum et profanorum criminum; ut verba clare dicunt, de causa ambigua „inter sanguinem et sanguinem“ (hoc est, de homicidio), „inter causam et causam“ (id est, de furto, rapina, jurgio, opprobrio), „inter plagam et plagam“ (id est, de percussura, vulnere, aut alia violenta laesione corporis), ubi Hieronymus sua somnia somnians inter lepram et lepram transtulit, quo dedit ansam nostris papistis, ut etiam de sacris fidei mysteriis, non tantum de profanis causis Mosen putarent loqui. Nunc cum papa debeat esse minister spiritus non literae, et causas istas profanas relinquere, nihil ad eum ista lex pertinet prorsus, sicut nec ulla alia lex Mosi; aut si ad aliquem pertineret, potius ad caesarem vel regem vel principem pertineret, ut hujus legis exemplo inferiores ex aula superioris domini sententiam in ambiguis causis acciperent.

Deinde lex ista loquitur de loco a Deo electo, scilicet, ubi erat tabernaculum, externum signum praesentis Dei. At in novo testamento nullus talis locus est. Neque enim in monte hoc aut in Jerusalem, sed

in spiritu et veritate adoratur Deus, nec dicent: Ecce hic, ecce ibi Christus, hoc enim erat veteris et legalis populi proprium. Ideo papistae debuerant prius probare, Romam esse locum a Deo electum. Quod quando facient? Ubi est verbum? ubi signum? Unus locus est omnium christianorum communis, is est spiritus et veritas, sic definit ipse Christus, in spiritu et veritate (sit) adoratur et colitur Deus. Et in eo ipso loco dissolvi debent quaestiones fidei. In eo loco non plus est papa, quam ancilla molendini, nec plus in eo loco sua definitio valet, quam rustici, qui est in agro. Omnium enim est fides, et spiritualis omnia dijudicat. Quodsi sint aliqui aliquo loco perfectiores christiani, illis sane cedent imperfecti, non propter locum, sed propter perfectionem spiritus, sicut in Actis Antiocheni quaerebant apostolorum et seniorum sententiam, non propter locum, quasi a Deo electum, cum et multi seniores ibi male sentirent, Act. 15. et Apostoli non ibi manebant, ut perpetuo loco, sed propter perfectiorem spiritum apostolorum.

Et ut omnia ista nihil facerent, essentque haec lex Mosi de fidei quaestionibus et de Roma intelligenda (quod est impossibile), tamen uno verbo totum eorum conatum dispergit, id quod dicit hic: „Et docuerint te juxta legem ejus," scilicet, quod non de spiritu suo proprio illos praesumere et divinare etiam istos sacerdotes operum et legis voluerit, sed ad praescriptam a se legem omnia docere. Quanto magis sacerdotes fidei et evangelii non proprio spiritu, sed certo verbo Dei debent omnia definire et docere? At hoc neque papa neque concilia unquam fecerunt nec faciunt, sed de spiritus praesumti plenitudine omnia decernunt.

Decernunt autem ut plurimum nonnisi stolidissima, ut de cerimoniis, praebendis, dignitatibus, et similibus nugis.

Sancit ergo Mose hanc legem pro judicibus et ministris, de quibus hoc cap. agit, ut particulares urbes ad summum locum, et rudiores ad perfectiores in causis ambiguis irent, cum certum esset, illic et Deum praesidere, et sacerdotes semper tales ibi esse, qui legem Dei nossent, id quod nullo alio loco praestitit Deus. Quia civilis erat populus, civili etiam loco eum providit et corporali sacerdotio, in quo spiritus certo maneret, sicut nobis Christum in fide carnis suae certo providit ad dextram suam, id est, ubique praesentem et implentem omnia. Hinc illud est, quod dominus de propitiatorio respondit per lumen, hoc est, per rationale seu hosen sacerdotis, ut Saul. 1. Reg. penult. queritur, sibi non esse responsum a Deo, neque per prophetas, neque per lumen.

Constituam super me regem.

Quia coeperat de magistratibus, absolvit eum tractatum etiam de regibus et regno dicens, nam fore, ut regem haberent filii Israel, olim Abrahae et Isaac promissum erat, dicente domino, Gen. 17.: „Reges ex te erunt etc.“ Praevenit ergo et hic Mose, ne suo sensu et sine verbo Dei regem eligant aut constituant, sed quo certi sint, Deo favente et volente sese regem habere, vult, ut divina auctoritate et verbo ejus agantur, quod iterum est insigne prae omnibus nationibus terrarum. Quamvis enim omnia regna et transferat et constituat, dans cui voluerit, tamen huic populo peculiariter addit verbum favoris, ut regnum Dei

esse habere scirent. Ideo in libro Samuelis graviter peccasse arguuntur, quod sic regem peterent, ut illo velut homine et humano regno fiderent, et non regem in Deo et verbo ejus postularent, ut ibidem dicit: „Projecerunt me, ne regnem super eos.“

Deinde, ut rex ipse quoque futurus esset divinus, instituit eum Moses, ut soli Deo fisus regnet, sciens se ejus verbo institutum et servandum. Ideo praecipit, ut non multiplicet equos, hoc est, ne fidat viribus, ut non reducat populum in Aegyptum, hoc est, ne fidat favore et brachio humano, ne multiplicet aurum et argentum, hoc est, ne fidat opibus, ne multiplicet uxores, hoc est, ne fides ejus suffocetur spinis, ut Christus voluptates et curas vitae appellat Lucae 8. Neque enim hoc vult, ne equis et viribus polleat, cum David et Salomo contraria fecisse leguntur, ita nec foedera et auxilia hominum prohibet, cum Salomo regem Tyri et Aegypti, David Moabitarum et Ammonitarum et regem Tohi socios habuerit. Sic et auri et argenti vim tantam habuisse Salomo, tum ex David relictam tum a se congregatam, quantam nullus alius regum, scribitur. Sic et uxores plurimas habuerunt multi reges.

Sed in hoc est sita vis praecepti, ne (ut ait in textu) cor ejus recedat, hoc est, ne sibi congreget et illa omnia paret pro fiducia. Vult enim regem fidelem, sicut et populum, soli Deo fidere in verbo ejus, ideo tollit omnia, quibus fidunt homines. Quodsi eis non nixi, sed tantum usi fuerint in fide Dei, solo verbo ejus contenti, nihil noceant, ut ille gloriatur regum optimus et ditissimus et potentissimus, dicens: „Non enim in arcu meo sperabo, nec gladius meus

salvabit me," et iterum: „In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet hostes nostros," et iterum: „Quid deducet me in civitatem munitam? Da nobis tu auxilium, vana salus hominis," et similia multa. Non negat sibi esse arcum et gladium et homines, sed non illis fidere sese dicit.

Ideo mandat hic Mose, ut Deuteronomion rex assidue legat, ut discat timere Deum omni tempore, scilicet verbum fidei commendat ei, quod hoc libro, ut vidimus, copiosissime tradit, ut nec elevetur cor ejus rebus affluentibus super fratres suos, et suis viribus aut opibus praesumat, sed timeat dominum, qui non in tibiis viri nec in fortitudine equi voluntatem habet, nec rursus dejiciatur rebus desperatis et hostibus praevalentibus, hoc est, ut hic dicit, nec ad sinistram nec ad dextram declinet, sed rectus et stabilis incedat inter prospera et adversa, inter vires et impotentiam, inter gloriam et ignominiam, soli verbo Dei fideliter et fortiter inhaerens.

Allegoria judicis et ministri est ministerium legis, quod sententia sua damnat impios. Moses, minister legis, occidit, ut Paulus dicit: „Virtus peccati lex, stimulus autem mortis peccatum est." Judex integer est et inflexibilis esse debet, quia lex sancta, mandatum bonum, justum, sanctum, et tamen est ministratio mortis, ad occidendum posita, ut iram operetur, quia lex justo non ponitur, sicut gladius civilis non est timori bonis operibus, sed malis, Rom. 13. Munera accipi et personas respici, est legis ministerio abuti ad justitias operum et gloriam carnis erigendam, non ad cognitionem peccati. Nam ea justitia operum etiam sapientes et justos excaecat ac fallit

specie et fiducia sua, ut hoc proverbio doceamur, quam periculosa sit lex, cum docta fuerit ad opera facienda.

Hoc est, quod mox post judices prohibet lucum et arbores, et statuas fieri juxta altare domini, id est, non erigere justitiam et gloriam operum, quas odit Deus. Nec immolari vitiosum, id est, legem ejus non debere operibus impleri. Hoc est enim vitiare legem et intentionem ejus, quae est, ut reos agat omnes, et peccatum agnoscere faciat, Roma. 7. Quin rigidissime occidendi sunt, qui Deos alienos adorarint, id est, vera intelligentia et notitia legis damnandus est cultus et studium operum, quo Deus coli putatur, cum verius idolum cordis nostri, falsa de Deo opinio colatur, qui, docente lege, sola fide cordis colitur. Per testes convinci eos, est testimoniis scripturae eos superare, ut Paulus ad Titum docet, episcopum esse debere potentem in sana doctrina, ad contradicentes convincendum. Deinde, qui judicio perfectiorum in spiritu, per legem Dei judicantium, stare noluerit, ut hic dicit, occidi et tolli de medio debet, hoc est, haereticus homo debet vitari et excommunicari, et haberi sicut ethnicus.

Constitutio regis proprie Christum significat, qui post legem judicem venit. Hic non eligentibus nobis, sed Deo constituente rex factus est in populo suo, nec est de aliena gente assumtus, quia non apprehendit angelos, sed semen Abrahae, in similitudinem nostri caro et frater, quasi unus e nobis factus. Et ipse non elevatur super fratres suos, quin cum esset in forma Dei, exinanivit semet ipsum, forma servi accepta. Ideo etsi multitudine et magnitudine equo-

rum et opum et copia populorum, hoc est, omni plenitudine divitiarum et virium spiritualium abundet, quippe, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, tum auro et argento sapientiae et eloquentiae scripturarum, tum uxoribus multis, id est, diversis ecclesiis, magnificus et gloriosus, tamen iis non fidit, non gloriatur, sed in Deo suo. Nam ipse est dominator hominum justus in timore Dei, ut David in verbis suis novissimis dicit. Ipse Deuteronomion hoc non solum litera, sed et spiritu versat assidue, et regnum habet vivens in timore Dei, quod judices et lex mortis praestare non potuerunt.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Non habebunt sacerdotes Levitici partem etc.

Et hoc cap. pertinet ad praecedentia, atque velut epilogum facit de providendis ministris verbi, de quibus cap. 16. dixit, scilicet, ut absolvat totum hoc, quod de magistratu utroque proposuerat, tam de sacro verbi quam de civili gladii, adeo ut in fine hujus capituli omnia concludat in futuro propheta suscitando, qui suscitaturus sit novum regnum, novum ministerium, et abrogaturus omnia, quae hactenus dixit. Nam in hunc spectat totus Moses, ad hunc dirigit ministerium suum, qui est finis omnium. Igitur additiones aliquot facit in hoc cap. eorum, quae supra dixit, sicut mos est Mosi repetere, ut addat, et sic totum perficiat.

Primum est, sacerdotes non habere portionem terrae cum tribubus Israel, sed sacrificiis domini alendi sunt. Quae autem de sacrificiis ad ipsos pertineant, exponit, scilicet, armum, ambas maxillas cum ventriculo de qualibet ove et bove immolato, item, primitias frumenti, vini, olei, lanarum. Hic non fit mentio de decimis a Levitis accipiendis nec de primogenitis, quia supra de his dixit, et hic repetit solum, ut addat, quid de sacrificiis habere debeant. De armo et pectusculo lege in Levitico per tria prima capit. et Exo. 29. Ventriculum hic vocat vel stomachum vel abdomen, infimam scilicet partem ventris. Nec mihi sane constat, an de omni sacrificio, sive sit pro peccato, sive holocaustum, sive teleticum, has portiones sumant sacerdotes. Ego lubens assererem de omni sacrificio, nisi quod holocausti sacrificium, ubi totum videbatur incendi, quanquam nec hoc satis permovet. Sed relinquo hoc otiosioribus.

Secundum, quod addit de Levita peregrino suscipiendo in ordinem ministerii in loco tabernaculi, pertinet ad providendos Levitas, de quibus itidem supra dixit, et hic ejus addendi gratia in fine repetit more suo, ut dixi. Sed id praecepti durum fuisse credendum est iis, qui in tabernaculo ministraverunt, ut suas portiones cogerentur in tot minuere et distribuere, praesertim, si avari et infideles fuerunt. Verum Deus hoc ad exercitium fidei et caritatis praecepit, ut discerent libenter impartiri sua, certa fide persuasi, quod alerentur a Deo. Sed nec dubium est hanc legem sic fuisse servatam, quemadmodum et alias omnes, ut prae tenuitate portionum vix pauci vel nulli Levitae tentaverint sese dedere ad locum

tabernaculi, tamen si qui vellent studio verbi et discendae legis, hic haberent provisionem suam.

Tertium, et ipsum est finale addimentum omnium, quae supra dicta sunt de externo cultu Dei, nempe, ut caveant abominationes gentium, quas hic per ordinem digerit et novem enumerat, quae omnes pugnant vero et puro cultui Dei, per verbum ejus instituto. Has nos, etsi ebraica certitudine per omnia non praestemus, tamen fidelibus conjecturis utcunque hoc modo discernimus. Primi, quos Mose kossamim vocat, vates, vaticinantes dicimus, neque raro in bonam partem accipitur, quemadmodum et nomen propheta aliquando in malam. Vates ergo sunt, qui futura prophetant aut scripturas et verba Dei interpretantur, sed suo sensu. Secundus meonenim, quos observatores dierum esse etiam Judaei et omnes fere consentiunt. Tertii menaheschim, augures dicimus, qui quamvis ab avibus observatis sic dicantur, tamen significat et Nume. 24. alias quoque observantias, ut: „Non est augurium in Jacob etc.“, et Gen. 44.: „In quo augurari solet dominus meus.“ Quarti mechaschephim, hos proprie maleficos et veneficos esse putamus, Exo. 22.: „Malefica non vivat.“ Quinti hoberim, incantatores esse Psalmus ille testatur, qui dicit: „Quae non audit vocem incantantis sapienter.“ Sexti oboth, hic Python est, spiritus ille, de quo in Actis, ut qui secreta et occulta revelat, quos apud nos sapientes viros et foeminas vernaculo dicimus. Septimi jedeoni, hi sunt sortilegi, signorum interpretes, seu conjectores. Octavi, qui quaerunt a mortuis, hi sunt, qui spiritus nocturnos et obambulantes consulunt, quos putant aliquando animas esse defunctorum. Noni, quos Mose

primo loco ponit, qui filios aut filias lustrant per ignem, hoc est, qui de semine suo dant idolo Moloch, ut alibi dicit. Haec omnia, quia sunt inventiones humanae sine verbo Dei, damnata esse debent in populo Dei, cujus vita et opera debent certo verbo Dei gubernari.

Prophetam de gente tua et fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus Deus tuus, ipsum audies.

Hic est princeps locus totius hujus libri et plane expressa prophetia de Christo, novo doctore, unde et apostoli eum locum fortiter allegant; et aptissime ponit hic Moses eundem in fine, ubi de sacerdotio, de regno, de magistratibus et omni cultu Dei sermonem finierat, ut ostenderet aliud fore in posterum sacerdotium, aliud regnum, alium cultum Dei, aliud verbum, quo abrogaretur totus Moses. Et hic plane Moses finem sui describit, et cedit magisterium suum futuro prophetae. Videamus ergo diligentius verba ejus.

Primum, necesse est hunc prophetam afferre novum verbum, quod Mose non docuerit, quia promittit hic Deus sese positurum verba in ore illius. Si autem hic non esset aliud verbum, non debuisset promitti per illum prophetam afferendum, sed suffecisset dicere: Ipse erit os tuum, sicut de Aaron Exo. 2. dicitur, quo significaretur, prophetam illum docturum verba Mosi et legem ejus scriptam. Nunc cum dicit: Audias ipsum, qui suscitabitur, sicut me, plane aliud verbum suum et aliud verbum istius prophetae esse docet, et hoc confirmat, quod ait populum in monte

Sinai postulasse talem prophetam, ut loqueretur eis, cum jam audissent totam legem per Mosen.

Sed aliud verbum ultra verbum Mosi esse non potest, nisi evangelion, cum omnia, quae ad legem docendam pertinent, sint per Mosen perfectissime et copiosissime tradita, ut nihil possit addi prorsus. Quid enim possit addi decalogo (ut reliquas taceam)? Quid potest sublimius doceri, quam credere, fidere, diligere, timere Deum toto corde, non tentare Deum etc.? Deinde quid justius et sanctius tradi potest, quam quae Moses de externo Dei cultu, de magistratu, de caritate proximi sancit? Non igitur habent hic Judaei, quod garriant prophetam hunc fore, qui explicaret Mosen. Moses ipse sese in hoc libro sic declarat, ut alio non sit opus, nec alius possit unum jota aut apicem addere, quo vel clarior vel perfectior fieret. Cum ergo aliud verbum ultra legis perfectam doctrinam esse non possit, nisi verbum gratiae, sequitur hunc prophetam fore non doctorem legis, sed ministrum gratiae. Sic plane hic textus cogit Judaeos aliud quippiam ab isto propheta exspectare, quam habeant in Mose.

Secundo, nisi aliud verbum afferret propheta ille novus, non debuisset eum Mose sibi comparare, dum dicit: „Suscitabit eum dominus, sicut me.“ Nam omnes prophetae reliqui, qui Mosen docuerunt, et non aliud verbum suscitaverunt, non erant sicut Mose vel similes Mosi, sed inferiores Mose, utpote ministri verbi Mosaici, ea docentes, quae Moses praescripserat, ut in his omnibus non alium quempiam aut ipsosmet, sed ipsum Mosen et verba ejus audirent. Moses enim in illis loquitur, et verba sua ponit in ore ipsorum, et ipsi sunt os ejus ad populum. Hunc vero prophe-

tam non audet sibi subjicere, et verba sua in ore ejus ponere, sed definit dominum ipsum per sese positurum esse in ore illius verba sua, dicitque eum similem sui fore in ministerio et audientia, quò certe excipit illum ab obedientia sui, et praefert omnibus prophetis Mosen docentibus.

Excipere autem ipsum ab obedientia Mosi, et praeferre omnibus prophetis Mosen docentibus, est profecto asserere legis ministerium finiendum et novum erigendum esse, cum a legis ministerio nullus hominum liber sit, sed omnes subjecti sint legi. Quare necesse est hunc prophetam similem Mosi (quoad auctoritatem docendi et jussionis, hoc enim vult, cum dicit: „Sicut me") superiorem esse Mose et majora docturum. Nam nisi major esset, Mose non cederet ei obedientiam et auctoritatem. Nisi autem majora doceret, major non esset. Nam hic non loquitur de similitudine dignitatis personalis inter Mosen et prophetam illum, sed de similitudine auctoritatis vel officii. Non enim de vita, moribus vel operibus Mosi aut prophetae istius hic agit, sed de doctrina, ut satis convincit textus, cum propheta a docendo et propter docendum veniat, et hic audientia erga eum praecipiatur.

Si ergo de doctrina utriusque agitur, facile patebit ex collatione utriusque doctrinae, quid necesse sit illum praedicare. Moses enim est minister legis, peccati, mortis, quia docet et urget facere, et per radios legis omnes facit reos mortis, obnoxios peccato, exigit, sed non dat, quod exigit. Cum autem hic propheta Mosen quidem haec inveniat docere, et ipse juxta eum doctor instituitur, oportet ut verbum suum aliud doceat, aliud autem docere quam peccatum,

iram, mortem, non potest, nisi justitiam, gratiam et vitam doceat. Quare necesse est eum esse doctorem vitae, gratiae et justitiae, sicut Moses est doctor peccati, irae et mortis. Utrumque vero aequaliter audiendum, sicut a Deo suscitatum, quia per legem oportet omnes humiliari, et per evangelion omnes exaltari. Pares sunt auctoritate divina, sed fructu ministerii impares ac plane contrarii, dum peccatum et iram, quae Moses suo ministerio excitat, ille per justitiam et gratiam suo ministerio evacuat. Nihil ergo exigit hic propheta, sed donat id, quod Moses exigit.

Habemus itaque ex hoc loco duo illa verbi ministeria ad salutem generis humani necessaria, ministerium legis et ministerium evangelii, alterum ad mortem, alterum ad vitam, et quomodo paria quidem sint, si auctoritatem spectes, sed dissimillima, si fructum consideres. Nam Mosi ministerium temporale est, tandem finiendum adventu ministerii Christi, ut hic dicit: „Ipsum audies.“ At ministerium Christi nullo altero finietur, ut quod adducat justitiam sempiternam, et aboleat peccatum, ut Danielis 9. dicitur. Quare Leviticum sacerdotium hic prorsus finitur et tollitur, quod ad Mosen docendum erat institutum. Quodsi sacerdotium finitur, finitur et lex, ut ille ait: „Translato sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat.“ Ita hic propheta alius esse non potest, nisi ipse Christus.

Ex his omnibus sequitur, quam sint prorsus alieni, imo pestilentes illi magistri in novo testamento, qui legibus et operibus conscientias vexant, cum id ministerium prorsus evacuet et tollat haec prophetia de Christo. Porro multo pestilentiores, qui suis traditionibus et humanis legibus orbem fatigant. Si

enim hujus prophetae novi ministerium legis Mosi, quae divina est, non patitur; quomodo patietur leges hominum in suo regno? ut videas hoc uno textu funditus subverti totum illud chaos papisticae tyrannidis cum suis monachis.

Sed dices hic: At multa reperies passim in evangelio et epistolis apostolorum praecepta, ergo vel non erit iste propheta Christus noster, vel nihil a lege Mosi differet sua doctrina. Breviter respondetur, praecepta novi testamenti ferri super justificatos et novos homines in spiritu. Nihil enim ibi docetur aut mandatur, quod non pertineat ad fideles tantum, qui omnia faciunt sponte, non necessitate aut invita voluntate. Lex autem fertur super veterem hominem in peccato mortuum, ut urgeat et ostendat ei suum peccatum. Hoc enim est vere et proprie legem docere. Ideo invenit hominem non solum invitum, sed etiam impotentem ad faciendum ea, quae legis sunt, ut hic in textu dicit, quod populus in die congregationis recusarit et non potuerit audire vocem legis, ideo postularit alium magistrum, qui loqueretur verbum ad eos, quod ferre possent.

Intelligentia itaque rei hujus sita est in cognitione et discrimine vero legis et evangelii, ut scias legis doctrinam tantum eam esse, quae praecipiat, quod faciendum sit impiis et perditis, ut 1. Timoth. 1. dicit: „Lex justo non est posita, sed impiis etc.“ Ubi vero pii sunt, jam lex abolita est, quae tantum hoc agit, ut impios humiliaret agnitione peccati et impotentiae suae. Doctrina autem evangelii ea est, quae docet, unde accipias, quo legem impleas, et in hac parte nihil praecipit, nec urget spiritum, qui per se ultroneus factus per fidem currit. Adjicit vero

quaedam praecepta, sed haec propter reliquias veteris hominis in carne, ut mortificetur, quae nondum est justificata, a quibus tamen spiritus liber est pro sua parte, qui sola fide contentus est. De qua re alias abunde diximus.

Nunc verba videamus. „Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus, ipsum audies.“ Christum hic futurum verum hominem, et de sanguine Judaeorum prophetat, quia salus ex Judaeis est, Joh. 4. Nullus autem hactenus de isto populo surrexit, qui aliud verbum a Mose doceret, et novum ministerium institueret, nisi unus iste Christus noster. Quotquot ante eum prophetae fuerunt, Mosen servaverunt et docuerunt. Hic non Iudaeos modo, sed omnes gentes per mundum a Mose liberavit, et novum verbum evangelii dedit. Qui cum ex Judaeis fuerit, testibus tam gentibus quam Iudaeis, ipso facto convincitur esse is, de quo hic Mose loquitur, et prophetiam hanc esse in ipso impletam.

Ut petisti a domino Deo tuo in Horeb.

Nihil legitur de hac petitione Exo. 20., cur ergo sic Mose loquitur? Respondetur: Moses ex ipsis verbis populi colligit, hanc petitionem fuisse in eis, dum dicunt: „Non audiam ultra vocem domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.“ Ex his, inquam, verbis, non quid sonent, sed quid velint, concipit, spectat enim intimum affectum et cardinem desiderii eorum. Nam sic erant affecti ex terrore vocis, ut summo cordis aestu optarint mitius et blandius verbum. Ipsa enim mors intentata per vocem legis coegit eos suspirare ad vitam et ad verbum salutis, et in tali angustia magis optant, quam audent petere aliud

neque praecepit, sed promittit se positurum et praecepturum in posterum. Quare aliud hoc verbum esse oportet, quam verbum legis, quod jam in ore Mosi copiosissime posuerat et praeceperat, adeo potenter, ut efficacia sua adigeret jam perterritos ad mortem et desperationem. Frustra enim promitteret ponendum et praecipiendum esse, si jam illud in ore Mosi posuisset et praecepisset. Cum igitur futurus propheta aliud a Mose sit docturus, necesse est, ut verbum ejus non sit verbum legis, quod occidit et terret, sed quod vivificat et solatur. Ita videmus ex hoc loco prophetas esse eruditos, ubi de alio pacto, verbo, sacerdotio futuro praedicunt, ut Jeremi.: „Ecce venient dies, et suscitabo pactum, non secundum pactum etc.;“ et Psal. 109. [110.]: „Tu es sacerdos in aeternum;“ et Esaiae 2.: „Verbum domini egredietur de Zion etc.“

Qui autem audire noluerit, ego requiram.

Hoc verbo universum magistratum civilem hactenus in Mose traditum abrogat, quia pro lege Mosi servanda et administranda instituerat gladium et judices. Hic vero, ubi novum verbum instituit, nullum gladium, nullum judicem instituit, sed se ipsum fore minatur, qui ulciscatur, sicut et in Michaea dicit cap. 6.: „Faciam ultionem in furore et indignatione in omnes gentes, quae non audierunt.“ Cum enim haec sit praedicatio vitae et salutis, non sunt ad eam cogendi ulli humana vi, cum Deus requirat spontaneum cor, quod credat. Hoc autem cum vi humana neque praestari neque extorqueri possit, relinquendi sunt solius Dei judicio, qui non crediderint, quia ipse jam eos damnavit, dicens: „Qui non crediderit, jam judicatus est;“ et hoc loco: „Ego requiram.“

Hinc vides, quam sint furiosi pontifices et principes hodie, qui haereticos aut impios vi ad fidem cogunt, et cogi nolentes occidunt et exurunt. Usurpant certe judicium, quod soli sibi Deus arrogat, et cogunt, ubi nemo cogi potest, et exigunt, quod nec ipsi nec ullus homo praestare potest. Sed hoc faciendo monstrant, quam nihil intelligant Christum et verbum ejus, neque quid Mose hic doceat, vident. Nam dum ex re christiana faciunt quandam externam larvam, ut illos credere credant, qui timore poenae vel pudore confitentur externe nomen Christi, et non advertunt esse hanc rem solius spiritus, ab omnibus hominibus liberrimam, coguntur statim eam subjicere gladio et judicio, siquidem omnis externa lex et religio indiget necessario judicibus profanis, sicut et in lege Mosi vidimus. Sic factum est, ut ex verbo legem, ex fide opera, ex veritate speciem fecerint, ideo tandem et gladium adhibere coacti sunt.

Eodem furore, sed alia specie insaniunt isti recentiores nostri prophetae, qui, postquam vana gloria obsessi voluerunt meliora et altiora docere, quam verbum vitae, quod denuo nobis Christus reparavit his diebus, eo feruntur spiritu Satanae, ut rideant doceri a nobis fidem et caritatem. Invenerunt vero verbi loco novum genus spiritus, novas vocum inanitates, quibus vulgum dementent. Et ut venena eorum vitemus, quando nostro saeculo currunt, breviter eorum insanias tangamus, ad monendos pios, ne magnificis eorum verbis fallantur, quas ut facilius intelligas, prius nostra narremus. Sic enim nos et vere docemus ac sapimus.

Primum et ante omnia audiendus est propheta ille, de quo Mose hic dicit, hoc est, salus nostra non

incipit ab ullo nostro opere, sed ab auditu verbi vitae, siquidem et lex ideo praecedit, ut humiliet et ostendat peccatum, doceatque nos nihil posse viribus nostris, Roma. 4.: „Lex iram operatur," adeo ut populus non modo non faciat legem, sed nec ultra audire velit, quae sese occidit, petatque ob id aliud verbum, quod vivificet, antequam nos quidquam faciamus, ut hic vidisti.

Audito autem verbo datur Spiritus sanctus, qui fide purificat cor. Ro. 10.: „Fides ex auditu," non quidem omnibus, qui audiunt, sed quibus Deus voluerit. Spiritus enim spirat, ubi vult, non ubi nos volumus. Spiritu vero sancto per fidem accepto mox justificati sumus eo ipso, absque ullo opere nostro, solo Dei dono, sentimusque pacem et bonam conscientiam erga Deum, Roma. 5. et laeti ac securi clamamus abba pater. Jam non est timor aut fuga servilis a facie irae Dei, sed filialis accessus per gratiam ad Deum, in qua stamus et gloriamur, Ro. 5.

Corde autem sic justificato et pacato per fidem in spiritu intus, mox itur ad extra variis modis. Primo fit ore confessio in salutem, et praedicatur verbum foris, quo nos intus salvati sumus, ut salventur et alii per nos, quemadmodum et nos per priores nobis, ut augeatur regnum Christi. Hic oritur persecutio, crux et tribulatio propter verbum in mundo, qui odit lucem et vitam, quia diligit tenebras, qua fit, ut fides probetur et perficiatur usque in perfectam spem, quae certos nos facit de salute nostra. Secundo invaditur vetus ille homo noster, in quo reliquiae sunt peccati, quae lege sua in membris pugnant adversus spiritum, ut non faciamus, quae velit spiritus. Hic agitur mortificatio illa carnis. Tertio fructificantur

bona opera, testes fidei et spiritus, erga proximum in caritate, benignitate, pace, bonitate etc. Gal. 5. Haec est summa et verus ordo christianae vitae, quae ex verbo pendet et incipit, et pertingit usque ad opera caritatis erga proximum.

Hoc ordine omisso prophetae isti novelli sic incedunt. Primo apprehendunt mortificationem. Hanc partiuntur in multos gradus seu pondera, quae diversis nominibus appellant, ut alius est in deterenda crassicie, alius in admiratione, alius in disciplina, alius in suspensione, alius in evacuatione creaturae, et nulli justitiam concedunt, nisi donec per hos gradus profecerit usque ad perfectam mortificationem, tum replentur Spiritu sancto, ut omnia possint, omnia norint, omnia velint. Non enim ex auditu verbi, quod gloriose contemnunt, sed ex mortificatione venit illis spiritus. Offenduntur enim, quod justos et pios vident adhuc reliquiis peccati occupari. Ideo vocant eos hypocritas, et qui fidem simulent et furentur e syllabis scripturae, non hauriant ex spiritu. Ipsi vero prorsus sine reliquiis peccati sunt, ideo veram fidem habent ex spiritu.

Vides ergo hic manifesto Satanam, qui eos excaecat, ut a mortificatione incipiant, quae tamen verbum et fidem et spiritum sequi debet, et in spiritum desinant, qui omnia praecedere debet, ac plane novam quandam larvam operum sub nomine mortificationis advehant, interim verbo ipso contemto, ut nihil nisi externam speciem erigant, et novo modo, nostris viribus parari justitiam doceant, eam scilicet justitiam, quae prorsus sine reliquiis peccati sit, quod impossibile est in hac vita, Roma. 7., quanquam interim illi ipsi jactatores spiritus et purissimae mortificationis

et mundissimae justitiae sint omnibus vitiis non pleni modo, sed usque ad furorem implacabilem obsessi. Neque enim majorem superbiam, elationem, temeritatem, arrogantiam, invidiam, odium, iram, impatientiam, avaritiam, pusillanimitatem (si res parum succedat), audaciam (si succedat), deinde infelicitatem unquam videris facile. Sic sane mortificantur, sic deterunt crassicies suas. His vere ponderibus onerantur a diabolo, potius quam honorantur a Deo.

Deinde quia confusam hanc et indigestam larvam externae mortificationis et justitiae jactant, coacti sunt et gladium pro ea administranda et servanda instituere, sicut est mos omnium externarum legum. Atque ut confusa et praepostera est eorum mortificatio et justitia, ita et nihil nisi confusum chaos gladii apud eos est. Non enim legitimo magistratui, sed promiscuo vulgo adversus legitimum magistratum ad omnes impios (id est, qui non sapiunt eorum sapientiam) occidendos tradunt, ut horum secta non tam de stultitia et insipientia quam de manifesto furore et insania damnanda sit, scilicet, Satan est, qui hoc modo sese ulciscitur in resurgente et reflorente verbo.

Istis ergo prophetis, per manifestam insaniam suam satis abunde confutatis, dimissis maneamus in pura doctrina et scientia Christi, scientes summam nostrae religionis esse fidem in spiritu per verbum donatam. Deinde relinqui in carne peccatum purgandum, et non exigi mortificationem perfecte impletam, sed perfecte implendam. Ideo tolerandos in caritate esse, non damnandos, si qui sint infirmi fide et moribus, Roma. 15., quae est summa laus et prima lex inter christianos jam justos, ut Paulus dicit: „Alter alterius onera portate, et sic implebitis legem Christi."

ut summa diligentia caveamus, ne justitiam tribuamus ulli operi, sed soli fidei reliquamus in corde, juxta illud Ro. 10.: „Corde creditur ad justitiam," rursus ne stertentem fidem alamus, quae mortificationem negligat, hoc est, sic mortificationem exerceamus, ut nec ipsa facta justitiam aut spiritum acquiri putemus, ut isti prophetae insaniunt, nec ipsa omissa minus per verbum advehi spiritum et justitiam.

Tenera siquidem et rara est haec puritas scientiae Christi, etiam in sanctis et spiritualibus viris, scilicet, adeo offendit operum species et immortificatae carnis malitia, ut optimi quique huc majore et priore impetu ferantur, quo mortificent carnem, et faciant opera, quam quo urgeant verbum et acquirant fidem et spiritum, quasi per opera et mortificationem veniret fides et spiritus, cum contra mortificatio et opera veniant et ex spiritu et ex fide, spiritus autem et fides nonnisi ex verbo vitae veniant. Est enim et haec carnis quaedam crassa malitia, diligenter mortificanda, quae opera et mortificationem tanti facit et suspicit, ut vim verbi, quae potens est potentia Dei salvare credentes, non videat, et magnis viris frequenter imponat. Haec satis sint de prophetis istis dicta, ut caveat illos pius homo, et sanum ac sincerum verbum Dei custodiat. Sequitur:

Propheta autem, qui praesumserit etc.

Necesse est, ut scandala veniant, et juxta verum et sanum verbum Dei semper miscent sese falsi doctores, sicut Petrus et Paulus post Christum testantur: „Erunt in vobis pseudomagistri, sicut et in populo fuerunt falsi prophetae," 1. Pet. 2.; et: „Post discessum meum intrabunt in vos lupi graves," Act. 20.

virtus Satanae; quantis praestigiis possit facere, ut videaris oculo captus, crure laesus, aut alio membro aut toto corpore aeger, cum nihil ibi verum agatur, tum postea; si voveris aliquid, vel sanctum aliquem invocaveris, absistit, ut redeat sanitas. Tum haec putantur sanctorum meritis et virtute divina fieri. Sic in aqua suffocatum potest aliquot horis tenere vivum sine apparente halitu et sensu, cum nihil illi sit facilius, quam ludificari sensus.

In his omnibus spectanda non sunt tam miracula, quam causa. Si opera et species sunt in causa, ut probentur, Satan est. Verum in causa verbi et fidei non ludit sic miraculis, quia odit verbum fidei. Quodsi etiam verum aliquid agatur, ut verus sit morbus et vera sanitas, nihil magis credendum, quia mille artifex novit et virtutes corporis et herbarum et omnium salubrium vel noxiarum rerum, quas pro sua voluptate nunc applicat, nunc removet, ut facit per magas, quae laedunt corpora eorum, quos oderunt, quandoque et occidunt, rursum laesa sanant etc.

Haec de prophetis dicta sint. Allegoria Levitarum nihil inter filios Israel possidentium est ministros verbi debere non misceri victualibus, et omnibus abstinere, ut placeant domino, qui est eorum hereditas. Hoc est, verbum est eorum possessio et opulentia, quo serviunt Deo, et populum servant, ut hereditent terram promissionis, scilicet, salutem animarum. Jus etiam sacerdotum de sacrificiis, scilicet, armus, maxillae, ventriculus et primitiae; idem significat, eos in usu et ministerio verbi esse, ut brachio sint potentes in opere, et maxillis verbi mordeant et molant impios, arguendo, increpando, obsecrando, ventriculo vero fo-

veant et tolerent infirmos, primitiis vero utantur, dum omnia tribui docent gratiae Dei, non viribus nostris.

Vates autem et omne illud genus abominationum, quas hic Moses numerat, significant impios magistros, qui e capite suo divinant, quae Deus illis non praecepit, et onerant conscientias certis diebus, certis operibus, certis locis, certis personis. Ideo ludificant conscientias fallacibus et speciosis opinionibus et inanibus verbis, non aliter quam malefici et incantatores oculos praestringunt suis praestigiis, ut putent sese sentire aut videre, ubi nihil sentiunt neque vident, quales Paulus Ephesi. 4. panurgos vocat, et proprie per istos ludificatores et magos figurantur. Filios etiam lustrant per ignem, id est, populum falso studio pietatis accendunt et perdunt, ut haec facilia sunt applicatu et intellectu.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Cum eradicaverit dominus Deus tuus gentes etc.

Finitis institutis de cultu Dei et magistratu pergit Moses in secunda parte legis, nempe caritate, quae in secunda tabula continetur. Unde hoc cap. per totum agit de homicidio et de avaritia, quomodo sit homicidium fortuitum ignoscendum et voluntarium puniendum. Deinde generali sententia omnem injuriam talionis lege vindicandam statuit. Exigit enim cari-

tas, ut publicae paci provideatur, sed nisi mali coerceantur, pax constare non potest. Quare caritatis est, leges strenue et sine misericordia administrare, in vindictam malorum, ut serventur boni et pii. Rursus caritatis est, legum rigorem aequitate remitti, ut misericordiam consequatur, qui similis quidem est malo et nocenti, et tamen nec malus nec nocens est, quia nolens et invitus fecit. Ideo hic mandantur separari tres civitates refugii pro homicidiis involuntariis.

Qui percusserit proximum suum nesciens etc.

Declarat exemplo, quale velit intelligi involuntarium homicidium, satis crasso, scilicet, si quis aliud agens, ceu ligna caedens, et ferro elapso percusserit proximum. Vides hic pulchre, quomodo epiiciam seu aequitatem in legibus requirat Deus, ut non secundum facta solum, sed secundum voluntatem judicari velit. Nam hoc exemplum generaliter trahendum est ad omnes leges, ut, quidquid peccatum fuerit, animus potius, quam manus peccantis spectetur, ut hic Moses expresse definit, illum non esse reum homicidii, qui nullo odio, sed casu aliquem occiderit nolens. Sed hic animus tamen certis signis et circumstantiis probari debet, ne cuivis liceat post factum dicere: Non feci volens. Ideo Mose ponit exemplum de ferro elapso, et plane eam circumstantiam, quae probet homicidam aliud agentem praeter voluntatem opus fecisse homicidii.

Sic si aliquis imprudens oculum alteri vel pugno vel lapide excusserit, prorsus aliud agens, quam ut oculum illi excuteret, reus non est injuriae. Sic si alio quovis membro laeserit, aut damno affecerit, ut

ego vidi factum, quo frater fratrem gladio transfodit et occidit, dum aprum, qui fratrem oppresserat, transfodere studuit. Ita enim habent res mortalium, ut cuilibet a proximo sit exspectandum periculum. Qui enim in societate communi vivere volet, et frui pace, securitate, tutela, et omnibus juribus, commodis et bonis, debet etiam ferre pericula, damna et incommoda, et totam fortunam, utcunque acciderit. Sic juristae dicunt: Civis debet civi incendium, hoc est, si velit esse civis, cogitur periclitari cum vicino incendio aut alio quovis damno.

Cum autem dilataverit etc. Si tamen servaveris etc.

Vides promissiones legales pro temporali regno longe aliter se habere, quam promissiones gratiae seu spirituales. Nam promissiones legales nituntur hominum voluntate et meritis, ut hic dicit: „Si tamen servaveris." Ideo non sunt stabiles neque perpetuae, quia merita hominum nulla permanent, sicut nec homines ipsi, quantumvis sancti. At promissiones spirituales, sine meritorum respectu, nituntur sola aeterna et gratuita misericordia Dei, quia non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Ideo in illis regnat, imo perit et perdit omnia liberum arbitrium. In istis regnat et servat gratia et spiritus.

Ne effundatur sanguis innoxius.

Vides involuntarium homicidium ab ipso Deo definiri innoxium, sicut et paulo superius dixit: „Ne percutiat animam ejus, qui non est reus mortis, quia nullum contra eum, qui occisus est, odium habuisse

monstratur." Ecce animus innocens ab odio facit factum innocens ab homicidio. Ideo vult multas civitates refugii, quia multa in magno populo pericula mutuo contingunt.

Et notandum, quod illud, ubi dicit: „Ne forsan proximus occisi persequatur et percutiat animam ejus, qui non est reus mortis," nullo modo sic intelligi debet, quasi vindex ille privata manu debeat vel ei liceat homicidam occidere, sicut textus pro seditiosis videtur sonare, sed quod ipso agente causam occisi judices per legitimos testes causam debeant expedire, quod quia fit illo impellente et urgente dicitur ipse facere, juxta illud: Quod nos per alios facimus *), nos fecisse recte dicimur. Nam nulli licet se ipsum vindicare, sed „mea est (inquit) vindicta." Ideo instituit judices et magistratus.

Si quis autem odio habens etc.

Et hic vides vindictam magistratui mandari. Dicit enim: „Mittent seniores civitatis, et tollent illum inde." Et tamen quasi sit facturus vindex ipse, mox addit: „Tradentque in manus proximi seu vindicis," non ut ipse privato gladio eum percutiat, sed coram judicio reum agat, et ad mortem perducat. Quin quasi totus populus hoc facere debeat, dicit: „Non miseraris ejus, ut auferas innoxium sanguinem de Israel." Reliquum ergo est, jura illa et publicas exsecutiones jurium mandari quidem populo, sed tali, qui magistratibus et judicibus ordinatus sit, qui accusante vindice

*) In edit. princip.: quod per nos alii faciunt.

et testibus probantibus justo judicio secundum legem judicent et occidant.

Vult autem, ne voluntario homicidae misereantur, quia malitia peccavit, et pacem publicam turbavit. Et hoc exemplo vides immunitates illas locorum, quae apud nos vice civitatum refugii sunt, debere tantum innocentibus prodesse, nocentibus vero nihil prodesse. Sic enim et Exo. 25. praecipit, voluntarium homicidam auferendum, et avellendum etiam ab altari domini, et occidendum. Hodie vero prorsus indifferenter, ac ut plurimum solis nocentibus refugii loca sunt immunitates illae, ac manifestas injurias tuentur, forte exemplo Romuli, Romanorum parentis, qui latronibus Romam primo fecit immunitate patronam.

Non transferes terminos proximi tui.

Insignis locus contra avaritiam et tyrannidem, ob quam non raro et homicidia fiunt, ut terminos liceat occupare. Interest igitur officii magistratus curare, ut civis a cive tutus sit in loco hereditatis suae, praesertim in hoc populo Israel fuit id necessarium, ubi hereditates impermixtas esse voluit.

Non stabit testis unus contra aliquem.

Sic supra capitulo 17.: „Nemo moriatur uno contra se dicente testimonium.“ Pulchrae gnomae sunt, dignae quae omnium ore celebrentur. Nam et Christus hanc non semel allegat: „In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.“ Sed quid, si uterque testis falsum dicat? Quid faciet judex? Respondetur: Si scierit falsum eos dicere, non judicet, si nescierit, judicet secundum testes. Hoc enim cogit

cant, in suas sectas alliciant, a Christo et puro verbo avellant, quin delectantur et gloriantur in multitudine pereuntium et sibi adhaerentium. Ideo nullam merentur clementiam, nec habent remissionem peccati, cum sint suo judicio condemnati, Tit. 3., et peccent peccatum ad mortem; quod ut non toleratur, ita nec remittitur. Est enim blasphemia in Spiritum sanctum, pro quo non est orandum, ait Johannes.

Non quod pro ullo peccato non orari debeat, sed quod non sit orandus Deus, ut ipsum pro non peccato habeat, aut pro justitia acceptet, sicut Mose orat Numeri 16., ne Deus respiciat eorum sacrificia, hoc est, ut imputet pro peccato, sicut vere peccatum est, quia ipsi illud non imputant, sed jactant pro justitia. Alioqui pro omni peccato, quod agnoscimus, oratur, et sic non imputatur, etiamsi perseveret, ut sunt reliquiae peccati in carne, Gala 5. Hoc enim vult Johannes, dum pro peccato ad mortem orari non vult, id est, non vult, ut habeatur pro non imputato aut pro nullo peccato, qualia vult omnia haberi, quae agnoscimus et confitemur. Nam orare pro tali peccato, ut pro non peccato habeatur, est petere, ut eorum haeresis et impietas Deo non displiceat, seu ut sit Deus, cui placeat impietas, contra Psal. 5.

Non transferri terminos a prioribus positos, est nihil addere doctrinae ab apostolis traditae, velut melius consulendo rebus conscientiarum. Et hunc locum fortiter pro se jactant sophistae et pontifices, dum pro suis statutis et consuetudinibus clamant, non esse transferendos terminos, quos constituerunt patres. Per patres intelligunt autem suos pontifices et doctores, non autem apostolos. Sic allegorica sententia suas

fabulas stabiliunt, interim non videntes, quam ipsi sint primi et soli omnium (etiam allegoria stante) transferentes terminos, non modo fidei et spiritus, per priores apostolos et Christum in evangelio positos, sed etiam suos ipsorum, a suis prioribus et a se ipsis positos, cum id sit unum eorum studium, ut leges legibus mutent, accumulent, et ut ille ait, leges figunt, pretioque refigunt, ut videantur legislationem vice ludi ac tesserarum habere, quibus ludant in conscientiis hominum, et tamen aliis objiciunt, ne transferant terminos, quos priores posuerunt.

Lex talionis: „Oculum pro oculo etc." significat falsos doctores puniri a Deo, sicut ipsi nocuerunt, ut, si occiderunt, occidantur, si laeserunt et infirmos fecerunt in fide aut operibus, et non sanum docuerint verbum, secundum hoc et ipsos recepturos a Deo, ut Paulus Roma. 15. dicit, eos in Christum peccare, dum percutiunt infirmos, pro quibus Christus mortuus est. Sic falsi testes, qui testificantur adversus proximum, sunt, qui conscientiam peccati et mortis faciunt, ubi non est, ut occidant animas, quae non moriuntur, et vivificent, quae non vivunt. Hi ergo sunt inquirendi diligenter, et eis faciendum, sicut cogitaverunt facere, hoc est, sunt superandi verbo scripturae et damnandi, hoc est, verbo decernendi ad perpetuam damnationem, nisi resipuerint, et probandum, quod falsa sunt, quae senserunt. Sic occiduntur et damnantur spiritu oris Christi, ut vivant, si velint, aut perpetuo cum sua doctrina pereant.

CAPUT VICESIMUM.

Si exieris ad bellum contra hostes tuos etc.

Adhuc perstat Mose in causa homicidii usque ad vicesimum tertium capitulum. Ideo ut omnia istius populi certo verbo gerantur, statuit eis et legem belli sane pulcherrimam, et victoriosissimam, si eam servassent. Quoties enim percussi sunt Judaei, id passi sunt, quia legem hanc non servaverunt, cum non fuerit possibile, ut vincerentur, si secundum hanc legem bellarent.

Primo tollit eis fiduciam in armis et viribus, ne putent sese esse, qui vincant ac triumphent, et jacit invictum fundamentum et perpetuum robur victoriae, verbum scilicet magnificae promissionis et fidei, dicens: „Non timeas eos, dominus enim Deus tuus tecum est.“ Deinde jubet hoc verbum in acie praedicari a sacerdote et inculcari, dicens: „Audi Israel, vos hodie pugnatis contra hostes vestros, non mollescat cor vestrum, nolite metuere, nolite pavere, nec formidetis eos, quia dominus Deus vester ambulat vobiscum, ut pro vobis pugnet, et vos salvet.“ Obsecro, quid mirum, si populus talibus promissis armatus, etiam sine armis, non solum hostes suos, sed totum adeo mundum vinceret atque percuteret? Qui muri, quae arma, quae vires, quae multitudo his resistent, pro quibus Deus pugnat? Nonne hoc senserunt Aegyptii in mari rubro, quando dixerunt: „Fugiamus Israelem, dominus enim pugnat pro eis contra nos?“

Hinc fluxerunt illae gloriationes: „Non in arcu meo sperabo, nec gladius meus salvabit me,“ et ite-

rum: „Non in tibiis viri beneplacitum est ei, neque in fortitudine equi voluntatem habebit," et: „Fallax equus ad salutem, et fortis non salvatur in multitudine fortitudinis suae," et: „Benedictus Deus, qui docet manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum, ipse enim dat salutem regibus." Sic Jonathan, filius Saul: „Non est difficile domino, salvare in paucis vel in multis." Igitur fide in verbo Dei bella hujus populi gerenda docentur. Fide enim David Goliath percussit, et omnes victorias suas implevit. Quoties vero sine fide, solo numero et copia bellaverunt, caesi sunt.

Secundo, sic armatos verbo Dei induit et larva corporalium armorum, et instruit aciem, jubetque neophytos et formidolosos abire, et delectum virorum facit, et omnia non aliter ordinat, acsi suis viribus et armis fisi bellare deberent, more aliarum gentium. Quod facit, ut abscondat sese sub larva externa, et occulte per fidem verbi sui operetur victoriam, ne scilicet Israel tentare videretur Deum, dum nudus et inermis pugnaret. Nunc autem discit arma quidem gestare, et apparatu bellico uti, sed non in ea confidere. Non enim per arma nec per apparatum, sed sub armis et apparatu vult eum vincere, ut sic fides habeat locum, quae est non apparentium, et vitetur tentatio Dei, quae omittit, quae Deus foris ad usum belli dedit. De hac larva Dei et supra diximus. Non enim dixit David: Sine gladio meo bellabo, et sine arcu meo salvabor, sed: Gladio et arcu quidem bellabo, sed non in eo sperabo. Non sine pane et vino vivam, sed non in panem et vinum vitae spem ponam. Sic de aliis omnibus.

Tertio, ne Judaei sese natos putarent tantum ad occidendos homines, ac non potius ad servandos pios et quietos, et ad castigandos impios et inquietos, legem praescribit, ut pacem prius offerant hostibus, id quod et gentes quaedam servaverunt, ut poeta de Romanis dicit:

Parcere subjectis, et debellare superbos.

Et Augustus pacem semper bello praetulit, nec nisi necessitate urgente bellandum esse dixit, siquidem bellum simile esse dixit aureo hamo, ubi sumtus major est, quam fructus, et tamen amissus nulla una captura aequari potest. Et fere judicem Deum praesentem videmus in omnium bellorum eventibus, ut, qui bellum primi movent, deserta pace, semper vincantur. Sic et rex Josias cecidit, dum pacem oblatam contemneret, et bellum contra regem Aegypti moveret. Sic regna mundi bello parta bello perierunt; et ipsum novissimum Romanorum imperium, quod omnia perdomuit, facta est rapina omnium gentium.

Quarto, ista lex belli constituitur adversus exteras gentes, ut rebellibus subjectis omne masculinum interficiant, servatis mulieribus, parvulis et jumentis, et tota praeda civitatis, ac inter se distributis. Sed ipsos Cananaeos et Amorraeos, in quorum terra erunt habitaturi, prorsus anathema jubet facere, ne ullae sint reliquiae, a quibus discant impietates et abominationes.

Allegorice significantur hic bella gerenda in causa fidei. Hic ante omnia opus est, ut sciamus Deum in nobis esse et pro nobis pugnare, qua scientia tuti ac animosi bella domini geramus. Vires vere nostras, hoc est, sapientiam, scientiam, intellectum, deinde et

arma, id est, gladium spiritus et scripturam, esse non nisi externam operam, sub qua in nobis potens est et pugnat vincitque Deus, sicut Paulus ait; „Arma nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo,“ ne nos gloriemur, quasi nos simus, qui vicerimus, sed solus Deus triumphet nos in omni loco, qui operatur omnia in omnibus nobis.

Tria genera hostium habemus, primum, quod pacem oblatam acceptat, et subjicit sese nobis, secundum, quod repugnat. Haec duo Mose signat per exteras gentes, longe a terra promissionis sitas. Tertium est internum et domesticum, ut sunt Cananaei, Amorraei etc. Hi sunt triplices haeretici Primi non pertinaces, qui facili opera cedunt admonitioni, et pacem faciunt subjecti, in caritate servientes. Secundi, qui resistunt et armis scripturae sese defendunt. Ex his masculi sunt occidendi, reliqui in praedam diripiendi, hoc est, verbo spiritus sunt principes et potiores inter eos damnandi, et si pertinaces sunt, tanquam mortui, perpetuo relinquendi, et pro ethnicis et publicanis habendi, reliqui vero eorum suscipiendi et distribuendi in opera caritatis. Sed domestici illi et prope positi sunt prorsus cum omnibus delendi Hi sunt, qui prorsus sunt obdurati et obstinati, incorrigibiles. Hi verbo sunt anathema declarandi et segregandi de medio nostri.

Non enim hic gladius carnalis corpora percutit, sed verbum Dei conscientias, victis vero conscientiis satis est victum, quia destructa est altitudo sensus, quae se extulit adversus scientiam Dei. Reliquum, quod in carne vivitur, etiamsi infirmum sit, tolerandum est, quia occisa impietate cordis non nocet infirmitas carnis, cum peccatum in membris, jam non imputetur, postquam amputatum est illi caput serpen-

tis, id est, sensus et opinio impietatis. At ubi caput et opinio non cedit, etiam id, quod in carne vivitur optime, simul cum impietate cordis occidendum est, id est, anathema faciendum, quia illis nulla remissio, nulla misericordia, nulla gratia reliqua est super peccato in carne reliquo, qui impietatem cordis servant, deinde omnia damnata, quae bona facere sibi videntur. Isti sunt Cananaei et prope siti Amorraei.

Pacem offerre, est evangelion pacis et doctrinam quietae et laetae conscientiae, hoc est, purae fidei, offerre impiis et inquietis magistris ac tortoribus conscientiarum, operibus sese fatigantibus.

Arbores fructiferas non caedendas esse, significat, si quas habuerint scripturae auctoritates veras, non esse negandas. Nulla enim haeresis unquam fuit, quae non etiam vera aliqua dixerit. Ideo vera non sunt neganda propter falsa. Infructuosas vero succidendas et in machinas vertendas esse, significat, scripturas ab eis perverse citatas et objectas esse retorquendas in ipsos auctores, et suo eos mendacio inutili confutandos.

Sponsum novum et aedificantem domum ac plantantem vineam non mitti ad bellum, est non neophytum constitui in ministerio verbi (ut Paulus docet), ne inflatus in laqueum cadat criminatoris. Sic nec meticulosum, id est, infirmum fide, sed ut Titum monet, eum, qui tenax sit sanae doctrinae, et potens in verbo, ad exhortandum et contradicentes revincendum, ne in bello vel pereat vel fugiat, id est, vel superetur impietate vel cedat impiis magistris. Nam quod hic de domo dedicanda et vinea facienda communi et sponsa domum ducenda dicit, significat ubi

exercitatum esse debere militem verbi, ut non audita solo, sed experientia quoque doctrinam noverit. Donus enim ebraice tunc dedicatur, quando usu et inhabitando occupatur, et vinea communis fit, quando quis usu et fructu ejus potitur. Sponsa accipitur, quando consuetudo vitae cum ea habetur.

CAPUT VICESIMUM PRIMUM.

Quando inventum fuerit cadaver occisi in terra etc.

Adhuc perstat in causa belli et sanguinis hoc cap. Mose. Primo instituit ceremoniam quandam insignem super occiso invento in agro, cujus auctor ignoretur, quomodo reatus ille sit tollendus. Quod malum et ipsum inter ea numerandum est, quae civilia et vicinitatis jure ferenda diximus. Alioqui cur ii potius hoc reatu onerentur, qui viciniores habitant occiso, cum fieri possit, ut a remotioribus vel peregrinis occisus sit? Ponitur autem ea lex, meo judicio, ad terrendum rudem populum legis externa illa pompa tristitiae et poenitentiae, ut ab homicidio retrahantur, quemadmodum solent pueri externis spectaculis et terriculamentis a malo absterreri.

Secundo legem praescribit de mulieribus captivis. Et vides hic, quantum lex indulgeat militibus Judaeis, ut non modo liceat plures uxores habere, sed etiam, si amor jusserit, gentilem et captam bello. Nam enim

supra eos milites descripserit, qui non sunt novi mariti, palam est, fere omnes conjuges ultra annum ad minus fuisse, qui militarent in bello, et his conjugibus militibus permittitur etiam gentilem uxorem domum ducere, et quod amplius est, post, ubi displicuerit, jus facit eam dimittendi, sed liberam, ut alteri nubat, nec vendi aut prostitui possit. Hoc enim honestati civili non convenit, ut humiliatam vendat aut prostituat.

Sed quid hoc est? Numquid Judaeis licuit mulieres prostituere? Non habet textus verbum prostituendi, sed vocabulum עמר, quod venundare aut locare significat, ut mihi videatur esse sensus, non debere eam vendi pro pecunia, aut alio quovis modo pro lucro dari, cui maritus voluerit, nempe servo vel amico, sed prorsus liberam dimitti, ut ipsa potius ab eo libera nubat cui voluerit.

In summa, ista quoque lex partim ad ea pertinet, quae ad duritiam Judaeis indulsit Moses, ut Christus de libello repudii docet Matth. 19. Iniquum est enim uxorem sine culpa et sola viri libidine dimitti, tamen permittitur duris et barbaris ea iniquitas, ne majus malum perpetrent. Pluralitas vero uxorum huic populo erat peculiaris tam exemplo patrum quam jure legis.

Ritus autem ille, ut circumcidat ungues, et deponat vestem captivitatis, sedensque lugeat uno mense patrem et matrem, statuitur, ut mitigetur asperitas facti, nempe, quod gentilis ducitur in populo Dei, ut his velut lustrationibus sanctificetur, et populo sancto misceatur, oblita gentis et cognationis suae, nova creatura secundum carnem facta. Oportet enim rude

vulgus externis ceremoniis et pompis duci et capi ad honestatem et reverentiam, cum spiritu non ducatur.

Tertio legem de duabus uxoribus et prole earum ponit, ne primogenituram maritus det pro suo affectu et amore filio dilectae, qui primogenitus non est. Nam primogenitura nobilissimus et summus honor erat liberorum, quae non arbitrio hominis, sicut conjugium captivae, sed benedictione coelesti obveniebat, ubi non est personarum respectus. Ideo non debet transferri arbitrio humano, aut pro libidine amantis vel amatae mutari, ut sit generalis gnome hujus legis: Quod Deus donat, homo non tollat. Satis dura haec lex fuit, tam vindictam in odiosam uxorem, quam gratiam in amatam uxorem coercens. Vindictam enim et gratiam ponere, non est parvae virtutis, imo impossibile naturae. Ideo lege extorquetur et vi, quod malitia non vult nec potest. Vides igitur hic pluralitatem uxorum lege permitti.

Quarto legem de filiis inobedientibus morte plectendis. Optimus et justissimus legislator Moses, qui non tantum minora crimina morti adjudicat, sed multo magis et majora. Inter homines sic habent leges et mores, ut homicidia et furta morte plectant, adulteria vero vix morte. Porro filiorum inobedientiam et perditam vitam non puniunt morte, multo minus sacrilegia et impietates ac blasphemias in Deum et Dei verbum. Hic vero tam rigide praecipit Mose filiorum rebellionem castigari, ut etiam parentes ipsos hujus mortis jubeat esse primos auctores, ut qui ipsi adducere ad judicium, accusare et testificari debeant contra filios proprios. Tanti facit Deus obedientiam et reverentiam parentum, atque utinam eam legem et nos imitaremur, quo plus timoris et pudoris infreni et

effrenti juventuti incuteretur, quae tam miseris exemplis tam protervis moribus passim perit.

Quinto et ultimo statuit facinorosos morte mulctatos in patibulo deponi eo die, et non permitti nocte illa in patibulo. Addit rationem, quia maledictio Dei est suspensus, ut non contaminetur terra. Maledictio Dei est (inquit) active, hoc est, apud Deum et coram Deo et a Deo pro maledicto habetur. Jam vero illud tandem ex oculis tollendum est, quod scias Deo sic displicere, ut etiam maledictum apud eum sit, ne, si sic pendere sinas, videaris delectari, ut maledictione Dei terra impleatur et sic contaminetur. Haec omnia in odium homicidii statuuntur, sicut et illa religio de cadavere occiso in terra invento, ut absterreantur ab occidendo, adeo ut et illum, qui morte dignus fuerit, velut necessitate legis coacti, ipsi vero inviti occidant, et occisum velut abominabile spectrum homicidii tollant, ne usu spectati et tolerati cadaveris vilescat et tepescat horror occidendi.

Allegoria.

Supra dictum est, occidere duplicis esse allegoriae. Aut enim occiditur pietas aut impietas, utraque est spiritualis occisio. Prior significatur per homicidia, ut culpam. Posterior significatur per judicii gladium vindicantis, ut poenam. Sic occiditur male, qui verbo impietatis alienatur a Deo et verbo vitae, occiditur vero bene, qui verbo spiritus in poenam percutitur, et terretur futura ira Dei, ut resipiscat et vivat. Quodsi nolit sic vivificari, manebit utraque morte mortuus, tam in impietate quam ira futura super impietatem, qua Deus occidet. Nos vero spiritualiter occidimus, dum terremus. Igitur inventum cadaver significat occisum vel fratrem vel aliquem populum, quem

invenimus falsa opinione infectum, ignoto auctore aut doctore. Hic accurrere debent, ut quique sunt proximi, et hunc reatum pia conscientia pavidi super sese accipere metuentes, ne ipsorum culpa factum sit, aut inter nos sit, qui fecerit, praesertim seniores, id est, ministri verbi, et non secus agere pro tollendo illo scandalo, quam si ipsi hoc statuissent.

Tollant igitur vitulam de armento, quae non traxit jugum, hoc est Christus in carne sua de nostro humano genere assumta. Tollitur autem spiritu, id est, praedicatur et creditur. Fuit autem nunquam sub jugo, id est, fuit sine peccato, nihil debens legi, sed sua voluntate oblatus pro nobis. Ducant eam in vallem asperam et saxosam, quae nunquam arata est nec sementem recepit, et ibi caedant cervices ejus, id est, praedicent eum passum in mundo et pro mundo, qui sterilis, asper et ingratus Deo, nunquam ante audivit aut accepit verbum Dei, sed justitia et sapientia carnis tantum floruit. Tum assistentibus Levitis seniores stent juxta occisum, et lavent manus suas super vitulam, et orent, ne eis imputetur sanguis ille; hoc est, super Christum sic praedicatum et creditum ministri verbi innocentes fiant, et faciant, et orent ignosci sibi hoc scandalum. Sic per Christum omnia ignoscuntur, tam vera et cognita quam ignota et formidine suspecta peccata. Exemplum hujus allegoriae tibi praebet Paulus egregium tota epistola ad Galatas, ubi, cum incerto auctore invenisset occisum cadaver in agro ecclesiae, proximus accurrit, et facit, acsi sua res agatur. Vide ibidem.

Mulier captiva in uxorem ducta apud s. Hierony. eloquentia putatur. Sic enim allegorias ludum aliquem existimant. Nos dicimus allegorias ad fidem debere

accommodari. Igitur mulier illa vel synagoga vel gentilis ecclesia est. Nos synagogam facimus, quae formosa fuit illis dotibus, quas Ro. 9. Paulus numerat dicens: „Quorum est legislatio et testamentum, gloria, patres etc.," et omnino apta amori et conjugio, id est, verbo Christi audiendo. Caesaries sacerdotium splendidum fuit, hoc abrasum et abrogatum est. Vestis captiva, externa illa justitiae species quoque deponenda fuit, ut justitia vera crucis induceretur, reputans pro stercore, quae prius lucra fuerant. Ungues quoque praecidet, hoc est, asperitatem legis lacerantem conscientias quoque amittet. Deinde lugeat patrem et matrem, id est, agnoscat et confiteatur peccatum esse originale et naturale, quod justitia legis tolli non possit, sed potius augeri. Et sic maritetur, id est, verbum Dei concipiat et credat, sitque uxor Christi.

Haetenus de synagoga allegoria constat pro una parte, sicut mos est scripturae de toto loqui per synecdochen, cum partem solam velit. Jam sequitur de reliqua parte, quae repudiatur, scilicet, eadem est mulier, quae assumitur et repudiatur, quia idem est populus, partim assumtus, partim relictus. Si ergo displicuerit mulier postea, id est, in hac parte impia, dimittes eam liberam, id est, Christus reliquit Judaeos, nec eos lege amplius subjiciens, nec ulli magistro alteri tradens, sed ut eat libere, secundum sua desideria, et adhaereat cui magistro vult. Sic Esaiae 5. praedixit vineam suam sese desertusum. Poteris jam hanc allegoriam generaliter trahere ad omnes justitiarios, ex quibus aliqui verbo capiuntur, qui caesariem radunt, ungues praecidunt, et omnem gloriam justitiae prioris damnant, et peccatores se agnoscunt. Rursum, aliqui relinquuntur indurati suo sensui.

Duae uxores unius viri, duplex illa et unica ecclesia est, ex Judaeis et gentibus. Synagoga odiosa, quia occidit prophetas, et crucifixit Christum etc., gentilis amata, quia cum gaudio suscepit verbum. Tamen synagoga primogenitum habet, quia ex ipsa venit Christus, apostoli, verbum, et non ex gentibus. Salus enim ex Judaeis est, Joh. 4. Ideo non sunt contemnendi nec hodie Judaei, quod ex ipsis, non ex nobis venerit omnis gloria, ut Paulus facit, Ro. 9. Primi enim fuerunt christiani, et illis promissa et credita eloquia Dei.

Filius rebellis et potator est doctor in ecclesia, primo per verbum genitus, postea doctrinis et somniis humanis perditus, et pertinaciter inhaerens. Is judicio ecclesiae accusandus et convincendus, et lapidibus, id est, duris scripturae dictis, occidendus, id est, superandus, ut vivat. Quodsi nolit vivere, dura sententia mortis et irae Dei intentanda, ut sic occidatur et vivat.

Suspensus propter flagitium et deponendus propter maledictionem Dei, ne contaminetur terra, significat impium damnatum per verbum et non resipiscentem prorsus esse tollendum, et velut maledictum Deo segregandum, et pro anathemate habendum, ne, si toleretur in medio nostrum, inficiat et perdat plurimos ex nobis, juxta illud 1. Corinth. 15.: Auferte malum ex vobis, quia modicum fermentum corrumpit totam massam.

Sed quid ad Paulum dicemus? qui ad Gal. 3. de Christo hunc locum intelligit, dicens: „Christus pro nobis factus est maledictum. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui pendet in ligno.“ Mire torque-

tur Hierony. eodem loco, dum Mosen loqui disputat de facinoroso suspenso, Christus autem nullum peccatum fecerit. Sed non videt, quod Paulus simplicissime loquitur, et Mosen generaliter loquentem recte et ad literam sine allegoria de Christo intelligit. Si enim omnis suspensus maledictum est Deo, ut Mose docet, ergo et Christus maledictum est Dei, et si omnis suspensus facinorosus est, ergo et Christus facinorosus est. Proinde non hoc disputandum fuit, quomodo Christus fuerit sine peccato, sed quomodo peccatum habuerit, item, non disputandum, quomodo benedictus et huic suspensioni non subjectus, sed quomodo fuerit aut esse potuerit subjectus.

Hic uno verbo Paulus totam difficultatem solvit, dicens: „Pro nobis factus est maledictum," pro nobis, inquam, non pro se. Quo verbo palam docet dupliciter aliquem habere peccatum, et suspensum maledictionem Dei fore. Aliquando pro se et proprio peccato, quales sunt omnes alii, aliquando pro aliis et alieno peccato, qualis est solus et unus Christus, qui dicit, Ps. 69.: „Improperia improperantium tibi ceciderunt super me," et Esa. 53.: „Peccata nostra ipse portavit," et iterum: „Propter peccata populi mei percussi eum, et dominus voluit eum conterere propter peccata nostra etc." Sive ergo quis pro se sive pro alio suspendatur, manet simplex legis intelligentia, quod omnis suspensus pro peccato sit maledictum Deo. Ideo Christus peccatum nostrum portans pro nobis vere factus est maledictum, sicut textus ad literam sonat. Quemadmodum et circumcisus et toti legi subjectus est propter nos, cum pro se liber esset ab omni lege, sic peccatum factus est, qui peccatum non novit, ut essemus justitia Dei in illo, 2. Corinth. 6.

Sic maledictum factus est, qui maledictum non novit, ut essemus nos benedictio Dei in illo.

Tolli vero de ligno hoc maledictum Dei, ne contaminetur terra, est praedicare et credere evangelion crucis, scilicet, quod crux sit gloria, mors vita, peccatum justitia, maledictio benedictio, perditio salus, seu ut Paulus ait, gloriari in cruce domini nostri, ut mundus sit nobis crucifixus, et nos mundo, juxta illud: „Beati, qui persecutionem patiuntur etc." Alioqui nisi hoc praedicetur et credatur, nihil foedius, nihil abominabilius est, quam crux et mors, et polluitur hac opinione et scandalo crucis universa terra, quia immundis nihil est mundum, mundis omnia munda sunt. Hoc per verbum, illud sine verbo contingit.

CAPUT VICESIMUM SECUNDUM.

Cum videris bovem aut ovem fratris tui errantem, non praeteribis etc.

Hactenus fere caritatem docuit, quatenus pertinet ad praeceptum quartum et quintum, scilicet de parentum obedientia, et homicidio vitando, quo laeditur persona proximi. Nunc pergit ad reliqua, ut caritatem doceat exhibere proximo in rebus bonis externis, et tractat fere praeceptum sextum et septimum, in quibus adulterium et furtum prohibetur, castitas vero et benevolentia mandatur, quae sunt caritatis et fructus fidei, Gal. 5. Ponit autem varias leges in hoc cap. exercendae benevolentiae et castitatis.

Primo rem proximi perditam, sive sit bos errans, sive vestis aut alia res amissa, jubet suscipi, custodiri et reddi, ac non negligendam quasi alienam, sed curandam sicut propriam. Sic, si cecidisse asinum fratris sui viderit quis, tanquam suus sit, sublevare debet. Quo praecepto idem vides doceri, quod Paulus Philipp. 2.: „Considerantes, quae aliorum sunt." Quod utique proprium est caritatis 1. Corinth. 13.: „Caritas non quaerit, quae sua sunt," nisi quod evangelion legem plenius explicans hoc etiam inimicis fieri docet, ubi Moses rudi populo legis inimicos odi permittit.

Secundo, mulier non gerat arma viri, nec vir vestiatur veste foeminea. Hic non prohibetur, quin ad vitandum periculum, vel ad ludendum joco, vel ad fallendum hostes mulier possit gerere arma viri, aut vir uti veste muliebri, sed ut serio et usitato habitu et more talia non fiant, ut servetur debita honestas et dignitas utrique sexui, cum turpe sit virum muliebriter vestiri, et indignum, ut mulier arma virilia gestet.

Videtur autem hac lege taxare aliquam gentem, in qua is mos habeatur, sicut ferme de Aegyptiis scribunt auctores, quod virilia officia mulieres, et muliebria viri exerceant, mulieres negotientur et alant viros, viri domum curent, et multa talia perverso et contrario aliorum populorum more, ut legem hanc generalem oporteat intelligere, scilicet, ut mulier muliebria, vir virilia curet, et in universum quilibet sua sorte contentus suam exerceat artem, et suo dono utatur, Ro. 12., ne sutor ultra crepidam, et plebejus non sit senator, sed stet varietas et differentia personarum pro politia bona. Quod si pervertatur, tam turpe sit, acsi perverso rerum ordine mulier gestet arma viri, et vir veste muliebri induatur. A quorum populorum

moribus Deus suum populum vult alienum esse, ut quos abominetur.

Tertio, invento per viam nido matrem incubantem esse dimittendam captis pullis. Ista lex quid aliud docet, quam ut et in bestiis benevole tractandis discant mansuetudinem et benevolentiam? Alioqui stulte posita videretur, ut quae de re adeo nihili non solum praecipiat, sed et felicitatem et longam vitam servantibus promittat, dicens: „Ut bene tibi et longo etc." Trahi potest et haec generali et velut proverbiali figura ad cavendum omnem nimium usum proximorum, sicut nos germanice dicimus equum voluntarium non esse nimio fatigandum. Sic utendum amicis et proximis, ut aliquid eis reliquum faciamus, quo et alio tempore et loco eis uti liceat. Id proverbii Ebraeis sit, pullis captis matrem esse dimittendam, ut bene habeant, alioqui exhaustis prorsus amicis, male eos habere tandem necesse est, ut sit haec lex velut contraria primo loco positae, adversus eos, qui benevolentiam et caritatem libenter quidem ab aliis erga se patiuntur, ipsi vero nullam exhibent, quasi voluerit dominus, ut illis semper largientibus nulla sit remissio, his vero accipientibus nulla satietas, et illorum labore istorum otia alantur, quod est iniquissimum in sociali vita.

Quarto, aedificata domo murus in tecto per ambitum fieri debet, ne quis inde lapsus reatum sanguinis super domum inducat. Loquitur pro more gentis, quae domos sic aedificabat, ut tecta essent desuper plana, velut plateae lapidibus stratae. Unde et in evangelio paralyticum effosso tecto per tegulas demissum legimus, et super tectis praedicandum evangelion dicit Christus. Ibi enim conveniebatur, ludebatur et

edebatur sicut apud nos in vestibulis. Esse potest et haec proverbialis et generalis lex, sic aedificandum esse in societate publica, et sic conversandum, ne alteri sis periculo, incommodo aut damno, sed potius praesidio et commodo, ne alterius malo tuum quaeras bonum, sicut dicitur, privata studia subvertere civitates et regna.

Quinto, ne seratur vinea diverso semine, nec aretur simul bove et asino, nec veste lana et lino mixtim contexta quis utatur, ista lex ad literam potest rationem honestatis spectare, sed et ipsam arbitror proverbialem et generalem esse doctrinam, qua docentur Judaei, ut sint concordes, unanimes, simplices, candidi, sine sectis et partium studiis. Domus enim in se ipsam divisa desolatur, ut evangelion dicit, et concordia res parvae crescunt, discordia res maximae dilabuntur, ait Sallustius. Inde enim civitatem quasi civium unitatem fingunt quidam dici.

Addit vero causam prohibiti diversi seminis, scilicet, ne sanctifices in plenitudine tua. Semen illud diversum, simul cum fructu vineae, plenitudinem vocat fructuum duriorum, sicut lacrymam fructuum liquidiorum. Exo. 23.: „Plenitudinem et lacrymam tuam non tardabis offerre." Deus igitur, qui simplicitatem et candorem amat, non vult primitias aut decimas diversi seminis sibi offerri. Ita et cives suos vult simplices et candide unanimes esse sensu et moribus, ne arent in bove et asino, et mixta veste utantur, et inaequalia fiant omnia.

Sexto funiculos in fimbriis per quatuor angulos pallii fieri jubet. Hoc velut insigne Judaeis impouitur gestandum, quo ab aliis populis ceu tessera et nota discernuntur, non quod hoc solum spectetur a legisla-

tere, sed ut sit symbolum confessionis, quo confiteantur sese esse populum Dei, et inde occasio fieret, ut odio haberentur et persecutionem paterentur, ut cives suos Deus hoc proverbio legis ad patientiam formet, et adversariis exercentibus robustiores, et magis concordes et unanimes fierent.

Haec de benevolentia et caritate erga proximos in rebus corporalibus virtute praecepti septimi: „Ne furtum facias." Nunc de castitate aget virtute praecepti sexti. Nec curat ordinem praeceptorum Moses hoc capitulo, sicut superiori prius de homicidio, quam de filiorum rebellione dixit, quia in re publica non fiunt nec contingunt ordine, quae alias scribi possunt ordine, quod Moses subindicat negligentia ista ordinis praeceptorum.

Septimo de uxore non inventa virgine a marito, et ab ipso vel vere vel odio diffamata etc. Incertum est, quis fuerit ritus explorandae aut probandae virginitatis publice. Nam privatim in primo concubitu experiri posse, an sit corrupta vel incorrupta, video fere omnes consentire, quod primus concubitus sit amarus et asper, dum virginale claustrum violatur, et vestigium relinqui ex sanguine laesi claustri in panno, quanquam et hoc Augustinus incertum faciat, qui illud ipsum claustrum aliquando violari dicit a matronis, vel ipsis puellis digito explorantibus. Sed donemus id esse certum, quomodo publice probabitur? An vir allegabit nec asperum nec durum fuisse concubitum? Quid si mulier neget? An sanguinem reliquum in veste ostentet? Quis ista pudenda ferat in judicio publico ostendi? Potius dicam me nescire morem hunc.

Vel illis consentiam, quod pater et mater puellae,

dum illam tradunt, prius per honestas matronas virginitatem illius explorant, quae postea testes sint in judicio, fuisse eam virginem, et hoc sit, quod hic Moses dicit patrem expandere vestimentum, ubi dixerit: „Ecce haec est virginitas filiae meae," id est, per has matronas ostendo eam fuisse virginem, in signum cujus expando vestimentum, cujus expansio significet rem esse apertam et probatam, sicut mos fuit isti genti, excutere vestimentum, dum minantur, ut Nehemias fecit 7, et scindere vestimentum, dum indignantur, ita expandere vestimentum, dum rem claram, explicatam et perspicuam faciant, quamvis et hic mos praetentandae sponsae ante nuptias per matronas satis pudendus sit. Sed cum aliud non habeamus, interim hoc admittamus.

Pertinet et haec ipsa lex ad generalem usum adversus criminatores et diffamatores. Quod malum vides, quam hic graviter puniatur, primo, quod castigatur, nempe plagis illis quadraginta una minus, deinde centum siclis argenti mulctatur, dandis patri puellae, tandem et eam ipsam sic odio habitam et a se ipso diffamatam cogitur retinere perpetuo in poenam, cum ille, qui puellam simpliciter stupraverit, tantum quinquaginta siclos det patri puellae, et eam retineat, ut infra dicet.

Porro ipsam uxorem non inventam virginem lapidibus obruunt, quo argumento intelligitur hanc legem loqui de sponsa fornicante, quod verum adulterium est. Nam puella simpliciter fornicans datur suo stupratori in uxorem, ut dixi. Vel, si de sponsa non intelligitur, fornicatio puellae sic rigide punitur, quod occulte et sponte fornicata sit, et futurum maritum fefellerit, et domum patris sui dehonestaverit. Puella autem

suo stupratori donanda intelligitur ea, quae per vim oppressa est. Et hoc magis credo.

Octavo triplex genus adulterii ponit. Primum, si vir cum alterius uxore concubuerit, hi morientur ambo. Secundum, si quis cum sponsa alterius concubuerit, sed in civitate, et hi ambo morientur. Civitas hic intelligitur omnis locus, ubi puella potuit clamore sese tueri, et non fecit, ut si in silva vel agro fuerit, et prope esse noverit, qui sese audiant. Civitas enim exempli vice hic ponitur, quod in ea sit hominum parata praesentia. Quae ergo non clamat, significat se voluntate sua stuprari. Tertium, si quis cum sponsa alterius concubuerit, sed in agro, hic solus adulter morietur. Et ager hic quoque exempli vice ponitur, ut intelligatur omnis locus, ubi solitaria puella sibi clamore consulere non potest, ut si in domo vel atrio vel cubili solam quis apprehenderit, sicut Amnon sororem suam Thamar, velut, si quis in lecto sponsam alicujus stricto gladio cogat non clamare. Haec certe in agro non est, et tamen plus quam solitaria est, clamaret, sed non audet timore mortis, ideo clamasse eam interpretabitur aequitas legis, sicut textus habet.

Ultimo lex est: „Qui puellam non sponsam oppresserit, patri illius dabit quinquaginta siclos, et ipsam uxorem habebit.“ Exo. 22. hos quinquaginta siclos dotem virgini dandam appellat, quam hoc loco definit tot siclos, qui faciunt nostro numismate fere duodecim aureos, nam siclus quartale aurei est. Addit autem ibidem, habendam quidem pro uxore, si pater puellae voluerit, si non voluerit, nihilominus dotem ejusmodi reddat. Utinam ista quoque lex apud nos

in exemplum traheretur propter miserum illum sexum mulierum.

Allegoria.

Res fratris errans vel amissa restituenda et curanda velut propria significat nos ea, quae Christi sunt, quaerere debere, sicut et ipse fecit, sive sit asinus, id est, tardus, difficilis et infirmus fide vel moribus, sive quaelibet alia res, ut sunt errores et defectus in verbo, exhortatione, conversatione.

Mulier non gerit arma viri, nec vir vestem muliebrem, dum fides non pervertitur operibus, id est, dum operibus non tribuitur, quod fidei debetur, et econtra, ut illi hominum traditionibus possessi, qui fidunt hominibus magistris, quibus tantum serviri oportet operibus caritatis, quod non faciunt. Rursus, Deo, cui debent fidere, operibus et cultibus a se electis serviunt, et non fidunt verbo ejus. Utrumque autem abominabile est, quia homini non debet credi, sed serviri opere, Deo autem debet credi, non serviri opere. Sic masculus fit mulier, dum creditur hominibus, mulier fit masculus, dum operibus servitur Deo, de quo alias.

Avis mater dimittitur, et pulli capiuntur per viam, id est, synagoga relinquitur, quae sub se per legem habuit apostolos et primos credentes, quos Christus assumsit in hac vita ad usum verbi sui inter gentes. Domus aedificata muro in circuitu tecti, ecclesia Christi est, quam sic verbo munivit, ne ulli periculo aut scandalo sit ad perniciem animae, sed tuta et secura ad omnem usum.

Non seritur vinea mixto semine, id est, non est simul doctrina fidei et operum in ecclesia, sed purum et simplex verbum fidei. Ita nec aratur simul bove et asi-

no, id est, non est in ecclesia magister simul fidei et operum, sed sincerus et fidelis minister in veritate. Ita nec veste lana linoque mixta utimur, dum sic vivimus, ut fides sit vita nostra, non operum hypocrisis, quia conscientia simul non capit, ut fide nitaris et opere, licet opus foris asino et externo homini necessarium sit.

Separetur ergo semen diversum, asinus, linum seorsum in suum agrum, et non misceantur, id est, doceatur, credatur, vivatur sic, ut conscientiam sola fides sine opere regat, carnem opus sine fide premat, ut sit spiritus intus in corde et libertas, lex vero et jugum operis foris in corpore, ne libertas sit carni, sed servitus, libertas sit spiritui, non servitus, nec utrimque aut servitus aut libertas.

Funiculi in quatuor angulis pallii significant confessionem fidei in externa conversatione per totum orbem terrarum, in quatuor partes mundi spargendam, quo signo cognoscantur christiani et sint stultitia gentibus et scandalum Judaeis.

Adultera semper significat animam fornicantem a Christo, deserto verbo operibus fidens. Ideo occiditur verbo spiritus tam ipsa quam vir ejus, id est, magister erroris. Porro hic aliae voluntate stuprantur nec clamant, cum sint in civitate. Hae sunt, quae fastidito verbo ad fabulas conversae ultro sibi accersunt magistros, dum pruriunt aures earum ad nova audienda, nec praesentes fideles consulunt, ut liberentur. Aliae sunt, quae in agro solae stuprantur, invitae. Hae potius non adulterae sunt, quales sunt, quae intus integra fide foris coguntur audire magistros impios, et inter malos vivere, ut Loth in Sodomis et pii sub impiis tyrannis.

Virgo vero non sponsa est synagoga vel alia quaelibet congregatio sine verbo, speciosa tamen et religiosa in sua justitia. Hujus virginitatem violat Christus verbo suo, et retinet in uxorem, si volet pater, id est, si deserat traditiones suas paternas et deseratur. Sin autem non deserat, dat ei dotem, id est, temporalia commoda pro justitia illa et audito verbo. Nam duplicem virginem accipere oportet, si allegoria debet subsistere, virginem fidei et gratiae, virginem legis et operum. Utraque sua religione casta et sancta est. Hujus stuprum Christo gratum est, illius stuprum adulterium et mortale est.

Sic vir ille, qui uxorem diffamat non esse virginem, idem Christus est, qui synagogae virginitatem operibus religiosam accusat per evangelion, non esse integram fide. Sed parentes ei fortiter resistentes significant pugnam illam, qua justitia operum testibus scripturis et expanso vestimento defenditur. Et Christus castigatur plagis, id est, blasphemiis, et mulctatur, tandem eam retinere cogitur, quia oportet hypocritas in regno suo esse speciosos, quos alat, et magistros eorum sub nomine suo, qui vinci non volunt. Si autem convincitur ista non esse virgo fidei, occiditur, id est, verbo Dei interficitur, ut vivat in spiritu, amissa gloria virginitatis legalis.

CAPUT VICESIMUM TERTIUM.

Non accipiet ullus uxorem patris sui.

Perstat Moses in docendo caritatis praecepto, et adhuc variis legibus urget sextum et septimum praeceptum de castitate et pace et honestate politica,

usque ad 27. Levitici 18. numerantur illegitimae et prohibitae personae ad matrimonium, hic una tantum nominatur, nempe noverca, quae non est ducenda patre mortuo, multo minus vivo. Quo significatur multo minus esse ducendas propinquiores sanguine, ut soror, filia, amita etc. Tamen credo, non raro fuisse dispensatum in secundo gradu, cum non tantus sit rigor legis in multis aliis quoque locis.

Verisimile est autem illum Corinthium, quem Paulus 1. Cor. 5. damnat, cum libertatem a lege Mosi doceri vidisset, fuisse abusum ea libertate, et contra hanc legem duxisse uxorem patris sui. Unde et Paulus ibidem non tam urget, quod contra legem egerit, quam contra naturam, dicens fornicationem talem esse, qualis nec apud gentes sit, quae naturae lege ducuntur, quia natura dictat et abhorret ab eo conjugio, ut frustra objicere quis praesumat libertatem a lege.

Secundo, „eunuchus excisis aut fractis testibus non intret in ecclesiam domini." Hic non de loco ecclesiastico, sed de ipsa congregatione loquitur, et venire vel intrare in ecclesiam, aliud est, quam esse vel vivere in congregatione. Quomodo enim ab auditu legis et cultu Dei arcerentur, qui impotentes sunt ad generandum? cum lex omnibus generaliter data sit, qui de semine sunt Israel, et nec gentes a lege et cultu Dei excludit, imo hos proselytos vocant, et toties mandatur cura de peregrinis.

Est igitur intrare in ecclesia, aliquo officio aut publico magistratu fungi, non enim dicit, in ecclesiam, sed in ecclesia intrare, sicut et Christus Joh. 10. non intrantes ovile per ostium lupos vocat, id est, magistros impios. Sint igitur in ipsa congregatione

eunuchi, sed non gerant magistratus, ob vitium hoc corporis, ne vilescat et opprobrio sit officium, deinde, quod et tales fere effoeminato quoque animo sunt et muliebres, magistratus autem virum requirit in honesta republica, sicut Bias ait: Magistratus ostendit virum.

Tertio mamser, id est, de scorto natus, non incedat in ecclesia, id est, non sit idoneus, qui gerat officium vel magistratum, ob despectum et ignominiam originis et nativitatis, etiam post decimam generationem, id est, in perpetuum, quia et hoc dedecet in honesta republica, deinde, quod proverbium est, mamseres raro esse bonos viros, et aliquod semper insignis vitii alere. Ista lex servatur et apud multas gentes, praecipue in municipiis quibusdam, ut etiam artificiis non admittant, forte experti olim eorum nequitiam. Deinde par est, honeste et legitime natis in pompa et larva mundi plus honoris haberi, quam spuriis, ne conjugium nihil praestet stupro, et honor indigno datus licentiam praebeat stupra parvi ducere, et conjugia despicere.

Quarto Ammonitae et Moabitae non incedant in ecclesia, etiam post decimam generationem, id est, perpetuo. His gentibus non objicitur vitium corporis aut nativitatis, sed iniquitas et odium eorum in filios Israel, quod non solum non occurrerint eis cum aqua et pane in via etc., sed quod etiam penitus perdi eos optarint, dum per Bileam eos maledici petiverunt, quo ostenderunt gentile et immortale odium, quo nunquam erant cariturі, sicut et postea historiae testantur. Constituere autem ducem aut magistratum, quem scias naturali odio tui quaerere perditionem, non modo in-

honestum et ineptum, sed stultum et temerarium est et tentatio Dei. Verum conjugia contrahere, et alios contractus et commercia cum eis habere, hic non prohibetur. Nam et Ruth Moabitis mulier erat, sancta et pia. Nam de masculis hic dicit, non de mulieribus, ut credam, nec mamseri filiam aut neptem, sicut nec eunuchi adoptatam vel ante eunuchatum genitam filiam prohibitam.

„Non facies, inquit, cum eis pacem, nec quaeras eis bona, cunctis diebus vitae tuae in sempiternum.“ Quid hoc? an prohibet benefacere vel miseris vel hostibus vel peregrinis de illis gentibus? Nonne David regem Ammonitarum Hanon consolatus est? Nonne pacem cum patre illius habuit? Respondeo: Ad materiam subjectam, de qua in praesentia loquitur legislator, spectandum est. Loquitur autem de hostibus illis, odio gentili et immortali ardentibus, non constituendis in magistratu. Talibus (inquam) odientibus et malevolentibus, ut odia eorum justificentur, et in magistratus assumantur, prohibetur pax publica et bonum publicum exhiberi, ne natio ipsa superior aliquando fiat et dominetur. Verum privata beneficia in privatas personas conferri non prohibet, imo praecipit.

Quinto Edomaeos et Aegyptios post tertiam generationem admittit incedere in ecclesia domini, „quia (inquit) Edomaeus frater tuus est, et Aegyptius hospes tuus fuit.“ Quare, etsi regem ex ipsis accipere non queas, magistratus tamen et praefecturas illis committere poteris, sed iis tantum, qui post tertiam generationem nati fuerint, ut jam plane in sanguinem Israeliticum degeneraverint. Tertiam generationem autem numerari oportet a tempore, quo ad judaismum

19*

conversi et proselyti facti fuerint, alioqui quae esset alias tertia generatio? Et sic vides, non negari conjugia Ammonitis et Moabitis, et mamseribus in Israel, cum dicat, ne post decimam quidem generationem, scilicet, postquam proselyti facti fuerint, debere in ecclesia incedere, quae generationes nullae essent, nisi inter Israelitas conjuges et proselyti essent.

Sexto egressos castra adversus hostes jubet cavere ab omni re mala. Obscura sententia, primo sic intelligi potest, ut pugnaturi adversus hostes primum videant, ut et ipsi boni et sine culpa sint, ne trabem in oculo habentes et festucam ex alieno trahere studentes justo judicio percutiantur, sicut contigit illis cum Philistinis, 1. Reg. 5. et cum Gibeonitis, Jud. 17. et alias. Nec enim promissio illa magnifica cap. 20., qua se affore illis in bello promittit, sic securos facere debet, ut impune sese malos esse posse putent, aut Deus cum malis esse velit, aut judicium Dei evadere, cum eadem faciant, quae judicant et oppugnant.

Secundo sic: Pugnaturus observa, ne malam habeas causam, sed bonam et justam, neque enim promissio Dei etiam ad malas et temere quaesitas causas belli sese extendit, dum dicit sese pro eis pugnaturum esse.

Verum sequens textus videtur cogere, ut intelligatur de religione quadam militari et reverentia castrensi in bello, ubi ipse exponit, quae sit res ista mala, primo, si quis noctu pollutus sit, ut exeat castra, et occidente sole lotus redeat, secundo, ut pro ventre levando castra exeant et honeste sese habeant propter reverentiam praesentis Dei in medio ca-

strorum, ne, si haec contemnant et irreverentes sint, Deus non tradat eis hostes, sed potius ipsos hostibus. Hoc est igitur malum, quod cavere debent pugnaturi.

Parvae et viles plane sunt istae duae res, imo naturales, cur ergo sic ea urget et magnificat? Optima et justissima ratione, nam bellum res est per se turbulentissima, nihil minus quam legis aut ullius honesti patiens. Vide enim milites, an ullae bestiae sint ferociores, licentiores, magis indomitae, impudentiores et inverecundiores tam factis quam verbis. Nihil enim ibi non licet, quod libet, si mores et honestatem spectes. Vult ergo dominus suum populum summa reverentia, summa honestate, summa verecundia bellum gerere. Ideo haec parva et naturalia statuit, ut horum usu et exemplo multo magis caveant et abhorreant a factis et verbis voluntariae et majoris inverecundiae, impudentiae et licentiae in aliis rebus non necessariis ac non naturalibus. Qui enim pollutus nocte reveretur dominum, et exit castra, quomodo is maneret, si conscientia fornicationis, furti, maledicti aut alterius peccati laboraret? Et qui naturalem egestionem tanta reverentia etiam extra castra abscondit, quomodo hic aliquid impudenter in castris vel facere vel dicere audeat? Ad timorem Dei igitur ista lege populum rudem et praefractum pellit in gerendo bello, ut praesumtione et impudentia posita cum timore in fide Dei pugnet.

Septimo, ne servum tradant fugitivum domino suo, sed secum habitare sinant, ubi illi placuerit, neque deglubant. Obscura et haec est, neque enim licet rem alterius retinere. Servus vero res est proximi, sicut bos et asinus, quae etiam inventa restitui

debet. Intelligi ergo oportet de domino feroci, qui ad mortem quaerit servum. Nam atrociter sonat, quod tradi eum prohibet, tradi autem in manus alicujus, fere ad mortem tradi sonat. Vult ergo servis vitam servari, et alimoniam permitti, ne dominis omnia liceant in republica bene institnta, et pro vita servanda licuit fugere et liberum fieri, cum etiam pro oculo excusso libertas donanda sit, Exo. 22. Sic enim decet bonam rempublicam, servis vitam et victum permittere.

Octavo, „non sit scortatrix e filiabus Israel, neque scortator de filiis Israel." De lenonibus et lenis loquitur, seu manifestis et impudentibus scortis, qui aluntur meretricio, quia et haec publica inverecundia et licentia malorum non decet rempublicam bene institutam, quam oportet honestis conjugiis et prole liberali augere. Concedit ergo Moses scorta de aliis gentibus? Sic videtur textus innuere.

Nono, „non offeres, neque mercedem meretricis, neque pretium canis." Mira lex. Prior sane pars, de mercede meretricis, facile intelligetur ideo poni, ut publica inverecundia detestetur. Nam odit Deus rapinam in holocaustum, ita et omnia, quae peccato et iniquitate parta sunt, cum velit reverenter coli. Ideo illud non est conferendum ad domum domini, sive pro sacrificio sive pro structura, quod vilitatem et ignominiam aut turpitudinem habet annexam, ne Deus quoque vilipendatur, qui tam vilibus et turpibus sese coli patiatur, sicut facile solet vulgus contemnere eos, quos contemtibilibus vident delectari. Vult enim omnino rude vulgus larva quadam capi et teneri in timore et reverentia.

Atque haec est ratio, cur et pecunia, qua canis emitur, non sit offerenda, quia canis vilissimum animal in scripturis habetur, ut etiam proverbiis serviat, sicut ait Abner: „Sumne ergo caput canis?" scilicet nihil vilius potuit allegare. Qui ergo pretio canis honorat Deum, despicit et vilem habet Deum, acsi pretium stercoris offerret. Quae signa ostendunt vilem esse opinionem cordis de Deo.

Possent haec omnia dicta hactenus ad illa superiora pertinere, ubi cavendum malum pugnaturis esse docuit, scilicet, quod reverentia castrensis in his requiratur, et usu exemploque harum duarum turpium et vilium rerum generaliter omnes turpes et viles mercedes et pecunias velit abominabiles reddere populo. Prohibentur enim levia et minora, ut magis prohibita intelligantur grandia et graviora. Qui enim pretium canis aut praemium scorti non audet offerre, quorum alterum sine peccato, alterum in peccato quidem, sed sine injuria partum est, quomodo is Deum sic vilipendebit, ut audeat offerre, quod furto, rapina, dolo, fraude, iniquitate peperit?

Decimo, non esse foenerandum fratri, sed alieno, de hac lege supra satis dictum est, ubi promissionem de usura facienda tractamus. Ex quo facile patebit, quomodo Judaeis licuerit usura in gentes et alienos, non suo merito aut jure, sed Dei voluntate.

Undecimo votum reddendum esse statuit, alioqui in peccatum reputabitur. De votis abunde alias diximus, nunc breviter dicemus, duo inesse debere voto, ut pium et reddendum sit. Primum, ut non sit adversus pietatem, vel ne sit malum votum. In malis enim promissis non oportet servare fidem, ut si vo-

veas opus bonum, ut eo justificeris et peccata exstinguas, impium et malum votum est, quia contra fidem Dei, quae sola justificat et peccata tollit, Roma. 1. Talia sunt vota religiosorum hodie in toto orbe. Si vero tale quid voveris ad gloriam Dei solum et libere, vel ad commodum proximi, hoc pium et reddendum est. Secundum, si fuerit votum de rebus non tuis vel alias impossibile, ut si voveris regnum dare caesari, cum tu sis mendicus, aut solem obscurare. Tale est votum castitatis, quia castitas in nullius manu est, nisi solius Dei. Non ergo voveri potest castitas, nisi ante habeas eam, sed nunquam habes. Ideo hoc votum nihil est, aeque atque si voveris te non velle esse virum aut mulierem.

Duodecimo, in vinea et segete proximi comedi potest fructus, sed exportari nihil inde debet. Civilis benevolentiae lex est, significans alterum alteri commodo et usui esse debere, velut amicorum omnia communia velit docere, sic tamen, ut alter non gravetur, aut quae ejus sunt, a sibi usurpet et rapiat.

Allegoria.

Uxorem patris non accipere, est synagogam et omnem sectam, quae nos lege et operibus educavit, relinquere, et non copulari illi verbo vitae. Id quod Christus fecit, et nos post eum, quia non patitur fides, ut justitia operum maneat, et sibi copuletur. Habuit autem patrem nostrum, id est, legem, quam Paulus Ro. 7. maritum appellat etc.

Eunuchus vel exsectis vel contritis testibus est, qui scripturae sanctae nullam notitiam habet*), aut

---

*) Hoc voc. deest in edit. princip.

laesam et vitiato sensu operum contusam. Is non debet poni in verbi ministerio, ut qui sit inutilis, cum oporteat habere testiculos, id est, legem et prophetas, qui testificantur justitiam fidei, Ro. 3., ut sit potens in scripturis sanctis, Tit. 1.

Mamser multo pejor, de scorto natus, qui plane traditionibus profanis hominum et opinionibus carnis imbutus est, id est, is multo minus ad ministerium verbi idoneus unquam erit, sed et ignominiosum est ecclesiae, et tollit gloriam, quam ex Christo habemus. Quid vero nunc sunt episcopi, nisi mamseres toto orbe, non tantum eunuchi?

Moabitae et Ammonitae propria allegoria Judaei sunt, et post eos haeretici. Utrique enim ecclesiae hostes sunt omnium acerrimi, qui exeunti de mundo et laboranti ecclesiae debebant occurrere cum aqua et pane, ut juvarent et solarentur, tanquam domesticos suos et hospites. Ipsi non solum non assistunt, sed etiam Bileam, falsos magistros suscitant, qui blasphemis doctrinis maledicunt veram viam ecclesiae. Ita cupiunt ardentissimo odio ecclesiam extinctam in corpore et anima. Igitur ii non sunt ponendi in ministerio unquam in perpetuum.

Consonant et nomina. Ammon populus moestus sonat, quod tales magistri operum tristes et afflictas conscientias faciant. Moab ex patre sonat, quia foris superbiunt et jactant se solos esse ex Deo et sua esse legitima et vera, sicut superbus et arrogans Moab in prophetis, et amarulentus et saevus Ammon arguitur. Concordat et nativitas eorum, quod ex patre nati sunt incoestuoso concubitu. Pater est lex, ex qua gignuntur illegitimo usu, quia accipiunt legem

ut opera exigentem, non ut peccati virtutem, sicut Paulus eam vocat: „Virtus peccati lex," illi vero: Virtus justitiae lex, dicerent. Bileam sonat devorator eorum, quod impii magistri proficiunt semper in pejus, et devorant multos, insuper et substantias eorum venter devorat, et corpora gravi jugo operam perdunt.

Tales hodie et nos patimur. Qui laborantibus nobis in evangelio adesse deberent, ipsi abeunt et derelinquunt non solum, insuper maledicunt nos per suos blasphemos magistros. Sed Deus non audit eos, quia maledictionem eorum vertit in benedictionem, ut magis proficiamus eorum furore. Ideo non est facienda pax cum eis, nec bonum eis optandum, sic scilicet, ut eorum furor proficiat et prosperetur, sed contra orandum, ut cadant a cogitationibus suis et expellantur, Psal. 5. Vocantur vero filii Beor, quod fatuum sonat. Revera enim fatua loquuntur, et sibi ipsis contradicunt, sicut et Bileam fecit, dum benedixit contra votum suum. Nullus enim haereticus non deprehenditur in mendaciis suis, contra se ipsum loqui, a spiritualibus viris.

Edomaei sunt fratres, sed infirmi fide, aliquando labentes opinione. Hi post tertiam generationem admittendi sunt, id est, cum coaluerint et robustiores nobiscum in fide facti fuerint. Sic Aegyptii hospites nostri, qui infirmi sunt moribus. Neutri sunt abominandi pro sua infirmitate, sed suscipiendi, ut tandem et ipsi doceant.

In pugna adversus hostes caveri omnem rem malam, ut, si nocte pollutus sit, exeat castra etc., id est, cui in pugna et tentatione metu mortis exciderit

verbum, ut ipsum vel neget, vel non recte tractet, is humiliet se, et ab ecclesia sese separet, donec sol occidat, et tentatio finita sit, tum lavet se, et confessus peccatum suum redeat in officium suum, quia cum timore et reverentia debet verbum tractari, et pugnari contra hostes, ne praesumtione et irreverentia verbum amittamus, et deserente Deo vincamur.

Sic necessitatis egestio est extra castra cum pala infodienda et abscondenda, id est, naturalia vitia in carne peccati reliqua sunt mortificanda verboque fidei abscondenda, ne Deus ea videat. Absconduntur autem, dum ea non sinimus regnare in corpore nostro. Sic ergo minister verbi et lumbos mentis et lumbos carnis debet accinctos habere, ut fide verbi sanus sit, et mortificata carne sanctus.

Servus non tradatur domino suo, sic est mortificanda caro, ut non occidatur. Lex enim, dominus carnis, in totum eam damnat et occisam vult. Sed habenda est ratio carnis, ut vivat, non tamen, ut peccet, quamvis vivere nequeat sine concupiscentiis, sed non regnet. Ut enim bona operemur, et fidem doceamus, opus est carnem vivere, utcunque sine vitiis non vivat, quae pala absconduntur. Sic Paulus quoque Coloss. docet, carni suum honorem deberi, ceu infirmo vasculo.

Meretrix et scortator significant impios sanctos in hypocritico cultu Dei, quemadmodum ad literam videntur fuisse quaedam sectae cultus Dei in populo Judaeorum, qui codesim appellabantur, ut legimus de Josaphat, rege Juda, qui eos sustulit de templo. Codesim autem et codesoth scortatores et scortatrices sonat, licet allusione vocis etiam sanctos et sanc-

tas sonet. Cados enim sanctus est, Isa. 6.: „Sanctus, sanctus, sanctus.“ Igitur Priapi religionem puto signari per codesim, in qua libidinabantur etc., et sunt (ut dixi) sancti et justi Satanae in specioso cultu Dei.

Merces scorti videtur esse gloria temporalis impii cultus Dei, de quo dixi. Haec gloria non debet offerri, id est, praedicari, quasi Deo placeat, aut nos deceat, cum gloria et merces nostrae justitiae sit bona conscientia erga Deum, et foris crux et ignominia coram mundo. Utrumque scortatores illi fugiunt, et gloriam coram mundo quaerunt, intus vero viles et ignominiosi sunt, sicut canes, et ideo pretium tale abominabile est Deo, quod est abjecta et mala conscientia.

Frater non est premendus usura, sed alienus, id est, justo non est lex posita, quae exigit opera, sed injusto, ut humilientur impii agnitione peccati. Nam officium legis est, exigere usuram, plus quam possimus, donec fidem suspiremus, et fratres facti liberemur ex usura, Psal. 71.

Vota allegoriam non facile admittunt, cum sit morale opus, potest tamen dici, votum unum esse omnium, quod Deo debemus, nempe, ut credamus, confiteamur, laudemus ipsum, Deum nostrum esse, quae confessio et laus significatur omnibus externis votis, quae Deo redduntur. De hoc voto dicit Psal. 49.: „Immola Deo sacrificium laudis, et redde altissimo vota tua;“ et Psal. 115.: „Vota mea reddam domino in conspectu omnis populi ejus,“ ut idem sit votum, quod sacrificium laudis et confessionis, hoc enim unum Deo debemus, promisimus et possumus dare.

De vinea proximi comedi et nihil exportari, signi-

ficat potiri quemlibet justum alterius justi bonis in spiritu. Haec est communio sanctorum, qua fit, ut omnium omnia sint communia, et tamen usu et fructu mutuo nihil tollitur aut minuitur alteri, sed relinquitur integrum, imo augescit usu et communione. Tantum abest, ut asportari et tolli possit quidquam ab ea.

CAPUT VICESIMUM QUARTUM.

Si quis acceperit uxorem etc.

Legem repudii esse mere civilem et ad duritiam vulgi permissam satis probat Christus Matth. 19., unde et nullum hujus legis exemplum legimus a sanctis viris nobis relictum. Nam et Abraham suam Hagar non dimisit, nisi denuo a Deo jussus. Multa autem sunt in republica propter duros et intractabiles permittenda, ne majora mala fiant.

Proinde discernendum est inter leges, alias esse, quae jubeant bona, alias, quae permittant mala. Inter eas, quae jubent bona, prima est lex fidei, quae etiam caritati dominatur, ita, ut si fides exigat erga Deum, neganda est caritas proximo, quia Deus, qui fide colitur, praeferendus est homini, cui caritate servitur. Post fidem est caritas, quae moderatur omnes leges, tam ceremoniales quam profanas, excepta fide.

Secundo novus maritus uno anno liber est ab omni onere publico. Lex aequitatis et utilitatis civilis est. Aequum est enim, indulgeri annum sponso cum uxore sua. Utile est, ut respublica augeatur prole et

familiis, quod non fieret, si statim a nuptiis maritus bello et periculis communibus objiceretur, nec facile invenirentur, qui ducerent uxores. Esse vero hanc legem generalem et ad alios casus extendendam satis patet ex cap. 20., ubi a bello liber decernitur et sponsus et aedificator et plantator. Pari sensu de quovis alio novo officio assumto, quo paratur familia, intelligitur, ut proverbium esse possit haec lex de libertate neophytorum omnium, sponso scilicet dandum esse annum etc.

Tertio, „non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam.“ Ista lex itidem generali proverbio docet, ob debita nulli esse artificium suum, unde alitur et sustentatur, suspendendum, sicut furor est apud nos barbaros, ut debitores vel incarceremus, donec reddant novissimum quadrantem, vel artificio et operi eorum interdicamus, cum hic dicat, satis esse, quod animam ejus oppignoraverit, id est, totus ipse sit debitor, et artificio ipso quaerendum ei sit, quo debitum exsolvat. Crudele et iniquum itaque sit illud suspendere, nempe, ut duplo damno debitum simplex cogatur exsolvere, uno, quod mola ejus interim otiatur, alio, quod aliunde nova debita corradit, vel suo vendit, ut solvat.

Quarto furatus aliquem de Israel, ut vel vendat vel prostituat, id est (ut supra idem verbum exposuimus), pro lucro locaverit, aut alteri tradiderit, interficietur. Haec lex pertinet ad plagiarios, latrones et praedones, et eos, qui capiunt homines, ut exigant pecunias, quales sunt apud nos vultures illi et lupi mercatorum, quos nobiles vocant.

Quinto lepra cavenda secundum doctrinam sacer-

dotum Levitarum, modo doceant, sicut ego (inquit) praecepi eis. Hoc est, leprosi sunt separandi a communi consortio civium, cum sit contagiosa, populum autem mundum ac validum requirat respublica. Exemplum dat Miriam, sororem Mosi, quae exclusa est jussu domini. Si huic ergo non est parcitum, ut maneret in castris, nulli est parcendum. Alii sic volunt: Observa, ne tale quid committas, ut lepra percutiaris, sicut Miriam percussa, aut si percussus fueris, ut facias, sicut decet leprosum coram Levitis.

Sexto, repetens debitum non ingrediatur domum, scilicet accepturus, quod placuerit, quae violentia est (sicut modo agunt crudeles danistae cum debitoribus, rapientes auctoritate judicis, quod voluerint), sed quod ille debitor protulerit pro sua facultate, id accipiat. Deinde reddi debet ante occasum solis, si pauper fuerit, et ille opus habuerit. Permittit sane haec lex repetere sua, quod evangelion prohibet, licet arceat violentiam. Verum in civili populo tales leges permissivae sunt necessariae propter majora mala vitanda. Nam nisi repetitio fieret, aleretur otiosorum nequitia, et exhaurirentur piorum et bonorum facultates, quorum utrumque, etsi ferat pius in fide, ferre tamen non debet lex et magistratus, sicut et omnia alia mala fert pius, et tamen gladius vindex est in malos, quo tamen pius uti pro aliis potest, ut dixi alibi.

Septimo merces pauperi non est differenda, ne clamet ad dominum etc. Ista quoque et mox praecedens lex satis ostendit, quam sit sollicitus Deus pro pauperibus et afflictis, ut consolentur sese in Deo omnes derelicti aut oppressi in mundo. Simul docent,

quod in necessitate oporteat et debita remitti pauperibus, et ipsis succurri in republica bene instituta, ut actio repetundarum locum habeat solum contra otiosos et nequam.

Octavo „non occidentur patres pro filiis etc." Hoc est, sic puniendi sunt mali, ut non laedantur simul et boni, sicut in evangelio zizania propter triticum, ne laedatur, prohibetur evelli. Si enim puniri nocens non potest, nisi laedatur simul innocens, potius ferendus est malus, quam laedendus simul bonus. Haec lex magistratui necessaria est, ne impetu animi rigorem legis sequantur, et puniendo plus peccent, quam ille, qui poenam meretur. Qualia sunt, dum ob unum sceleratum tota respublica bello involvitur, et similia.

Nono non flectes causam advenae aut pupilli, nec vestimentum viduae pro pignore tolles. Omnes istae leges, ut vides, pro caritate et benevolentia mutua instituuntur. Causam pupilli non flecti, simul involvit, non esse damno ullo afficiendum pupillum aut advenam. Et vestimentum viduae generaliter secum significat omne, quo opus habet pro vita. Super omnia enim debita et jura stat ista lex, quod pauperi debetur victus et vestitus necessarius, quem non debet relinquere, ut solvatur exactor, sed exactor concedere et dare, ut vivat pauper. Et subdit causam: „Memento, quod et ipse servieris," quasi dicat: Sicut tibi velles fieri, sicut enim servivisti, ita rursus ad servitutem redigi potes, ergo tuo exemplo disce, quid illis debeas et facias.

Decimo reliquias in agro, vinea, oliveto etc. non esse colligendas, sed pauperibus relinquendas. Haec

confirmat, quod jam dictum est, quod pauperibus non modo sit victus et vestitus relinquendus, sed etiam de superfluo nostro illis adjiciendus, ut nostris bonis participent in necessitate sua, memores iterum, quid nobis vellemus fieri in necessitate, ut hic dicit: „Memento, quod et tu servieris in Aegypto," et rursus servire continget. Hic credo satis copiose et perspicue tractavit Mose praeceptum septimum: „Ne furtum facias," ubi prohibetur damnum in rebus externis, et jubetur commodum proximi spectari.

Allegoria.

Uxor repudiata est synagoga et omnis secta justitiariorum. Foeditas seu turpitudo est speciosa illa justitia operum, plena impietate et pertinacia cordis. Libellus ipse repudii est testimonium scripturae, quam dat Christus illi in manus, quam et contra se portat. Alter maritus est lex, quo mortuo, id est, lege abrogata, ne sic quidem recipit eam, nisi credat, quia nunquam ad gloriam primam redit synagoga, nec unquam recipitur a marito priore, postquam alteri nupserit, etiamsi is moriatur, quia Christus non admittit justitiam operum cum fide sui.

Maritus novus neophytus est in fide, qui non est in publico ministerio constituendus, ut Paulus dicit. Potest etiam significare Christum, qui novellos fideles blande regit, et non statim cruci et persecutioni objicit, donec roborentur. Laetatur ergo cum eis anno uno, id est, pacem et gaudium donat in verbo recens accepto, quia filii sponsi non lugent, donec cum eis est sponsus, Matth. 12.

Mola inferior et superior recte dicitur significare spem et timorem, vel legem et evangelion. Lex

regula moderata et honestatis habita ratione. Hoc decet rempublicam probam.

Secundo, non ligabis os bovi trituranti, ut mansuetudine erga bestias exercitati magis erga homines benevoli fierent. Est autem gnome proverbialis, quam Paulus, 1. Cor. 9. copiose explicat, adeo ut dicat: „Numquid cura est Deo de bobus?“ quasi dicat: Etsi Deus curat boves, non tamen propter boves curat hoc scribi, cum nesciant legere, ut sit sensus Pauli: Ista sententia non tantum de bobus, sed generaliter de omnibus laborantibus intelligitur, ut labore suo vivant, sicut et Christus dicit: „Dignus est enim operarius mercede sua.“ Qui ergo laboranti non dat victum, vel non communicat ei omne bonum, Gal. 5., is est, qui ligat os bovi trituranti.

Tertio, lex de accipienda uxore fratris relicta et suscitando semine pro fratre mortuo statuta fuit optima ratione. Primo, quam textus ponit, ne interirent familiae, sed multiplicarentur, quod pertinet ad excolendam et augendam rempublicam. Secundo, quod hoc modo viduis et misero sexui providit Deus, ut susciperentur et alerentur, cum mulier per sese sit infirmum et miserum vasculum, tum vidua magis, quae simul derelicta et despecta est.

Cogit autem ad hanc caritatem insigni opprobrio, ut discalciatus vocetur, et exspuatur coram eo: Pfu dich an! quod dignus sit, quem omnes despiciant, et super eum spuant in terram, dicentes: Du bist ein Pfu dich an, quod rempublicam, in qua degit et fruitur illius juribus, non colat neque augeat. Pes autem discalciatus nota sit ignominiae et causa opprobrii sempiterni, dignus, ut et ipse nudus sit pedibus, hoc

est, sine familia et subditis, qui per calciamentum significantur, qui se ipsum uno hoc facto nudipedem facit, in suscitanda familia fratris, ut nota sit similis facto, quod peccat.

Quarto, mulieris manus absciditur sine misericordia, quae virum suum ereptura rixantis cum eo alterius viri pudenda apprehenderit. Stulta sane lex, ut sonat. Vult autem hoc, quod mulier, cum sit pusillanimis, illic soleat nocere, ubi maxime offendimur, velut famam facile laedit levis ista lingua ad maledicendum et convitiandum, ubi maxime apprehendit pudenda nostra, quod significat corporalis apprehensio pudendorum, quo et ipso valde laeditur et cogitur virilis persona, et tamen est muliebris violentia, quae etiam magis vincit, quam fortitudo viri, ut taceam turpitudinem et impudentiam, quam in muliere quoque damnat haec lex, licet sit utilis et necessaria mulieri et viro in isto casu, ut generalis sententia legis posset haec esse, non esse facienda mala, ut veniant bona.

Quinto, pondus aequum et modium justum oportet in republica servari, ne fraudetur pauper et proximus. Quod et ipsum generaliter valet ad omnes commutationes omnium contractuum, ut venditor justa et aequa merce respondeat pecuniae emtoris. Incredibiles enim hic nequitias et artes in mercibus mutandis, corrumpendis, fingendis, componendis novit avaritia, ut non sit parva pars curae, ut magistratus hic prospiciat reipublicae.

Ultimo mandat Amalechitas prorsus desub coelo deleri ob flagitium illud crudele, quod fessos in via non solum non refocillarint, sed etiam insidiis nequitiosis extremos ceciderint.

Quod vero Amalechitas deleri jubet, non facit, ut ipsi sese vindicent, sed Deus sese vindicat per manus Israel, alioqui, si illos voluisset sui vindictam quaerere, non distulisset in tantum tempus, cum jam diu essent mortui, qui laesi fuerunt, sed statim illos eodem tempore permisisset sese vindicare. Quare docemur hic, eam demum esse vindictam veram, quae non nostra libidine, sed mandante Deo et propter Deum exigitur, ut simus solum instrumenta vindicantis Dei, nihil de vindicta nobis arrogantes, ut hic vides.

Allegoria.

Plagarum modus praefinitus, ne foedus ambulet frater, significat sic castigandam esse carnem, et puniendum peccatum, ut vitia ejus premantur, non ut ipsa perimatur. Quadragenarius vero numerus et alias omnes gradus et summam mortificandi veteris hominis in scripturis indicat.

Os bovis non alligandum triturantis, ultra metaphoram, qua diximus significari, victum deberi verbi ministris de suo ministerio, etiam allegorice potest significare, ne prohibeatur doctori verbum libere praedicare, quo devorat stipulas et paleas, id est, convertit impios homines, et Christo incorporat.

Uxor relicta fratris synagoga est seu ecclesia, quam Christus mortuus reliquit in mundo sterilem, quia liberos legis ex ea non suscepit. Nos ergo susceptam verbo impraegnamus, ut non nobis aut nostro nomini, sed illi et illius nomini pariat filios, ut, quamvis doceamus populos, non tamen nisi in nomine Christi doceamus, ut filii verbo geniti non appellentur Paulini aut Apollini aut Petrini, sed solum christiani, ut illius domum aedificemus, non nostram.

Qui autem hoc non vult facere, accusabit eum ecclesia, ut qui sibi, non Christo velit docere, non Deo, sed hominibus suadere, discipulos non ad Christum, sed post se trahere. Unde calceum ei publice detrahat, id est, auctoritate docendi spoliet, et verbum suum non esse praeparationem evangelii definiat, ut Paulus dicit, ut omnes sciant eum non recte incedere in calceo veritatis evangelicae, sicut Petro fecit Paulus. Deinde spuat coram eo, ut opprobrio haeretici nominis contemtum faciat, ut vocetur discalciatus, id est, haereticus, qui in calceis evangelii non incedit.

Duo viri rixantes sunt lex et evangelion, seu potius legis operum et evangelii gratiae doctores et ministri. Hi perpetuo pugnant de operibus et justitia. Mulier apprehendens alterius viri verenda, est populus ille sapiens, qui hanc litem vult componere per prohibitionem docendi et uniformem modum docendi, quo ministerium verbi impedit. Horum manus sine misericordia abscidenda est, id est, eorum opus et studium prorsus damnandum est, quia haec lis non dirimitur in perpetuum, nisi judice Deo. Ira et contentio quidem tollenda est, ubi res caritatis agitur, sed in causa fidei tolli non potest neque debet, quia oportet haereses esse.

Diversa pondera prohiberi, et aequa juberi, est in ecclesia simplicitatem servari, ut idem sentiamus et sapiamus, de quo Paulus saepe meminit.

Amalechitas occidi, est verbo spiritus jugulari eos, qui infirmos fide et lassos in via Dei multisque tribulationibus fatigatos non solum non solantur, sed super dolorem vulnerum addunt, et compunctum mor-

tificant. De quo exemplum tibi praebet Psal. 108, ubi dicit: „Pro eo, quod non est recordatus facere misericordiam etc.“ Ideo cum justis non scribantur etc., quia morte digni aeterna esse denuntiandi sunt, sicut et vere digni sunt.

CAPUT VICESIMUM SEXTUM.

Cumque intraveris terram.

Finita decalogi declaratione hoc capitulo concludit sermones omnes de praeceptis habitos, addens velut corollarii vel epilogi vice ritum de offerendis primitiis et decimis, et sic confirmat pactum inter Deum et filios Israel.

Vides autem, quam pulchre docet verba formare in offerendis primitiis, ut ipsam oblationem aliud non esse sciamus, quam laudem et gratiarum actionem pro redemtione ex inimicis, et pro possessione terrae, non aliter, atque censuarius suo censu confitetur domino suo sese habere agrum gratia illius. Erant vero primitiae istae, quas in festo pentecostes offerebant sacerdotibus, de quibus dictum est cap. 16.

Sic et de decimis triennalibus facit, docens eas dari Levitis, pupillis, viduis, advenis, cum confessione, quod opus caritatis impleverint. Attuli (inquit), non ad sacrificium, sed in locum singularem, quo colligebantur in singulis urbibus tales decimae pro pauperibus, velut in bursam aut capsam communem.

„Non praeterivi mandata tua“ (scilicet, quantum ad hoc opus pertinet, alioqui, quis implet unum mandatum

plene ?), „neque comedi ex ea in luctu“ (id est, non feci tristis, sed hilaris, hilarem enim datorem diligit Deus), „nec separavi ea in ulla immundicia“ (id est, non cum peccato aut immundicia, sed in sanctitate separavi). Nam oblatio immundorum tam non placet, quam sacrificium lugentium. „Nec expendi ex eis quidquam in re funebri,“ quo facto etiam contaminaretur is, qui id facit, et sic contaminatum esset et donum decimae etc.

„Hodie dominus Deus tuus praecepit tibi,“ verba sunt confirmati pacti de servandis praedictis praeceptis, et addit promissionem, si servaverint praecepta, dominus sit eos facturus excelsos laude, nomine, gloria prae cunctis gentibus, quod et fecit, donec servaverunt pactum. Et ita est finis decalogi et praeceptorum. Quae in sequentibus capitulis aguntur, sunt ordinationes quaedam pro tempore servandis, exhortationes, commendationes, maledictiones et benedictiones, et similia pro commonendo populo, ut praecepta Dei servet.

Allegoria primitiarum satis est superius tractata, quod significet confessionem fidei et gratiarum actiones justitiae spiritus, ubi simul confitemur, quantis malis subjecti fuerimus, ex quibus dominus nos liberavit, et quanta bona, quae per fidem accepimus. Allatio vero decimarum significat, nos dedi prorsus in obsequium proximi per caritatem, ut Paulus dicit: „Per caritatem servite invicem.“ Id vero non fit, nisi primo per fidem justificatus impleveris omnia Dei mandata, et sis justus. Deinde hilariter, non tristis aut invitus, tandem sine immundicia, id est, ut non requiras aequalia, sed simplici et puro corde. Nec ali-

quid in mortuos impenderis, id est, non aliquod opus infructuosum in caritate fiat, sed omnia viventia, sancta, gratuita, laeta sint et Deo placentia.

CAPUT VICESIMUM SEPTIMUM.

Praecepit autem Mose et seniores Israel populo etc.

Quod hic de altari in monte Ebal erigendo ex lapidibus impolitis et de lege desuper scribenda praecepit, temporale est mandatum, semel implendum, quod et Josua implevit post captam urbem Ai, cap. 8., lectis ibidem coram omni populo et benedictionibus et maledictionibus, et oblatis holocaustis et teleticis, ut hic Mose dicit, nimirum hac externa pompa rudem populum (ut dixi) ad memorandam legem provocandum, qui movetur externis ceremoniis magis quam solis et nudis verbis.

Hoc altare postea cessit in magnum scandalum, cum populus ibidem offerret et coleret Deum inflatus exemplo patrum, qui ibi hac vice immolassent, et auctoritate Mosi, qui id fieri jussisset. Nam et mulier Samaritana id Christo quoque objecit Joh. 4. dicens: „Patres nostri in monte hoc adoraverunt.“ Sed non viderunt, quod temporale hoc mandatum non erat trahendum in exemplum perpetuum, cum alias haberent expressum mandatum Exodi 19., quod, quemcunque locum elegisset dominus, illic offerre deberent, quod

et toties in hoc libro repetit Moses. Locus autem, quem elegit, erat certus semper, nempe, ubicunque esset arca foederis, super quam promiserat sese mansurum inter eos, ut videamus, quod non exemplo patrum nec verbo Dei praeterito, quod jam desiit cum facto praeterito, sed soli verbo Dei praesenti de facto praesente fidere et niti debeamus.

Id observandum hoc capitulo, quod Mose ad benedictiones potiores tribus elegit, nempe, Simeon, Levi, Juda *), Isaschar, Joseph (quae duas complectitur, Ephraim et Manasse) et Benjamin, et sic sunt septem tribus hic, omnes filii liberarum, Rahelis et Leae, ad maledictiones vero sex tribus, filios ancillarum, Silphae et Billae, cum duobus filiis Ruben et Zebulon **), de libera Lea. Forte, quod benedictio honorabilior et dignior sit, quam maledictio, ideo ornanda fuit praestantioribus tribubus.

Rursus, hic benedictiones nullas recenset, sed solas maledictiones, cum tamen septem tribus ad benedictiones ordinet, et in Josua scribatur, quod benedictiones quoque recensuerint. Hoc ideo fieri puto, quod Mose significat sese ministrum peccati et mortis esse per legem, quae omnes sub maledicto tenet, Gal. 3. Et tandem populus hic legis maledictione etiam periit. Josua autem benedictiones addit, ut Christum significet benedicentem omnibus, qui a maledictione legis suspirant ad eum. Et Juda hic propter Christum quoque inter eos ordinatur, qui ad benedicendum stare debent, quia de Juda venturus erat.

---

*) Hoc voc. deest in edit. princip. **) Edit. princ.: et uno filio Ruben.

Cavit quoque id Moses, ut cum de benedictione diceret, addidit „populum," dicens: „Ad benedicendum populum," cum vero de maledictione diceret, omisit „populum," dicens: „Ad maledicendum," deinde, quod prius de benedictione statuit, quam de maledictione, quod prior sit benedictio, ut potior et melior et magis optabilis populo, maledictio vero odibilis, et quam libentius omitteret, ne populum tangeret.

Est autem allegorice altare illud lapideum, super quod Deuteronomion scribitur, ipse populus legis, cui ut duro corde, quod spiritum liquefactorem nondum habet, inscribitur lex operum. Porro lapides impoliti sunt illi ipsi Israelitae, qui lege quidem ad extra per speciem ordinantur, et calce laevigantur in ordinem ad altare, sed per sese intus manent inculti, et invito corde ad legem.

Duo vero montes significant eundem populum in duo divisum, nimirum quod inter eos sunt, qui spiritu legem servant, hi sunt in monte Ebal et benedictiones hereditant, alii, qui opere tantum sine spiritu exprimunt, hi sunt in monte Grisim, ut sub maledicto jaceant, Galat. 3.

Hic vero non est praetereundus Paulus apostolus, mirabilis expositor hujus loci: „Maledictus, qui non permanet in omnibus, quae scripta sunt in volumine legis hujus, ut faciat ea." Hoc enim exponit affirmative, in hunc modum, dicens: „Nam qui sunt ex operibus legis, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: „Maledictus, qui non permanet etc." Quid mirabilius dici potest, quam quod is dicatur non permanere vel confirmare verba legis hujus, qui operibus ea exercet? Quomodo idem, qui facit, non facit

verba legis? An dicendus est cubare cum sorore, socru, noverca, jumento, qui non cubat cum eis? et sic maledictus sit, quia cubat cum eis, dum non cubat cum eis? Nam eadem est ratio dicendi de qualibet parte legis atque de tota lege, ut aeque maledictus sit, qui unam faciendo non facit, atque qui totam faciendo non facit.

Quamvis de hac re in Galatis meis satis dixerim, tamen, quia locus postulat, paucis repetemus. Paulus Mosen in spiritu legit, sicut dicit Ro. 7.: „Lex spiritualis est, ego autem carnalis etc." Proinde, cum caro non impleat spiritum, impossibile est ullam partem legis impleri, multo magis totam, ut Ro. 8. dicit: „Nam quod erat impossibile legi, in quo per carnem infirmabatur." Igitur si externam operum larvam spectes, multi sunt, qui implent legem, saltem in multis partibus, et sic non videntur esse sub maledicto, ut hypocritae. Si vero spiritum amantem legis spectes, nulli sunt, qui implent unum jota vel apicem. Et sic omnes sunt sub maledicto, et ii maxime, qui operibus foris, sine spiritu intus, exercentur in lege. Nam ii coacti poena vel illecti commodo opera faciunt perpetuo odio legis, et sic, dum implent, non implent, dum faciunt, non faciunt. Faciunt enim manu sola et opere, omittunt vero et non faciunt corde. At Deus cor intuetur, et secundum ipsum judicat lege sua spirituali.

Sic verum est, qui sola caro sine spiritu est, cubat cum socru, sorore et jumento, et facit omnia prohibita, et omittit omnia praecepta, dum non cubat cum eis, et dum non facit prohibita, et non omittit mandata, quia, si foris opus spectes, sanctus est, sed si cor spectes, non est opus tam turpe, quod non

vent, quod quiescere non potest." Ita impium agunt procellae cogitationum, timoris, diffidentiae, desperationis, ut vere mari ferventi comparari possit.

Non est autem putandum, quod totum populum his maledictionibus omnibus, et singulis singulos subjiciendum esse velit, sicut nec totum populum benedictionibus omnibus honorandum esse intelligitur, scilicet singulos singulis, sed satis est impleri haec omnia per synecdochen. Dum omnes quidem benedictiones piis donantur, sed distributim, uni istae, alteri illae, toti populo et omnibus aliquae, item aliquae alio et alio tempore; ita et maledictiones distribui oportet in personas, loca, tempora et numerum, ut aliquae omnibus (ut captivitas, desolatio, servitus), aliquae ad tempus (ut afflictio inter hostes), aliquae aliquibus, ut pestes, morbi, ejectiones. Et haec causa est, ut impii non satis sentiant suas maledictiones, rursus, pii videantur multis maledictionibus subjacere, dum in singulis non singulas videmus benedictiones.

Allegorice vero significantur istis maledictionibus corporalibus omnes illae pestes et perditiones, quas operantur in impiis traditiones hominum et perversiones scripturarum. Ibi est penuria, fames, sitis, febris, ardor, ulcera, morbi varii, devoratio filiorum, captivitas, servitus, ignominia, frustraneus labor, et amissio omnium bonorum. Sed haec omnia dum fiunt et geruntur, non sentiuntur prae furore et insania mentis illis monstris incantatae. Sentientur autem postea. Et hic non est distributio malorum per loca, personas, tempora, numeros, sed quaelibet anima haec omnia simul mala sustinet et semper.

Rursus benedictiones illae corporales significant

benedictiones illas coelestes, quibus in Christo benedicimur. Hic est abundantia, copia, opulentia, sanitas, fortitudo, salus, victoria, honor, gloria, et plenitudo omnium bonorum, nec ipsa distributa per synecdochen in personas, loca, tempora et numeros, sed omnibus omnia semper et ubique assunt.

CAPUT VICESIMUM NONUM.

Haec sunt verba foederis, quod praecepit dominus Mosi, ut feriret, praeter illud etc.

Hoc capitulum cum sequentibus duobus, velut ultimus sermo Mosi ad populum habitus, complectitur exhortationes et admonitiones, et id genus alia pro commendanda lege. Dicitque hoc foedus initum in terra Moab, praeter illud, quod in monte Horeb pactum fuit, id est, innovatum propter eos, qui in Horeb non fuerunt, et interim patribus eorum in deserto mortuis nati fuerant, ne putarent ad se non pertinere legem patribus datam, et ab eis neglectam. Ideo oportuit legislatorem Mosen tam diu vivere, ut et generationi alteri legem innovaret.

Vos vidistis omnia, quae fecit etc.

Vos (inquit) et vestri oculi viderunt, cum loquatur ad prolem eorum, qui talia viderunt, ipsi vero non viderunt, ut qui in deserto nati fuerant, mortuis patribus omnibus, excepto Josua et Chaleb, in quorum locum surrexerant. Nisi ergo intellexeris hoc dici de

prole jam paene adulta, cum exirent de Aegypto, et per patres mortuos viros integra aetate et, ut textus dicit, bellatores, qui numerati fuerant a vicesimo anno et supra, Num. 2., ut sic Moses eos alloquatur, qui in egressu de Aegypto aut tempore numerationis fuerunt decem et novem annorum et infra, non poterit verbum Mose consistere. Vel dicendum erit, quod per figuram synecdochen ad eos loquitur, qui sunt de populo, licet jam mortuo usque ad duos etc., qui viderant ea signa. Sed prior sensus magis placet.

Exprobrandi autem modo haec loquitur Moses, et hanc praeteritam eorum duritiam adhibet ad acriorem faciendam admonitionem, ac si dicat: Videte, ut servetis in posterum melius, quam hactenus servastis praecepta Dei. Nam etsi omnia talia videritis, nihilo tamen magis intelligentes et audientes facti estis, „quia (inquit) non dedit vobis dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures, quae possent audire usque in praesentem diem.“ Metuendum igitur, ne forte et posthac similiter non det. Quare cum timore et sollicitudine vobis agendum est, ut humilitate mereamini hanc gratiam cordis intelligentis, et auris audientis, et oculi videntis.

Vides hic, non esse satis ostendi signa docerique verbum, nisi et intus sit spiritus, qui doceat. Sic Pharao cum suis nihil moratus est signa Mosi, et pharisaei signa Christi etiam blasphemaverunt. Tanta est cordis humani duritia, ut nullis signis et portentis moveatur, nullis verbis afficiatur, nullis minis pavescat.

Et satis apparet, ex hoc loco sumtam Esaiae 6. prophetiam, et similes, quam et eadem duritia mo-

vente evangelistae sic repetant, dicentes: „Oculos ejus claude, et aures aggrava etc.“ Et manifeste Moses eo verbo significat operarios legis prae ceteris tales fore, ut praecepta Dei non servent, ut qui certus sit, non omnibus donari eam gratiam. Igitur ad humiliandum et terrendum eos sic loquitur, si forte sint, qui intelligant, non esse situm in viribus suis, ut legem servent, et humiliati petant a Deo gratiam, ut faciant spirituales viri, non faciant autem praesumtuosi hypocritae.

Deinde repetit beneficia, ut 40. annis per desertum vestimenta non sint detrita, nec calciamenta consumta, panem non comederint, vinum et siceram non biberint, quo ostenderet eis, et ipsi scirent, quod esset eorum Deus, scilicet potens pascere et vestire sine opere humano, ut supra dixit, 8.: „Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei etc.“

Post recitat victoriam de duobus regibus Ammorraeorum habitam, et terram distributam inter eos, et concludit: „Servate ergo etc.,“ „ut prudentes sitis in omnibus, quae agitis,“ hoc est, ut prudenter et feliciter perficiatis omnia, quae praestituitis. Hoc enim vult verbum istud ebraicum: „Prudentes sitis,“ sicut de David scribitur, quod prudentius se gerebat, quam omnes servi Saul, sicut et ad Josua dicitur: „Ut sis prudens,“ id est, felix et prosper, et non committas stultitiam. Fiet hoc autem, si servent legem Dei.

Postea confirmat pactum, nominatim omnes ordines recensens, principes, praefectos, senes, tribus, parvulos, mulieres, advenas, usque ad caesores lignorum et portantes aquam, ut omnes et singuli, tam praesentes quam absentes ad se pertinere sciant hoc

foedus. Certe unus Moses in tanto populo haec verba solus non potuit loqui, quomodo enim omnes audirent? Necesse est ergo, ut praescripto sermone per sacerdotes et Levitas fecerit ea per populum diversis locis praedicari.

Percutit autem et praeoccupat occultam illam cordis malitiam, qua multi, dum audiunt minas et maledictiones Dei, intus se ipsos solantur et dicunt: Non erit tam male, et ita secure perseverant in sua impietate, quod maxime faciunt operarii et idololatrae, specie pietatis illusi, qui ad sese non putant pertinere, quod minatur lex, ut est videre in omnibus prophetis. Sicut enim vera pietas naturaliter affert secum timorem Dei, ita impietas et hypocrisis securitatem. Adversus hanc ergo securitatem impiorum acerrime invehitur Moses usque in finem capituli, sicut et omnes prophetae, et illis maxime impendere maledictiones et vastitates praedicit, ut exemplo Gomorrae et Sodomae subversi fabula et sibilus fiant orbi terrarum.

Et ostendit Mose hoc loco suos sermones maxime adversus hypocritas et operum justitiarios tonare, qui sine spiritu legem praesumant implere, ita ut ex hoc loco prophetae magnam partem sumserint suorum sermonum adversus eosdem hypocritas et idololatras. Unde appellat talem hominem radicem germinantem fel et absinthium, amaris verbis et rebus amaram et pestilentem hypocrisin incessens. Quibus verbis et epistola ad Ebraeos utitur, et ferme Petrus in Act. 8. adversus Simonem magum. Est igitur talis auctor operum radix germinans fel et absinthium, quia fructificat sua doctrina et exemplo fructus amaros, id est, opera legis sine spiritu, quae falsa specie foris dulcia

sunt, intus autem conscientiam inquietant et amaricant. Hoc est, Deum amarum et iratum reddunt, ut qui talibus justitiis blasphematur, dum tribuitur nostris viribus, quod debetur Spiritui illius.

„Sic perit (inquit) ebria cum sitiente." Ebriam vocat magistrum plenum opinionibus suis in lege Dei. Inde in prophetis, praesertim Esaia, multa de ista ebrietate et vomitu et vino. Sitiens vero est auditor, qui avidus noscendae pietatis quodlibet pro quolibet accipit et bibit.

In fine addit: „Mysteria domini revelata sunt nobis, ut faciamus universa legis hujus." Pertinet et id ad acrimoniam admonitionis, quasi dicat: Secreta illa, quae Deus cogitat super nos, ut maledicat impiis et benedicat piis, et quaecunque velit a nobis fieri, nobis et non aliis gentibus revelantur, sed non frustra. Quasi dicat: Ideo timete, qui talia revelat, ideo revelat, ut terreat vos, ut certi sitis futura ea omnia, si non servaveritis omnia legis hujus.

CAPUT TRICESIMUM.

Cum ergo venerint super te omnes sermones isti etc.

In hoc cap. subnectit Mose spem poenitentiae et promissionem remissionis peccatorum, si resipuerint, ut haberent, qui resipiscerent vexatione docente, quo confugerent, nempe, ad has promissiones, sicut facit rex Manasse. Nam sicut duris et securis impiis dura

et vehementer opus est increpatione, maledictione, comminatione, ut praecedente cap. vidimus, ita contritis et humiliatis ac territis opus est blanda et salutari promissione et consolatione. Et sane magnificas promissiones gratiae in hoc cap. Moses eis praescribit, ut dicat, eis omnia bona reddenda esse, multiplicandos esse plus, quam antea, gavisurum dominum super eis, ut facilis est textus legenti; quae omnia necessaria sunt afflictae et desperatae conscientiae.

Quia praeceptum non est supra te etc.

Hunc locum sophistae trahunt illuc, ut mandata Dei possibilia, imo facilia nobis esse dicant. Sic enim irruunt caeci lectores, ut illud, quod Mose dicit: „Non est supra te,“ sic intelligant: Non est supra vires tuas, neque impossibile, et non cogitant, si hoc verum sit, frustra requiri gratiam Dei. Quid enim opus est, ut gratia Dei mihi succurrat in eo, quod mihi est possibile et non supra vires meas? Quodsi ebraeum textum habuissent, multo magis fuissent ausi et inflati. Sic enim Ebraeus dicit: Praeceptum hoc, quod ego hodie tibi praecipio, non est tibi mirabile vel difficile. Nam niphlaoth aliquando mirabile et difficile significat, quod superet vires nostras, et ad quod nos pertingere non valeamus. Sed ad Mosen accedamus.

Vult Moses hoc loco ostendere modum, quo impleatur praeceptum Dei, et primo dicit: „Non est tibi mirabile nec longe situm,“ id est, tu existimas praeceptum mox impleri posse, si audiatur a te, ideo si non audiretur, diceres forte: Facerem, si adesset. Nunc cum non assit, quid faciam, quis e coelo aut de transmarinis mihi adducet, ut audiam et faciam?

Sed non impletur auditu et opere, imo si verbum fuerit in ore et corde tuo. In ore, inquam, et corde esse oportet, si implere ipsum voles, non in aure vel manu. Ideo in isto textu observandi sunt duo isti loci. Alter: „Audiamus et faciamus,“ alter: „In ore et corde.“ In his, inquam, duobus locis sita est vis et intelligentia hujus textus.

Duplices enim sunt praecepti impletores, primi de quibus dicit: „Audiamus et faciamus.“ Hi de suis viribus praesumentes mox facere sese dicunt et jactant, cum audierint. Vires hi non causantur, sed auditum. Audiamus, inquiunt, modo, et mox factum reddemus. Hos reprobat Mose, et de alteris dicit: „In ore et corde tuo est verbum,“ hoc est, cor requirit, non manum. In corde autem non est, nisi Spiritu Dei inscribatur. In corde enim est, quod volo, amo, cui faveo, quod placet. Ergo legem in corde esse, est ipsam amari, quod viribus nostris est impossibile. Hoc Psal. 36. aemulatus dicit: „Lex Dei ejus in corde ejus,“ et Psalmus 1.: „In lege domini beneplacitum ejus.“ Lege autem in corde amata vere est impleta, quia lex requirit affectum amantem et placentem in ea, cui sic satisfit et impletur, si ametur. Sic est nunc Mose apertus: „In ore et corde tuo est verbum, ut facias ipsum,“ quasi dicat: Non facies ipsum, nisi sit in ore et corde.

Cur autem praemittit: „In ore,“ antequam dicat: „In corde,“ cum prius sit in corde esse quam in ore, quia prius diligitur, antequam doceatur? Hoc facit, ut modum implendi praecepti Dei significet, fore per verbum evangelii, quod prius ore praedicatur, deinde ex auditu creditur. Sic ergo isto textu Mose dirigit

populum ad illud verbum futurum, quod corde perceptum faciat diligi suum praeceptum, ac si dicat: Praeceptum meum non implebis, cum audieris, sed si corde ipsum dilexeris. Hoc non facies, nisi praedicato verbo per os et credito in corde. Sic fiet praeceptum meum non difficile neque longinquum.

Restat, ut nunc Paulum Ro. 10. videamus, qui hunc locum citat aliter, quam Mose habet, dicens: „Justitia, quae ex fide est, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis adscendet in coelum (id est, Christum deducere) aut quis descendet in abyssum (id est, Christum a mortuis revocare)? Sed quid dicit scriptura? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod praedicamus etc." Hic primo dicimus, Paulum data opera noluisse Mosen ad verbum citare, saltem in priori parte, sed abundante spiritu ex Mose occasionem accepisse adversus justitiarios velut novum et proprium textum componendi. Idcirco omisit et illam particulam bis in Mose positam (ut deferat illud ad nos, ut audiamus et faciamus). Deinque non dicit sic esse scriptum, sed justitiam fidei dicit sic loqui. Postea vero, ubi ad verbum Mosen allegat, dicit: „Sed quid dicit scriptura?" ut indicet, sui esse spiritus et non Mosi verba, quae tribuit justitiae fidei, licet analogia quaedam inter ea sit.

Consentiunt itaque simplici sensu Mose et Paulus in posteriore parte, quia Paulus vult illis verbis: „Prope est verbum etc.," doceri, quod corde creditur ad justitiam per verbum fidei. Quod idem vult Mose, dum impleri sentit suum praeceptum, dum in corde fuerit verbum, id est, dum amatur, quod fit per fidem. Verum quod Paulus occasione verborum Mosi ludit:

„Ne dixeris in corde tuo: Quis adscendit in coelum? hoc est, Christum deducere etc.," contra justitiarios tonat. Nam illi cum operibus et viribus suis implent praeceptum, negant Christum in coelum adscendisse et ad inferos descendisse, id est, negant ipsum pro nobis mortuum et resurrexisse, ut verbo fidei justificaremur, et legem impleremus. Ad affectum enim eorum respicit, cum dicit: „Ne dixeris in corde tuo: Quis adscendet in coelum?" quasi dicat: Impius non credit Christum adscendisse in coelum; sed deducit eum de coelo, cum non credit illius resurrectione donari fidem, quae impleat legem.

CAPUT TRICESIMUM PRIMUM.

Abiit quoque Mose, et locutus est omnia etc.

„Abiit," scilicet, finitis sermonibus de lege, exhortatione, comminatione et modo implendi legem, et omnibus absolutis, quae ministerii sui erant super populum. Reversus autem, scilicet alio die, locutus est, quae in isto capitulo scribuntur. Scribitur autem, quomodo disposuerit sese ad mortem, valefecerit, gentes delendas esse promiserit, ducem Josua loco suo instituerit, legem scribi et quolibet septimo anno legi jusserit, et canticum memoriale composuerit. Et sic finit Mose sermonem in hoc capitulo. Nam cap. 32. continet ipsum canticum, cap. 33. benedictiones, cap. 34. non potest Mose scripsisse.

Primo igitur dicit esse 120. annorum, non posse amplius egredi et ingredi, id est, in populo versari et officio fungi. Sed nec hoc satis obstaret, nisi dominus dixisset, non eum transiturum esse Jordanem. Denuntiat igitur illis, dominum fore illis ducem contra gentes istas delendas, sub domino vero Josua ducem fore, loco suo, et addit egregias promissiones, dicens: „Viriliter agite, confortamini, nolite timere, nec paveatis. Dominus ductor tuus est, non dimittet te neque derelinquet." Eadem repetit et loquitur ad Josuam, vocato eo coram populo, et instituit eum ducem, ut sic tam populus quam dux niterentur fide in verbo promissionis Dei, principalis ducis eorum.

Instituto duce et animato simul cum populo disponit de lege publice quolibet septennio legenda per Levitas in loco, quem Deus elegisset. Post haec vocato Mose et Josua mandat dominus componi canticum in testimonium futurae praevaricationis et poenae, quia certum erat, ut praevaricarentur in posterum, cum non omnes haberent Spiritum, cum, sicut Mose queritur, adhuc ipso vivente inobedientes sint domino, quanto magis post mortem? Ultimo liber legis jubetur in arcae latere poni in testimonium contra ipsos. Et sic vocatis senioribus et praefectis loquitur canticum.

Allegoria morientis Mosi et instituti Josua superius tacta est, ideo breviter hic repetenda. Mose ministerium legis est, quod non perducit ad perfectum, hoc est, ad justitiam, sed ostendit peccatum, et requirit gratiam, quam non confert, ideo moritur et desinit citra Jordanem in terra Moab, id est, in justitia operum. Huic succedit Josua dux, id est, ministerium gratiae, et perducit populum in terram promis-

siccis, id est, ad justitiam veram in Christo, transeuntibus Israelitis, sicco vestigio Jordanem, hoc est recedente et locum gratiae praebente tam peccato quam morte.

CAPUT TRICESIMUM SECUNDUM.

Canticum Mose plenum est increpatione et exprobratione super beneficiis tot et tantis populo ingrato et malo exhibitis a Deo. Et plane asserit futurum, ut deserto Deo ad alienos Deos conversi maledictiones praedictas incurrant. Et facit in ipso Moses officium sese, id est, ministerio legis dignum, scilicet, quod mordet, arguit, increpat, minatur, maledicit, et nonnisi iram ostentat per totum, et tamen populum nihilo meliorem hinc reddi sentit, ut videre hic liceat velut in speculo et naturam legis, ut iram operetur et sub maledicto teneat.

1. „Audite coeli etc." Coelum et terram, hoc est, omnes creaturas testes invocat. Et fit quoque, ut, cum impii visitantur, omnibus creaturis sibi videantur invisi. Hoc facit conscientia peccati per legem monstrati. Sic omnis creatura cum lege, velut testis ejus, consentit.

2. Optat vero doctrinam suam stillare et fluere sicut pluviam et rorem, sicut stillas et imbrem super herbam et gramen, hoc est, ut efficax et fructifera sit*), ne frustra canat, et surdo fabulam narret, cum

*) Hoc usus docet in edit. princip.

de rebus magnis et necessariis canat, hoc est, de Deo vero colendo, et de periculo relinquentium Deum, et de idolis conversorum.

Stillas, pluviam et rorem opponit nubibus sine aqua, ut sunt doctrinae humanae, quae nihil prosunt. Ideo suum verbum vult pluviam, non inanem nubem esse. Herbam vero et gramen opponit silicibus, arenis et similibus infructuosis, super quae frustra pluit, etiamsi salubris sit pluvia, hoc est, optat auditores, in quibus fructificet verbum. Utrumque enim requiritur, ut et doctrina sit salutaris et auditor docilis.

3. „Quia nomen domini invocabo," id est, cantabo de invocando et colendo uno solo Deo, contra idololatras futuros in populo meo. „Date magnitudinem Deo nostro," id est, nolite ullum alium Deum colere, aut ulli quidquam majestatis aut potestatis tribuere, nisi uni Deo nostro. Hujus solius est majestas, magnitudo, potestas. Omnes alii Dii vani, mendaces, et nihil sunt.

4. „Petrae integra sunt opera etc." Petram vocat Deum, quod sit fidelis et certus, his qui confidunt in eum. Opera ejus sana, integra, perfecta dicit, et loquitur de iis operibus, quae operatur in nobis et piis omnibus, colentibus eum in veritate, opponitque ea operibus vanitatis, quibus nos ex nobis effictis vel Deum ipsum vel alienos Deos colimus, quae non sunt integra et perfecta, sed reproba et damnata.

5. Idem est, quod sequitur: „Omnes viae ejus judicia," id est, omnis vita fidelium suorum recta et vera est, in verbo et praecepto incedens, non in propriis viis et opinionibus. Sic Deus fidelis, sine iniquitate, justus et rectus est. Haec omnia dicit de

Deo culto et credito, non de natura Dei; solum, ac si contra falsos Deos et cultores dicat: Qui huic Deo servit, ille est certus, habet fidelem Deum, cum quo pacem habet. In quo cultu nulla est iniquitas, sed mera justitia et rectitudo, et haec omnia fidelia, certa et solida. Contra, idololatris nihil securum, nihil fidele aut certum, sed fluctuat semper vaga et incerta conscientia ipsorum, deinde mera iniquitas et pravitas est quidquid vivunt et agunt, quantumvis aliter sibi videantur.

6. „Corruperunt se, non filii, in vitiis, generatio prava atque perversa.“ Sic de eis futurum asserit, quod non erant mansuri in sana doctrina et vero cultu Dei, sed sicut solet generatio prava et adultera (ut Christus quoque eos vocat), corrumpuntur, ut jam non sint filii propter foeditatem et vitiosam religionem a sese repertam, sed spurii, imo adversarii.

7. „Haeccine retribuis domino, popule stulte et non sapiens? Nonne ipse est pater tuus, qui acquisivit te? Nonne ipse fecit et paravit vel direxit te?“ Hic incipit exprobrare ingrato populo, et vide ardentissima et vehementissima verba. Pro his omnibus (inquit), quod Deus justus, rectus, opera ejus integra etc., et quod sit pater, quod magno eum constitit, ut te acquireret, item quod fecit te, cum esses nullus populus, et factum populum formavit, hoc est, direxit et perfecit, ut prospere omnia succederent, pro his (inquam) omnibus tu omnia corrumpis et pervertis, ut jam non filii sitis talis patris, sed generatio perversa, Diis alienis et tuis studiis intenta.

8. „Memento dierum antiquorum, adverte annos et generationes generationum, interroga patrem tuum,

et indicabit tibi." Incipit ex ordine numerare beneficia in populum ingratum sparsa et perdita. Patrem appellat singulari pro plurali usus, quasi dicat: Si majores spectes, ut Abraham, Isaac et Jacob, et posteriores, videbis, quantum in illis tibi benefecerit, quantum te curaverit.

9. „Altissimus dividens gentes, et dispergens filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel." Primum beneficium est, quod, cum Deus sit, et omnium gentium Deus, ut quos dividat Gen. 11. et distribuit eis orbem terrarum, unicuique genti suam portionem et terminum, ut Paulus Act. 17. hunc versum aemulatus docet, tamen non omnes elegit sibi in populum, quorum peculiariter esset Deus, vero et legitimo cultu, sed posuit limites, ut solum, ubi filii Israel essent, ibi esset populus ejus, ubi vero finiretur limes filiorum Israel, ibi cessaret populus Dei, et inciperent termini gentium.

10. „Quia populus suus est portio domini, Jacob est funiculus hereditatis ejus." Id est, non latius patet populus ejus, quam est Jacob seu Israel. Istis scilicet verbis describitur, quam peculiaris sit iste populus Dei.

11. „Invenit eum in terra deserti, in vacuo, ubi ululatur, in solitudine circumduxit eum, et intellectum dedit ei, custodivit illum sicut pupillam oculi." Hoc est, pepigit in monte Sinai foedus cum eo, ibi invenit et assumsit eum, inde per desertum circumduxit, et erudivit et custodivit, ut nihil ei deesset unquam. Hoc jam alterum beneficium est magnificum.

12. „Sicut aquila provocat nidum suum super pullos suos volitans, expandit alas suas, et accepit

eum, et tulit eum super scapulas suas." Hic versus significat, quomodo eos in deserto foverit, mores eorum tulerit, atque tentaverit ac benefecerit, ut discerent volare, id est, fidere in eum, ut cap. 8. vidimus.

13. „Dominus solus deduxit eum, nec fuit cum eo Deus alienus." Hoc est, sub Mose vigebat in deserto verus cultus Dei, Deus ipse praecedebat eos tam verbo, quam externo ductu nubis et ignis.

14. „Vexit eum sublimiter in terra, pavit eum fructu agrorum, dedit ei sugere mel de petra et oleum de rupe." Tertium beneficium, quo describitur opulentia in terra Canaan eis donata, scilicet quod in terra sublimi et egregia habitabant, et fructu agrorum alerentur copiose, hoc est, dedit eis habitare in terra bona et fructifera. Deinde mel de petra et oleum de saxo sugi poetice dicit et figurative, scilicet, quod terra tam bona sit, quod, ubi non est ager, sed rupes et petra, tamen ibi oleum sit, et mellificent apes, siquidem et olivae gaudent petrosis et sterilibus locis, et apes mellificant ubivis, etiam ubi nullus sit ager.

15. „Butyrum de armento, et lac de ovibus, cum adipe agnorum et arietum pinguium, et hircos cum adipe renum, triticum et sanguinem uvae biberent merum." Et hic poetice pro more carminum opulentiam describit, quod butyro et lacte et pinguibus agnis alerentur, et arietibus saginatis, et hircis cum adipe renum, hoc est, et ipsis pastis bene et saginatis.

Alia translatio transtulit: Et arietum filiorum Basan, ignorans ebraismum, quod filius Basan, id est, filius pinguedinis, idem sit, quod pinguis, sicut filius anni, id est, anniculus, filius pacis, id est, pacificus,

filius mortis, id est, morti addictus. Sic sanguinem uvae vocat vinum, quod in illis terris rubrum fere nascitur.

16. „Impinguatus vero et saturatus lascivit, pinguis, crassus, obesus factus es, sic dimisit Deum factorem suum, et neglexit petram salutis suae." Hoc est, eum qui fecit et salvavit eum ex omnibus malis, in quo fidere debuit, hunc opulentia inflatus et saturatus neglexit, adhaerens Diis alienis, ut sequitur.

17. „Provocaverunt eum Diis alienis, abominationibus concitaverunt eum." Qui pro his grati esse debuerant, conversi potius irritaverunt, reddentes malum pro bono, sicut in historiis videmus, quomodo cum Diis alienis fornicati sunt. Non fert venter saturatus pietatem, securus enim stat et negligit Deum.

18. „Sacrificaverunt daemoniis et non Deo, sed Diis, quos nescierunt, novis, qui recens venerunt, quos non coluerunt patres vestri." Hoc est, idolis campestribus, scilicet in lucis, vallibus, montibus, de quibus nihil erat eis dictum in lege, nec quidquam de eis audierant, sed prurientes auribus, ut quilibet novum aliquem cultum advehebat, ita maxime affluebant, relicto Deo, quem ex patribus didicerant.

19. „Petram, quae te genuit, dereliquisti, et oblitus es *) Dei formatoris tui." Acerba est increpatio et exprobratio ingratitudinis, ut pro tot bonis tanta mala redderent. Ideo nunc sequitur, quae poena plectendi sint pro tanta culpa.

20. „Vidit dominus, et iracundia motus est, et indignatus filiis et filiabus suis." Ira atrocior est,

*) In edit. princ.: est.

quod filii et filiae talem tantumque patrem talibus tantisque peccatis offenderint.

21. „Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum, quoniam generatio perversa est, et filii infideles.“ Abscondi faciem Dei, est excaecare illos, ut eum neque noscant neque inveniant, quantumvis quaerant et vocent. Nota est significatio ex ejus contrario: „Ostende faciem tuam, et salvi erimus.“ Infideles vocat, hoc est, qui non vere et ex animo filii sint, sed foris simulent hypocrisi operum, et jactent se filios esse.

22. „Ipsi me provocaverunt in eo, qui non est Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis, et ego provocabo eos in non populo, et in gente stulta irritabo illos.“ Hoc est, sicut ipsi me deserto aliam Deum assumserunt, quod mihi fuit non ferendum, ita rursum ego illis rejectis assumam alium populum, quod et ipsos vehementer cruciabit, sicut factum est, teste apostolo Roma. 11., cum gentes assumtae sint per evangelion. Unde usque hodie implacabiliter irritantur Judaei, quod ipsos negamus esse populum Dei, et asserimus nos esse populum Dei, juxta hunc versum.

23. „Quia succensus est ignis in ira mea, et ardebit usque ad infernum inferius, devorabitque terram cum germine suo, et fundamenta montium comburet.“ Ignis hic non solum ignem, sed totam vastitatem significat in igne, qualis fuit ignis regis Babylon et Romanorum, ubi terra, licet non tota, fuit exusta et vastata, ut in Jerusalem et aliis locis, ut nec lapis super lapidem relinqueretur. Hoc significat, quod ardere illum dicit usque ad infernum, hoc est, nihil reliquum super terram erit, vel aedificii vel ger-

minis, sed et ipsum solum et montes, ubi aedificia steterant, exurentur *), quasi ignis deorsum per terram velit ad infernum usque ardere, sicut videmus fieri in locis igne desolatis.

24. „Congregabo super eos mala, et sagittas meas consumam in eis.“ Sagittae hic plagas et immissiones irae Dei significant. Et ipse sane sequenti versu has sagittas et mala describit, dicens:

25. „Consumentur fame, depascentur febri et amara peste. Dentes bestiarum mittam in eos, cum furore serpentum.“ Hic quatuor vel tres sagittas nominat, famem, febrem, pestem, bestias, post addit gladium versu sequente, et has plagas prophetae saepius repetunt. Nostra translatio dicens: Cum furore trahentium super terram, non observavit esse poeticam periphrasin pro more carminis, et trahentes in pulvere dici serpentes.

26. „Foris vastabit eos gladius, et in cameris pavor, juvenem et virginem simul, lactentem cum viro cano.“ Hoc est, tolletur ab eis omne praesidium et omnis fiducia.

27. „Et dicam: Ubinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.“ Id est, destructis eorum omnibus ac in nihilum redactis insultetur eis: Ubi nunc est regnum vestrum? Ubi sacerdotium? Non, quod nihil aut nulli Judaei sint reliqui, sed quod nullum locum certum, regnum aut sacerdotium habituri sint, sicut omnes alii populi habent. Et memoriam eorum tolli, est nihil amplius de eis jactari, sicut

*) In edit. princip.: exuretur.

antea, quod sint aut possint aliquid, more aliorum populorum, et sicut prius ipsi fuerant.

28. „Nisi iram inimici vererer, ne superbirent hostes eorum, qui forte dicerent: Manus nostra excelsa, et non dominus fecit haec omnia.“ Hoc dicit, quia aliquando distulit iram istam, et liberavit etiam indignos et immeritos, sed hoc fecit propter nomen suum, ne blasphemaretur ab idololatris. Tollit igitur hoc versu et praeoccupat jactantiam Judaeorum, qui forte dicerent: Non sumus tam mali, ut hic Mose cantat, nec de nobis cantat, quia experientia teste Deus saepe nos liberavit miraculose. His respondet: Non vestro merito factum est, qui omnia praedicta semper merebamini, sed quia vos assumseram in populum, coactus sum nomini meo providere in vobis indignissimis. Sed non faciam hoc in aeternum, veniet tamen tandem finis vester meritus.

29. „Gens absque consilio est, et sine intelligentia.“ Id est, nihil curat, neque iram neque gratiam, neque advertit, ut habeat res eorum coram me, praesumtuosi fingunt sibi propitium, cum sim iratus, ideo non cogitant, ut sibi consulant, et sese corrigant.

30. „Utinam saperent et prudentes essent in hoc, et novissima intelligerent.“ Hoc totum dicitur, quod sint incogitantes de praesenti eorum statu et de futura eorum poena, ceu securi, quod boni sint et optima sperent, cum longe contraria assint et impendeant.

31. „Quomodo enim unus persequeretur mille, et duo fugarent decem millia, nisi petra eorum vendidisset eos, et dominus tradidisset eos?“ Hoc est, in ipsa captivitate tam Babylonica quam Romana debe-

rent experientia cognoscere, quod deserti sint a Deo, cum unus gentilis mille fuget Judaeos, cum antea contrarium fieret, ut unus fugaret mille gentiles, Levitici 26.

32. „Quia petra eorum non est sicut nostra petra, cujus rei testes sunt ipsi hostes nostri.“ Hoc intellige dici, quod ceteri Dii et Deorum cultores confessi fuerint, Deum Israel esse talem, quo non tradente nemo populum Israel superare potuit, quo tradente ipsi nunquam stare potuerunt, ut Bileam regi Moab ideo consuluit, ut populum ad peccatum induceret, et sic vinceret. Hic ergo Bileam unus est testium, de quibus Mose hic dicit, qui magnifica de Deo dixit. Testes et Aegyptii, qui dixerunt Exo. 14.: „Fugiamus Israelem, dominus enim pugnat pro eis.“ Testes et Philistini 1. Reg. 5., qui timebant ab arca Dei. Nulli ergo Dii sic suis populis affuerunt, sic potentiam ostenderunt etc. Non est enim alia natio tam grandis, ut supra cap. 2.

33. „Vitis Sodomae vitis eorum, et de agris Gomorrae, uvae eorum uvae fellis et botri eorum amari.“ Id est, pro fructu suavi pietatis fructificant amarissimos et pessimos fructus idololatriae, digni, qui sic pereant, sicut Sodoma et Gomorra. Totum enim dicit vehementi indignatione contra impietatem et idololatriam sub nomine et populo Dei furentem.

34. „Vinum eorum furor draconum et fel viperarum crudele.“ Hoc est, doctrina et vita eorum sic noxia et venenata est, ut plurimos irrecuperabiliter perdat, quia frustra excolitur tot prophetis etc. Manet vinea venenata.

35. „Nonne haec condita sunt apud me, et sig-

nata in thesauris meis?" Id est, haec impia omnia novi, et secreta teneo, licet foris cogar benefacere impiis illis propter nomen meum. Ipsi autem non vident, quid apud me super eos diffinitum sit, ideo securi sunt. Igitur terret eos hac gravi comminatione, ut videant, non quanta accipiant indigni bona, sed quanta mereantur mala, ne quis ideo se putet habere propitium Deum, quia bonis eum obruat, imo tunc maxime metuat ab iis, quae apud eum condita sunt, et signata in thesauris.

36. „Mea est ultio, et ego retribuam, ut labatur pes eorum in tempore, quia prope est dies calamitatis, et futura eorum festinant." Hoc dicit, quia tandem desinet larva beneficiorum, sub qua securi sunt, sed prodibit poena, tam diu propter nomen suum dilata, scilicet, cum toti sub Romanis in nihilum redigerentur, quod olim et semper bene meriti fuerant. Sic enim labitur pes eorum, ut regnum amplius non stet. Et ita vides, plane Mosen prophetare finem aliquando fore hujus populi, id est, regni ejus.

37. „Judicabit enim dominus populum suum, sed super servos suos placabilis erit. Videbitur, quod manus infirmata sit, et clausus residuusque consumetur." Hoc est, ne populo quidem suo parcet, ne jactent, quod sint populus ejus. Placabitur vero sine personarum respectu tantum iis, qui ei serviunt, id est, reliquiis populi ad Christum conversis. Alias infirma erit manus apud omnes, ita ut consumatur et clausus et residuus, id est, nihil de regno reliquum erit in terra Juda, omnibus ubique dispersis inter gentes.

38. „Et dicetur: Ubi est Deus eorum? petra, in qua habebant fiduciam?" Sic insultat et conscientia

et persecutor. Tunc videbunt, quid sub securitate sua fuerint et fecerint, quis eorum Deus fuerit, et quem coluerint, ut sequitur.

39. „De quorum sacrificiis comedebant adipem, et bibebant vinum libaminis, surgant et adjuvent vos, et protegant.“ Cum tamen de sacrificiis domini tunc comedere sese putabant, sed nunc vident sero vanitatem suam.

40. „Videtis ergo, quod ego sum ego, et non sit alius Deus praeter me. Ego occido et vivifico, percutio et sano, et non est, qui de manu mea possit eruere.“ Sic experientia docet, quod prius sub securitate non didicerunt.

41. „Levabo enim manum meam in coelum, et dicam: Vivo ego in aeternum.“ Hoc vel jurantis vel gloriantis more dicitur, quod praeter Deum nihil possit gloriari neque de esse suo neque de vivere, sed solus ipse dicit: Ego sum, ego vivo, scilicet, ut timeatur, et praesumtio nostra conteratur.

42. „Si acuero fulgur gladii mei, et judicium manus mea arripuerit, reddam vindictam in hostes meos, et inimicis meis retribuam.“ Id est, terribilis est vindicta mea, quia penetrat, nec potest retineri sicut fulgur, hostes meos, sive Judaei sint sive gentes.

43. „Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes prae cruore occisorum, et prae captivitate, et prae nuditate capitis inimicorum.“ Vindictam (inquit) hanc retribuam, ut sagittae meae plenae sint sanguine, et gladius meus non vulneret, sed devoret corpora, tam multi erunt occisi, tam multi captivi. Deinde et caput inimicorum nudum erit,

id est, privabuntur regno, ut sine gloria regni sint dispersi per orbem.

44. „Exsultate gentes cum populo ejus (id est, cum reliquiis fidelibus gentes copulabuntur in fide), quia sanguinem servorum suorum ulciscetur (scilicet, in occisoribus prophetarum et apostolorum), et propitius erit terrae populi sui," nempe, reliqui de Israel, qui conversus fuerit, huic novum regnum parabit sub Christo, amen.

Locutusque est dominus etc.

Ultimo describit mandatum domini de morte Mosi, quomodo ei ostenderit totam terram Canaan, sed non permisit intrare propter peccatum infidelitatis ad aquas contradictionis admissum. Mons Abarim est idem, quod montana Arabiae, in quorum vertice est mons Nebo, in vertice Pisga, in quem adscendit Mose et mortuus est.

CAPUT TRICESIMUM TERTIUM.

Haec est benedictio, qua benedixit Mose, vir Dei etc. ante mortem suam filios Israel, et ait.

„Dominus de Sinai et de Seir ortus est nobis, et apparuit de monte Paran, et tu cum multis millibus sanctitatis." Hoc sic intelligo, quod significet adventum Dei gloriosum et insignem ad terram promissionis. Illuc enim venit, incipiens a monte Sinai, ubi pactum legis dedit, et ortus est de Seir, id est, transivit

terram Seir usque ad Canaan, et sic venit quasi oriens sol, novo regno illustraturus terram illam. Idem est, quod inclaruit a monte Paran, quia illac transivit in finibus Edom. Venit autem cum multis millibus sanctitatis, id est, cum populo Israel, quorum fuerunt quidem multa millia, licet non singuli sancti, tamen sancta fuerunt millia, propter multos inter eos sanctos.

„A dextris ejus ignea lex ad eos.“ Sive hoc vere de lege Mosi intelligas, qua regit eos in dextera, ut spiritu ardeat et ametur, nempe a sanctis, sive de columna ignis, qua duxit eos, non pugno, quamvis prior sensus magis placeat, quia insigne fuit beneficium, huic populo credi legem, eloquia Dei.

„Quam dilexit populos,“ scilicet sic cum eis habitans, ambulans ac velut familiariter conversans, toto illo transitu per desertum etc. „Omnes sancti ejus in manu tua sunt,“ (id est, sancti ejus, scilicet populi seu in populo,) „sunt in manu tua,“ (id est, tu defendis eos, sic enim amas populos), „et ipsi jungent se ad pedes tuos, ut tollant de verbis tuis“ (id est, et hoc amoris sui pignus est, quod ministerium verbi in hoc populo instituit, ubi licet ad pedes ejus auditores sedere et audire verbum ejus, ut in synagogis et in templo vel tabernaculo).

„Legem praecepit Mose hereditati ecclesiae Jacob.“ Hic de se loquitur Mose, qualis fuerit officio, primo, quod legem ipsam, de cujus ministerio jam dixit, ipse attulerit, secundo, quod fuit in plenitudine regis congregatis principibus populi cum tribubus Israel. Hoc est, vice regis et auctoritate et loco Dei erat inter illos, ut ultra legem scriptam et vivae vocis oraculo eos regeret ex ore Dei.

„Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus numero.“ Eadem est benedictio Jacob Gen. 49., ubi dicit: „Non crescas,“ scilicet ne penitus pereat ob peccatum patris.

„Judae benedictio: Audi domine vocem Judae.“ Hoc de regibus Juda intelligitur saepe victoria potitis fide et oratione magis quam gladio. „Et ad populum suum introduc eum,“ id est, ad regnum Israel et Juda. „Manus ejus roborentur, et adjutorium ei fiat de hostibus suis,“ hoc est, fide roboretur et liberetur ab hostibus, quia multos hostes passum est regnum istud.

„Levi quoque ait: Integritas tua et lux tua sit secundum virum sanctum tuum, quem tentasti in massa, et cum quo contendisti ad aquas contradictionis.“ Vult dicere: Sacerdotium et officium tuum sit felix, tam orando quam docendo, ut fuit in Mose in deserto, quem tentasti. Integritas enim et lux ea est, quam in hosen Mose posuit Exo. 26. [28.], quibus oraculum Dei accipiebatur in rebus gerendis.

„Qui dicit patri et matri: Non video vos, et fratribus: Nescio vos, et filios non novit, hi servant eloquia tua, et custodiunt pactum tuum, hi docent Jacob judicia tua, et Israel legem tuam, hi ponent incensum coram naribus tuis, et holocausta super altare tuum.“ Hoc est, multi sunt hypocritae futuri, tam opere quam verbo, quia cor eorum non est rectum. Qui vero primum ipsi mundo mortui, et soli Deo vivunt et serviunt, illi faciunt et docent recte. Tales requirit lex, horum incensum et sacrificia placent. Significat ergo, quales debeant esse ministri verbi, nempe mundo mortui.

Hoc optat Mose dicens: „Benedic domine facultati ejus, et opera manuum ejus placeant tibi.“ Hoc est, quod gerit in ministerio verbi, prosperum fac, ut tibi placeat et fructificet in populo. „Dorsum vero resistentium ei conquassa, et hostium ejus, ne surgant.“ Id est, falsos prophetas et reges ac principes et hypocritas, qui facultati ejus suis vanitatibus obstant, fac infelices.

„Benjamin, amabilis domini, habitabit secure in ipso, tota die tuebitur eum, et inter humeros illius habitabit.“ Forte hoc Mose dicit, quod tribus Benjamin inter tribum Juda et Ephraim, utramque regiam et potentem, habitavit, et templum in sua tribu habuit.

„Joseph quoque ait: Terra ejus habeat benedictionem domini, fructibus de coelo, rore et abysso deorsum jacente (hoc est, ut coelum benignum habeat, quo copiosius omnia proveniant, ut coelum, terra, maria, omnia ei salubria sint). „Sic et fructibus proventus de sole et luna,“ id est, ut sol et luna salubres sint pro fructibus terrae. „Sic de vertice montium priorum, et fructibus collium aeternorum“ (hoc est, ut montes tam primi quam novissimi, ante et retro positi, omnes abundent); quamvis mea sententia haec omnia et figurate dici videantur, ut regnum Israel florere intelligas, favente coelo et rore et abysso, sole, luna, montibus antiquis, collibus mundi, id est, dum ei Deus et homines omnia tribuant, reges, principes, magni, divites, populi et vulgus, scilicet, hos diversos ordines diversis his nominibus significans. Nam de fructibus terrae mox dicit: „Et de fructibus terrae et plenitudinis ejus,“ id est, quidquid terra profert, et animalia et homines gignunt.

„Beneplacitum habitantis in rubo veniat super caput Joseph et super verticem Nasaraei inter fratres suos.“ Id est, favor Christi sit super eos, ut abundet prophetis, quod et factum est. Multos enim habuit regnum Israel prophetas. „Quasi primogeniti tauri decor ejus,“ (id est, speciosum regnum viribus et viris), „et cornua rhinocerotis cornua ejus“ (id est, reges et principes, et duces ad bella fortissimi*). „His ventilabit gentes usque ad terminos terrae“ (scilicet, terrae Israel expellendo ipsos). „Haec sunt millia Ephraim, et haec millia Manasse.“

„Laetare Sebulon in exitu tuo, et Isaschar in tabernaculis tuis.“ Contrariis allusionibus utitur. Sebulon enim ab habitando et manendo dicitur, et hunc laetari dicit in exeundo. Rursus Isaschar a mercede, quae exeundo augetur, et hunc laetari facit in manendo domi. Vult ergo dicere: Felix sis Sebulon, si exieris, felix Isaschar, si non exieris, sed manseris. „Populos vocabunt ad montem, ibi sacrificabunt sacrificia justitiae.“ Mihi hoc ad historiam Dibora pertinere videtur, ubi in monte Thabor collecto exercitu Barac victoriam de Sisera reportavit. „Quoniam inundationem maris sugent, et thesauros absconditos in harena,“ hoc est, mercibus marinis et metallis terrae abundabunt.

„Et Gad ait: Benedictus dilatator Gad, quia sicut leo habitat, rapuitque brachium et verticem“ (hoc mihi rex Jehu videtur implesse, qui fecit pietati locum, abolitis Baalitis, et perrupit quasi leo, fortiter caesis etiam duobus regibus, quasi brachio et vertice), „et

*) In edit. princ.: fortissimos.

vidit principium suum, quod ibi portio doctoris reposita esset" (hoc puto dici de bonis prophetis, qui sub Jehu in suo regno securi erant, ante sub Baalitis fugati, ut sit singulare pro plurali. Portio doctoris, id est, collectio doctorum), „et venit cum principibus populi, et fecit justitias domini et jura ejus cum Israel," quia reduxit principes et populum ab idololatris illis, unde et laudatus est a Deo.

„Dan quoque ait: Dan catulus leonis (quia fortiter pugnaverunt contra Lais seu Lesem). „Fluet de Basan" (id est, florebunt ex civitate Dan usque in Basan).

„Et Naphthali dixit: Naphthali abundantia perfruetur, plenus benedictione domini" (quia fertilis terra tribus suae, ut in Galilaea), „mare et meridiem possidebit," meridiem scilicet maris Galilaei.

„Asser quoque ait: Benedictus filiis Asser" (scilicet prole abundans), „sit placens fratribus suis" (id est, favore abundet), „et intingat in oleo pedem suum" (id est, oleo abundet). „Ferrum et aes sit calciamentum tuum" (ideo, aere et ferro abundet). „Sicut dies juventutis tuae, ita sit et senectus tua" (id est, viribus corporis praestet).

Vides hic tribum Simeon omitti, et non benedici, qua causa, quis novit? Nam quod Ebraei venditionem Joseph, et stuprum in Baal Peor causantur, nihil moror. Hierony. arbitratur Judam Ischarioten de hac tribu futurum id meruisse, sed fabulae sint fabulae. Certum autem est, quod Simeon propriam sortem non habuit, sicut ceterae, sed in tribu Juda habuit. Sit ergo contentus generali benedictione, quae sequitur.

„Non est sicut Deus plenitudinis seu abundantiae,

qui vehitur coelo, sit auxiliator tuus, cujus superbia in nubibus" (id est, qui tonitru ostendit majestatem suam). „Ibi habitaculum Dei ab ante, et infra brachia in mundo" (id est, licet in coelis habitet, tamen brachia sua dominantur in mundo, ut suos liberet, ut sequitur). „Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere" (scilicet solo verbo prosternet eum). „Ideo habitabit Israel secure et solus, et oculus Jacob erit in terra frumenti et musti" (id est, delectabitur in terra fertili). „Coelum enim ejus stillabit rore" (scilicet, ut foecundet eam).

„Beatus tu Israel. Quis tibi similis est, popule, qui salvaris per dominum?" (non viribus hominum, ut alii populi) „qui est clypeus adjutorii tui, et gladius victoriae tuae. Sic enim lassabuntur inimici tui, et tu super excelsa eorum calcabis" (quasi dicat: Viribus tuis esses impar inimicis tuis, sed potens est, qui gladius tuus est).

Nunc confer canticum Mosi cum istis benedictionibus, et videbis contraria. Ibi enim totum populum damnat, hic singulos benedicit, sed propter promissionem patribus factam. Sic propter paucos bonos toti populo benedictio datur, et tamen tandem propter malos populus cum regno perditur, segregatis ab eorum medio bonis.

CAPUT TRICESIMUM QUARTUM.

Adscendit ergo Mose de campestribus Moab.

Hoc capitulum Moses non scripsit, sed Josua vel Eleasar, nisi mortem suam velis dicere, sicut praecog-

nitam, ab ipso esse hoc modo descriptam. Non inveniri autem ejus sepulchrum ab homine, recte ideo factum dicunt, ne Judaei idolum ex ipso facerent. Sed magis significat, veniente luce evangelii ministerium legis sic tolli, ut Judaei ipsum neque invenire neque reparare unquam possint.

Quod autem Mose anno centesimo et vicesimo aetatis suae moriens scribitur tanto vigore fuisse, ut oculi ejus non caligaverint, et forma faciei ejus non fugerit, pro miraculo insigni recitatur, cum reliqui patrum, ut Isaac, Jacob, Eli et alii, scribantur prae senectute caligantes oculos habuisse, et adhuc hodie, qui paulo provectioris aetatis sunt, oculis et visu deficiunt. Idem miraculum est, sic formam vultus vigere, ut nec color nec species deficiat, cum natura ferat, ut rugis et pallore deformes fiant senes. In Mose vero multo magis miraculum est, ut qui tota vita sua tot laboribus, periculis, rebus gestis exercitatus, ut mirum sit, quod non prae ceteris exhaustus et deformior fuerit, aut citius mortuus sit. Nostra translatio habet: Et dentes ejus non sunt moti, scilicet falsa dictionis similitudine, quod vigor et maxilla paene eisdem literis scribantur in ebraeo.

Significat vero perseverantia ista visus et vigoris in Mose juxta allegoriam, quod virtus legis nulla dierum longitudine, nulla operum multitudine deficit, sed urget et agitat reas conscientias in perpetuum, donec moriatur, id est, donec per Christum abrogetur, novo gratiae ministerio instituto. Erat autem, cum Christus adveniret, antiqua lex et prope finem sui, juxta illud ad Ebraeos: „Quod antiquatur et senescit, prope interitum est.“

Commendatur ultimo Mose a magnitudine, quod post eum nullus surrexerit similis ei, in tantis signis, in Aegypto et in deserto per eum factis, maxime vero, quod dominus eum facie nosset, hoc est, qui sic familiariter cum Deo conversaretur et loqueretur. Hoc dicitur, non pro tempore perpetuo, sed quam diu Mose ministerium duravit. Omnes enim posteriores Mosen docebant, ut sub eo et ex eo docti, tanquam minores. Verum simul stat, quod cap. 18. dictum est, quod post Mosen alius erat suscitandus similis Mosi, scilicet Christus, cui magnus ille Mose cederet, ut longe majori in dignitate et virtute, ut ibi vidimus. Significat et hoc ipsum, quod nihil majus doceri et tradi potest, quantum ad leges pertinet, quam lex Mosi. Omnia enim sunt summa in eo, nisi quod magna lex majori cessura erat evangelio.

Finis.

D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA LATINA

CURAVIT

DR. JOAN. CONRAD. IRMISCHER

ECCLESIAE NEOPOLITANAE ERLANGENSIS PASTOR ALTER.

TOMUS XIV.

CONTINENS OPERATIONUM IN PSALMOS TOM. I.

ERLANGAE

SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.

MDCCCXLV.

Praefatio.

Praelectiones, quas secunda, ut ipse memorat, vice in Psalterium publice fecit, Lutherus mense Martio anni 1519 coepit continuavitque usque ad annum 1521, quo, itinere Wormatiensi interruptus, ad finem tantum psalmi (secundum numerum hebraicum) XXI, (latin. XX.) pervenerat. Dum vero post comitia in arce Wartburgensi lateret, psalmum XXII. (XXI) explicitum cum praefatione ad Theologiae studiosos, nec non Melanchthonis allocutione ad eosdem, data mense Martio 1519, separatim excutiendum curavit. Dedicationi ad Fridericum Electorem annus 1519 et dies VI. Kal. April. adscriptus est. Editio princeps infra notata particulatim in lucem prodiit, ita, ut ps. I — V, anno 1519, ps. VI — X. anno 1520 et ps. XI — XX. anno 1521 ederentur. Statim repetitae sunt hae praelectiones anno 1521 Basileae typis Adami Petri, primum quidem tantum in ps. I — XIII (curante Vdalrico Hugualdo Durgaeo), tum vero eodem adhuc anno in ps. I — XXI. In vernaculam linguam, idque liberius, eas vertit anno 1524 Stephanus Rodt, Syndicus Zuiccaviensis, Luthero

consentiente. Absolvit tamen novem tantum psalmos priores, reliquas demum anno 1730 Jo. Jac. Greiffius, cand. theol. Lipsiensis germanice reddidit.

Quanta in hoc opere vis et copia piae et spiritualis eruditionis, quanta et modestia Lutheri eluceat, Seckendorfius in Comment. lib. I. Sect. 66. §. CLXXXIII in Additione pag. 316—319 nonnullis excerptis ex praefatione, nec non ex psalmorum quorundam explicatione allatis satis monstravit. Ceterum conferendi sunt: Jo. Melch. Krafft: „Anderes hundertjähriges Jubeljahr der evangelischen Kirche," Hamb. 1730. 4. pag. 17. 18. — Jo. Barthol. Riederer: „Nachrichten zur Kirchen-, Gelehrten- und Büchergeschichte, Vol. I. Altdorf 1764. 8. pag. 184 — 191. et Vol. II. pag. 467 sqq. — Walchii Luth. opp. edit. Vol. IV. Praef. §. III. p. 7 — 10.

Editiones principes, repetitae et collectionibus insertae.

I. Ed. Wittenb. de anno 1519 — 1521.

Operationes. F. Martini L. in | PSALMOS, VITTENBERGEN- | SIB. THEOLOGIAE STVDIO- | SIS PRONVNCIATAE. | Subter conspicitur Christus crucifixus ligno incisus; ad ejus pedes Maria et Johannes. Aversa folii primi parte incipit Dedicatio ad Fridericum Electorem data VI. Kal. April. M. D. XIX., quam sequitur Melanchthonis ad Theologiae studiosos Witteberg. allocutio d. m. Martio 1519; deinde inscriptio operis repetita et Lutheri Praefatio ad Theologiae studiosos. Folio demum sexto praelectio in I. Psalmum incipit.

In fine psalmi quinti folio penultimo quaternionis Z legitur: VVITTENBERGAE ANNO DOMI. M. D. XIX. | — Ultima pagina vacua. In fine psalmi decimi folio penultimo quatern. Z haec notata sunt: VVITTENBERGAE PER JOHAN. GRVNEN. | ANNO DOMINI. M. D. XX. | Ultima pagina vacua. — In fine totius operis neque typographus neque locus annusve significatur. Foliorum numeri desunt. In folio inscriptionis repetitae exemplaris nostri manu coaeva sequentia scripta sunt: „Inchoatus 3ª feria post Reminiscere 1519."

II. Edit. Basileens. repetita prima de anno 1521 in folio, ad psalm. XIII. usque progrediens.

Martini | Lutheri | piae ac doctae in Psal |, mos operationes. | Lectori. | Heus tu lector, foris nihil uides, ingredere, inue | nies domum ditissimam. Plus habes quam titulus | tibi promittat, libros enim non facile numera | biles sub unius nomine damus tibi, ut sunt. | Absoluta imago pietatis et impietatis. Impiorū | nomina. De impijs doctoribus. De spe et passio | nibus. Consolationes multarum pertubationum. | De nomine dei. De praedicatoribus. De fide et | operibus. De ceremonijs. Antichristus quando re | gnet, eiusque uera descriptio. Sed quid? malo ipse uide | as, quam mihi numerare pergenti credas. Non enim in illa | angustia tantas diuitias cōditas esse crederes. Sed tu | memento maximis animis, in pusillis corporibus locū | esse. Certe talis est, nō meo solius iudicio, sed omnium | eruditorum, ut nondum absolutum publicem, ueritus | ne si

diutius domi retinerem, in publica Christianae Ec | clesiae commoda peccarem, cuius plurimum refert, ut | haec Christianissima doctrina quam plurimis, idque quam ocyssi | me communicetur. Superest igitur, ne tibi ipsi de | sis lector, ego tibi non deero. Caetera enim | iam sub prelo sunt, quae donec absoluta | fuerint, hic tibi est quod legas. Anno M. D. XXI. Haec in fronte. In fine legitur Postfatio Adae Petri; deinde: Placet hic unam in psalmos operationū partem finire, quia bene | Christiani et docti omnes, pene conuitijs flagitant. Quibus | ueritatem tantopere sitientibus negare impium puto. | Accipe igitur a me illa, iam iam caetera daturo. | Ex aedibus meis Basileae, Anno domini, | M. D. XXI. mense Martio. 314 Pagg. Fol.

Inscriptio operis figuris circumdata est. Indicem praecedentem haec nova inscriptio sequitur: Operationes F. Martini Lutheri in Psalmos, Wittenbergensib. Theologiae studiosis pronunciatae. Sub hac Christus crucifixus cum pluribus personis conspicitur. Editor est Udalricus Hugualdus Durgaeus tunc temporis juvenis XXV annorum, qui prooemium ad „Germaniam, nationum nobilissimam et christianissimam“ ex Schonenberga anno 1521 dedit. In quo Lutherum, quem virum apostolicum dicit, hisce verbis laudat: „Adeo ille in Christi via est, ut in eosdem latrones inciderit, in quos ipse. Amor Lutheri in Christum non est obscurus (ignis enim amoris latere nequit), qui elucet in scriptis ejus. Nam oportet ut impense amet eum, cujus gloria ei unice cordi est, de quo semper loquitur, propter quem mori expetit.“ —

De se ipso haec dicit: „Ego decrevi propter patriae libertatem, christianam fraternitatem, Christum, proximorum salutem, omnia et facere et pati. Mirari igitur desinant, qui tantopere mirantur, me loqui ausum in medio luporum, bestiarum, serpentum. Patriae enim et ecclesiae juvandae voluntatem (si aliud mea humilitas non potest) posteris et nunc bonis ut probem, nihil praetermittam. Quare quando mihi jam non tantum otii, nec tantum eruditionis, et fortassis non tantum ingenii est, ut aliquid ipsemet operis in hanc rem confeiam, curabo (donec ipse aliquid Dei gratia potuero), ut aliorum scripta, quae id agunt, ut populus ad Christum, requiem redeat, Pharisaeorum onera gravissima abjiciat, quam plurimis communicentur. Cujusmodi hic liber est, et incomparabilis" etc. — Finit hoc prooemium ita: „Tibi igitur charissima patria, nomine Lutheri, psalterii enarrationem dedico, hortulum in quo te oblectes, et curis animum leves, fontem saluberrimae aquae, inexhaustum, ex quo bibas, gymnasium, in quo te exerceas, ut posthac non solis sacerdotibus (quamquam omnes sacerdotes simus) maxime illis nostris hominum longe flagitiosissimis, lupis, suibus concedas, ut clamoribus sine mente, ululatu, grunnitu, mugitu, templa impleant, deum exacerbent. Accipe igitur et defende et serva, ne Romanensium furum fraus tibi subtrahat, et Luthero gratias agas, cui inter homines soli debes, qui ob multa alia in te merita ornandus, in sinu gestandus est. Nisi aliquid debeatur mihi nuntio donum afferenti cum tanto vitae periculo, ut multi dicant, se non mediam Ger-

maniam accipere velle, ut hoc facerent, nec ego totum orbem terrarum accipere vellem: adeo non nescius sum, vulpes et volucres speluncas et nidos, id est, dolosos, superbos hypocritas hominibus acceptos, magnos esse, filium hominis Christique vicarium non habere, ubi reclinet caput. Maius expecto praemium hoc mundo, stultissimum esse arbitror propter vitam vivendi perdere caussas. Habent me puerum, solitarium, ad mortem paratum. O me felicem, quando reverendi, amplissimi, reverendissimi, maximi, servi mihi erunt, non enim me occidere poterunt, ut non me corpore exonerent, viam mihi ad salutem faciant, ac per hoc serviant. Vale, patria, animo meo charissima, in libertate spiritus gratiae, ab otiosorum tyrannide liberata. Amen.

III. Editio Basileensis repetita secunda de anno 1521 in folio, ps. I — XXI. complectens.

MARTINI | Lutheri | piae ac doctae | operationes | in duas Psalmorum | decades. | Iam secundo recognitae. | Inuenies hoc tomo. | De Impiorum nominibus. | De Vanitatum doctoribus. | De Spe et passionibus. | De nomine Dei. | De Praedicatoribus. | De Fide et operibus. | De Cerimonijs. | Nomina virtutem uel potentiam He | braeis significantia. | Atque alios id genus locos magno spi | ritu et eruditione tractatos. | In fine operis legitur p. 449. b: Adam Petri | lectori. | Lucubrationum omnium Lutheri in Psal | terium finis, nam diabolus Rhomanensium ministerio, eū a tam | sanctis laboribus abripuit, sed hoc astu

seipsum, ut semper, fallit, alia enim per | eum divinae bonitati placuit agere et satis in Psalterium laborum exhausit, | nam ita aperuit tibi ianuā, et induxit te, ut iam sine paedagogo liber in eo passim versari, et sine cortice tutus nare possis, ut nō magnopere | optandū sit huc | Lutherum, iam alijs, agitante spiritu Christi, occupatum, redire. Oremus mo | do omnes ut impleatur in eo voluntas domini, qui ponit terminū flucti | bus maris, id est impiorum furoribus. Vale, et eme in uno illo omnes | omnium in Psalterium Commentarios. Te, optime lector, non | deterreat ab hoc, quod Lutherus alicubi vehementior est, Nihil | est hic vel seditiosum, vel quod cuiquam noceat, alias ego non | impressissem, qui Ecclesiae tranquilitatem om | nibus meis bonis redimere, si possem, nō | dubitarem. Ex aedibus meis, men | se Augusto Anni Vicesi | mi primi. | Folio ultimo sequitur Lutheri epistola ad Pelicanum et signum typographi. Basileae, apud Adam Petri, | Anno M.D. XXI. | 244 Folia, ultima pagina vacua. Inscriptio operis figuris ligno incisis circumdata est. (Riederer I. 184.)

In collectionibus.

Vuittemb. III. 131. Jen. II. 1. Nos textum curavimus secundum editionem principem Nr. I.

OPERATIONES

F. MART. LUTHERI

IN PSALMOS, VITTENBERGENSIBUS THEOLOGIAE STUDIOSIS PRONUNTIATAE.

OPERATIONES

F. MART. LUTHERI

IN PSALMOS, VITTENBERGENSIBUS THEOLOGIAE STUDIOSIS PRONUNTIATAE.

---

vicem rependant beneficii, testatumque relinquant gratum animum iis, a quibus sunt bene accepti. Mihi vero, illustrissime princeps, nulla harum rationum suppetit, primum, quod non ignorem talia non esse, quae molior, ut patronum mereantur, et in hac parte non infeliciter habeo, quod hanc saltem inscitiam meam non ignoro. Quodsi quam maxime praestare possem, quod nuncupatione dignum esset, neque sic anxius esse vellem, quo patrono servaretur. Quin postquam e sacris literis didici, quam sit res terrore et periculis plena, in ecclesia Dei sonare et in eorum medio loqui, quos scias in novissimo judicii die judices tuos futuros (nam hos praesentes calumniatores non ita metuo) atque id praesente inspectore omnium Deo, spectantibus angelis, videntibus et audientibus cunctis creaturis, et ad verbum Dei aures arrigentibus (sic enim fas est credere, omnia revereri verbum Dei, per quod facta sunt, praeter hominem et diabolum, qui per ingratitudinem obsurduerunt), nihil profecto magis optarim, quam silentium, tum omnibus, quae unquam effutivi, spongiam. Durum est et horrendum, Deo reddere rationem de omni otioso verbo. Neque enim me in officio verbi retinet, nisi alienae, imo divinae voluntatis obedientia, mea voluntate, sicut semper abhorrui, ita nunquam in hanc usque horam accessi. Deinde quae fama, quae laus, quae nominis aeternitas ex me sperari possit illustrissimae dominationi tuae, cum tu is princeps sis, qui cum ceteris vere principis dotibus tum eximio literarum literatorumque amore tantum tibi nominis et gloriae pararis, ut non etiam Appion tibi, sed Appioni et omnibus, qui te celebrent, nominis immortalitatem sis daturus. Quis ignorat principem Fridericum in provehendis literis exemplum factum cunctis

principibus? Graecatur et ebraicatur sat feliciter Vuittemberga tua. Artes liberiores benigniore quam hactenus Minerva docentur, sincera Christi theologia triumphat opinionibus et quaestionibus hominum prope nihil neque opinantibus neque quaerentibus. Haec omnia florent tuis auspiciis, sumtibus, praesidiis. Utinam ecclesiastici magnates, quos harum rerum exempla maxime praestare oportebat laicis principibus, saltem laicorum exempla imitarentur, scilicet, adeo infeliciter cessit opulentia et potentatus ecclesiae. Jam vero, quid gratificer tuis in me amplissimis beneficiis, quae omnia in nihil merentem collocasti? Tuis impensis capiti meo insano impositum est insigne illud ostentationis meae, cujus me pudet, et tamen gestari oportet, ita volentibus iis, quibus me audire par est. Sed quantis et illud monstrum meum, quod ex indulgentiis mihi natum est, curis, officiis, sumtibus, denique et periculis constitit dominationi tuae? Scit universa tua ditio, longe majorem principi pro me sollicitudinem, quam mihi ipsi fuisse. Ego, pro mea temeritate, aleam jeci, extrema semper tentare et exspectare paratus. Nam et hac occasione fore sperabam, ut docendis aliis submotus angulum mihi invenirem, deserto, quod odiebam, publico. Sed perstitit tuae celsitudinis officium, et cum ego cuperem pati, quae illi ardebant inferre, neutris cessit, quod cupitum est. Sed nondum finis, placet tamen interim eventus iste, vel hoc nomine, quod nulli christiano non debeat esse molestissimum; tantum in ecclesia Christi quorundam audere impudentiam, ut sub nomine venerabilis potestatis ecclesiae, suis foedis cupiditatibus praesumant successum. Et quo quis pontificum est clementior, melior, eruditior, eo isti impii impostores majora sibi pollicentur portenta sub ejus titulo promo-

venda. Nam quot manifestis mendaciis in hac una levicula causa sacrum Leonis decimi nomen ad terrendum unum fraterculum dirasque suas tyrannides stabiliendas profanarunt conspurcaruntque! Quanquam nec hoc adeo mirum est, si sunt, qui nomen summi pontificis prostituunt et in vanum assumunt. Fecerunt idem eorum patriarchae, falsi prophetae, pseudoapostoli, pseudochristi, qui etiam nomen sanctum Dei et Christi suis mendaciis servire coegerunt. Itaque mira Dei dignatione et servatus est purissimus honor Romanae ecclesiae, reverentia summi pontificis custodita est. Sycophantis tantum belle et feliciter contraitum est, ut aliquando discerent, Deum adhuc vivere et regnare, qui illusores deludat. Hic, inquam, Deus et dominus noster Jesus Christus, cujus solius sunt omnia, quae in te, illustrissime princeps, admiramur, eadem agnoscat, augeat et servet in aeternum. Sic orationem pro gratiarum actione persolvo, quando aliud non possum. Proinde, quod has meas operationes, qualesquales sint, operationes certe sunt (nam interpretationes aut commentaria non audebam dicere, conscius mihi meae suppellectilis), illustrissimae tuae dominationis nomine edere voluerim, nulla fuit causa, quam meus amor. Compertum enim habeo, quam pure et caste deamet cor tuum sacras literas, et cor meum (ut Deborae verbis utar) hos principes diligit. Et cur non recitem, quod hic cogito, amoris mei hujus argumentum, ut videant ii, qui sacrarum literarum titulo jactitantur, quantum distet hypocrita a vero theologo. Retulit olim optimus ac vere mihi in Christo reverendus pater meus, Joannes Staupitius, cum apud dominationem tuam conversaretur, incidisse aliquando sermonem de iis, qui ad populum declamant, tum quae est tui judicii

mira acrimonia, te dixisse, conciones illas, quae argutiis et traditionibus hominum constant, mire frigere, ac ad persuadendum in rebus nostris elumbes et eviratas esse, quando nihil potest tam acutum adduci, quod non rursus alia argutia possit convelli. Scripturam vero sanctam unam esse, quae tanta majestate et energia, etiam citra nostram operam, sonet, ut captis consumtisque mox omnibus machinis disceptationis urgeat et cogat dicere: „Nunquam sic locutus est homo. Hic digitus Dei est, non enim docet sicut scribae et pharisaei, sed sicut potestatem habens.“ In quam sententiam cum ille non illibenter pedibus ivisset, et commendasset, tum te porrecta manu, manum illius postulasse, et dixisse: Stipulare mihi quaeso, ita perpetuo te sensurum. Obsecro, an non haec vox et sententia vel sanctissimum et summum pontificem deceret, eoque magis, quo non voce tantum, sed affectu quoque cordis prolata perspicue cognoscitur? Quid? an nondum videmus, qui sint veri theologi? Pudeat tandem theologos et juristas, eos maxime, quibus sacrae literae paene ridiculum sunt, et qui consarcinatis infinitis glossis pestilenter palpant iis, qui, quidquid dixerint, verbum Dei videri velint (sicut et divus Hieronymus conqueritur), quasi Christus ad Petrum dixerit: Jube, aut praecipe, aut doce, ac non potius: „Pasce oves meas,“ hoc est: Illud trade, quo pascuntur, pascuntur autem solo verbo Dei, non opinionibus aut traditionibus hominum. Porro quam vere dixeris nihil posse tam argute proponi, quod non rursus possit retundi, miserum illud pristinum abunde docet, in quo Scotistae, Thomistae, Albertistae, Moderni, et singuli in suas quoque sectas divisi tempus perdunt. Hae fateor historia jucundissima, illustrissime princeps, cum

totus in amorem tui raptus. Nescio enim, qui fiat, ut, quoscunque sacrarum literarum amantes audio, non possim non diligere, rursum perversores et contemptores earum non odisse, ita, ut in utramque partem amoris impatientia sim nimio vehemens et, ut amici illi mei criminantur, mordax et vane gloriosus. Sed criminentur me ut volent, nomina mihi possunt vel mala vel bona imponere, sive primae, sive secundae, aut etiam tertiae intentionis, imo impositionis (ne quid peccem in dialectica eorum), rem ipsam theologiae nunquam auferent, nec amorem illius exstinguent Christo propitio. Scio, quid mihi fecerit scholastica theologia, scio rursum, quid ei debeam, gaudeo me erutum, et gratias ago Christo domino meo. Non est, quod me doceant eam, novi eam, nec quod concilient mihi eam, nolo eam. Patere ergo, illustrissime princeps, et hoc meo dones amori, rogo, quod hunc libellum sub tuae dominationis titulo emittere volui. Jam secundo in Vuittenberga tua psalterium profiteor, urgentibus et exigentibus optimis auditoribus, quibus debitorem me esse non possum negare, verum ita profiteor, ut nolim ab ullo id de me praesumi, quod nullus adhuc praestare potuit sanctissimorum et doctissimorum patrum, id est, psalterium in omnibus legitimo sensu suo intelligere et docere. Sat est aliquot et eosdem ex parte intellexisse, multa sibi reservat Spiritus, quo nos semper discipulos habeat, multa solum ostendit, ut alliciat, multa tradit, ut afficiat, et (ut Augustinus praeclare dixit) nullus unquam ita locutus est, ut ab omnibus in omnibus intelligeretur: multo magis ipse Spiritus sanctus solus omnium suorum verborum intelligentiam habet. Quocirca ingenue confiteri me oportet, me ignorare, legitimam habeam necne intelligentiam psalmorum, etsi veram

esse non dubitem, quam trado. Nam et omnia, quae b. Augustinus, Hieronymus, Athanasius, Hilarius, Cassiodorus, et alii super psalterium contulerunt, verissima sunt, sed a sensu literae quandoque remotissima. Et mea quoque secunda haec professio a prima longe lateque diversa est, nec est liber in bibliis, qui me diligentius exercitarit, donec in eam sententiam venerim, oportere nullius interpretationem, modo pia sit, rejicere, nisi talionis lege rursum quis optet rejici. Defecit ille in aliquibus, tu in pluribus, nonnulla video, non visa b. Augustino, rursum multa visuros scio, quae ipse non video. Quid ergo reliquum est, nisi ut mutuum juvemus, labentibus tanquam et ipsi vel lapsi vel lapsuri ignoscamus? Ne illi hominum generi longe deterrimo et foedissimo accenseamur, qui ipsi cum fere nihil possint non reprehendendum efficere, si quem illustriorem vel flocco ceu ramus apprehendere possint, mox Pompejanos triumphos sperant. Scio esse impudentissimae temeritatis eum, qui audeat profiteri unum librum scripturae a se in omnibus partibus intellectum. Quin quis audeat praesumere unum psalmum rotunde ab ullo intellectum. Vita nostra initium et profectus est, non consummatio, ille melior, qui ad spiritum propius accesserit. Si attigero lunam, non mox et solem me apprehendisse arbitrabor, sed nec stellas minores fastidiam. Sunt gradus in vivendo et agendo; cur non et in intelligendo? Apostolus transformari nos dicit de claritate in claritatem, et, ut dicam, quod res est, tantum illis servio, qui haec ignorant et volunt, tum id saltem praestitisse juvabit, quod melioribus studiis et me et auditores meos interim occuparim, quam si super libros sententiarum novas tenebras et nubes et muscas creassem! Est autem is liber, meo

judicio, diverso ab aliis libris argumento. In ceteris enim docemur et verbo et exemplo, quid agendum sit, hic non modo docet, sed et modum et usum tradit, quo verbum impleamus, et exemplum imitemur. Non enim nostrae opis est, legem Dei implere, aut Christum imitari, sed orare et desiderare, ut faciamus et imitemur, ubi vero impetravimus, laudare et gratias agere. At quid aliud psalterium est, quam oratio et laus Dei, hoc est, liber hymnorum?

Itaque optimus Spiritus Dei, pupillorum pater et infantium magister, cum videat nos nescire, quid aut quomodo orare oporteat, ut apostolus dicit, adjutans infirmitates nostras, more paedagogorum, qui pueris concipiunt epistolas vel oratiunculas, quas ad parentes scribant, ita nobis et verba et affectus praeparat hoc libro, quibus patrem coelestem alloquamur, et oremus de his, quae in reliquis libris facienda et imitanda esse docuerat, ne quid homo desiderare possit, quod ei ad salutem suam opus esset. Tanta est cura et benignitas Dei in nos, qui est benedictus in aeternum. In quo vivat et valeat dominatio tua clementissima, hic et in perpetuum. Amen.

Vuittenbergae, sexto calen. Aprilis.
Anno M. D. XIX.

THEOLOGIAE STUDIOSIS
PHILIPP. MELANCH. S.

Gratulor vobis, theologi, imo vero universo nomini christiano, literas, easque potissimum, quae ad pietatem pertinent, mirum in modum felici successu brevi auctas,

nedum renatas, strenue interim reclamantibus ac ferme fulminantisque obnitentibus iis; quibus et literarum casum et adulterinam istam opinionum theologiam debemus. Atque adeo beneficium coeleste piis mentibus agnoscamus ac adoremus, quo ecclesia mihi, cum annos prope quadringentos Babyloni captiva servierit, spem libertatis christianae jam tandem aliquam concipere videtur. Etenim, nisi me fallit animus, nullum fuit in ecclesia neque praesentius neque vulgarius malum, quam hoc ipsum, quod prope desertis evangelicis literis sophisticas didicimus, in traditionibus, formulis casuum et summis, ut vocant, tantisper versati, ut ne senibus quidem otium ad Christi doctrinam fuerit. Neque enim audeo dicere, quam ex apostolico vivendi genere multa scholae antiquaverint, ut saluberrima praecepta ac vere christianae pacis symbola, ceu ordine mota, in consiliorum numerum coegerint, et id genus alia. Verum ab iis benignitate op. max. Dei asserunt nos, qui sinceram ac nativam theologiam in mediam lucem revocant. Erasmo Roterodamo debemus cum graecae tum latinae linguae studium, debemus item, ut pleraque omittam, illustratam novi testamenti lectionem, debemus et Hieronymum. Capnioni praeter multa cedunt ebraica. Suae cum in graecis tum ebraeis laudes sunt Volfgango Fabricio et Joanni Icolampadio. Aliquot frigidas scholae sententias Andreas Carolostadius pari fide et cura confutavit. Et quid singulos commemoro? Passim ab optimis quibusque multa scribuntur, quibus bonae mentes revocari ad evangelica studia possint. Plurimum puto efficiunt, qui in divinis scripturis enarrandis versantur, et in his praecipui, qui eos libros interpretantur, qui vulgo maxime nocentur minime intelliguntur. Non hoc dico, quod e sectis et

canonicis libris non sint pari apud me loco omnes, sed quia vulgo quidam frequentius leguntur, et quorundam talis est conditio, ut in reliquos vel elenchi vel commentarii vice esse possint. Ut in Paulinis epistolis ejus, quae ad Romanos scripta est, scopus velut Atticus Mercurius ad reliquas iter indicat, ita alios libros aliis cum vulgi usus tum argumentorum series praefert. Ceterum auctoritas eadem omnibus est. In eum modum reliquis fere scripturae libris psalmi anteferuntur, non modo ob publicum ecclesiae usum, sed hoc etiam, quod universam prope sacram historiam passim perstringunt. Deinde vaticinia de Jesu salvatore, de vocatione gentium, de ecclesia Christi adeo perspicuis carminibus celebrant, ut hac laude multo etiam David antecedat reliquos prophetas. Demum, ut ex literis historicis rerum gestarum legisque scientia petitur, ita ex Davide vis et energia historiae, quae animos nostros per harmoniam psalmorum expergefacit, et impetu quodam percitos rapit ad coelestia. Atque hoc habent psalmi velut γνήσιον, ut exempla sacrae historiae omnibus nostris affectibus tranquillandis componant. Quid enim prodest scire, mundum a Deo conditum esse, ut Genesis indicat, nisi conditoris misericordiam et sapientiam adores? Deinde quid profuerit scire misericordem et sapientem Deum, nisi in animum inducas tuum, tibi misericordem, tibi justum, tibi sapientem esse? Atque id est vere novisse Deum, neque vero extremam hanc cognoscendi Dei rationem assecuta est philosophia, christianorum propria est. Verum hanc suavitatem distillat in pios animos psalmorum spiritus, et haec illa coelestis harmonia, quam Spiritus Dei temperat. Nihil est, quod vetustas gentilium opodas mihi suas aut Orphei hymnos jactet, longe sunt hujus cytharae

voces alias, quae hominum animos ita coelo sociant, ut plane in divina transforment. Proinde Martinus Lutherus sacra carmina commentario illustravit, quem vel hoc studiosis commendatiorem volumus, quod, cum in Davidem ab aliis alia scripta sint, pauca referant tamen illius faciem. Hic quid praestiterit, periculum faciet, qui diligenter cum veteribus iisque optimis omnia conferet. Interim, lectores, vestrum erit, Lutheri fidem ac diligentiam boni consulere, ac eo niti, ut ad lectionem horum puras mentes afferatis, humanis affectibus imperatis, in summa, ut Christi literas Christo duce legatis. Valete.

Vuittenbergae in Saxonibus mense Martio. Anno M. D. XIX.

OPERATIONES

F. MARTINI L.

IN PSALMOS, VITTENBERGENSIB. THEOLOGIAE STUDIOSIS PRONUNTIATAE.

F. MARTINUS LUTHER

THEOLOGIAE STUDIOSIS S.

Scio non defuturos, optimi theologi, qui arrogantiae, tum jam inveterati criminis vanae gloriae me accusent, quod hoc florentissimo saeculo ego in publicum prodeo,

at ita predeo, ut librorum sacrae scripturae facile nobilissimorum et difficillimorum me tractatorem ostentem, nempe psalterii et epistolarum Paulinarum, praesertim cum apud eruditos infantissimus, apud alios apostata et discessor a receptis aliquot annorum glossis inveniar. Verum credat, qui volet, et me malle in angulo meo susurrare, quam lingua per regiones vagari. Optime mihi conscius sum et ignorantiae et vitae meae pessimae. Creditum est me in hoc servire Deo, servire cum multis tum praecipue vobis. Ego hoc video, non esse theologum, qui magna sciat et multa doceat, sed qui sancte et theologice vivat. A qua vita quo sum alienior, eo magis mihi displicet mea professio.

Quare vos per communem nostram theologiam oro, criminentur qui me volent, et quibus nominibus volent, quando eo mihi res venerit, ut gravioribus intento, ut mihi gloria, infamia, divitiae, paupertas, aut si quid homo homini praestare nocereve potest, inter vulgares tentationes numerentur, hoc vos agite, et ubi vere urgeor, pro me orate, hoc est, ut Christo christianum exhibere possim, et sanctum nomen ejus in me sanctificare. Valete in Christo.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.

Communis mortalium de beatitudine quaestio est, neque ullus est, qui non optet esse bene sibi, odiatque male esse sibi. Attamen omnes, quotquot sunt, aberraverunt a verae beatitudinis notitia, atque ii magis, qui maxime eam inquisierunt, ut philosophi, quorum nobiliores in virtute aut opere virtutis ipsam collocaverunt, quo ceteris facti infeliciores se et hujus et futurae

vitae hominis pariter privarunt. Vulgus etsi crasse delirabat, in voluptatibus carnis beatum esse cupiens, saltem hujus vitae bonis potitum est. Hic autem de coelo tonans, omnium studia detestatus, unicam beatitudinis omnibus ignotam affert diffinitionem, beatum esse, qui legem Dei diligat. Brevis diffinitio, sed quae contra omnium hominum sensum, praesertim sapientium, sapiat. Sed primo grammatica videamus, verum ea theologica.

Ebraeus numero plurali dicit אַשְׁרֵי, beati vel beata, ut, beata viri, qui non abiit, ac si dicat: Omnia bene habent viro illi, qui etc. Quid disputatis? quid vana concluditis? Illud unicum margaritum si quis vir invenerit, ut legem Dei diligat, et ab impiis separatus fuerit, hujus omnia sunt optima. Quo non invento quaeret omnia bona, nec unum inveniet. Ut enim mundis omnia munda, ita diligentibus omnia dilecta, bonis omnia bona, et in universum, qualis tu es, talis et Deus ipse tibi, nedum creatura. Siquidem Deus electo electus est, perverso perversus, sanctus sancto; ita nihil bonum ei, qui malus est, nihil jucundum, cui lex domini injucunda est.

Vir in scripturis triplieiter dicitur, aetatem, sexum virtutemque significat. Aetatis nomen est 1. Corinth. 13.: „Cum factus sum vir, evacuavi, quae erant parvuli." Sexus, Matth. 1.: „Iacob genuit Ioseph, virum Mariae." Ioann. 4.: „Vade, voca virum tuum." Virtutis, 1. Reg. 26.: „Ait David ad Abner: Numquid non vir tu es?" Atque hoc tertio modo hic beatus vir dicitur, ne muliebrem sexum ab hac beatitudine excludat.

Abiit, aptius ebraice לֹא הָלַךְ, non ambulavit, non ingressus est, non incessit, quod et graecum οὐκ

ἐπορεύθη habet. Notum autem est, apud scripturas ambulare et ingredi μεταφορικῶς significare, quod vivere seu conversari, ut Psal. 15.: „Qui ingreditur sine macula;" et 101.: „Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat." Roma. 8.: „Nihil damnationis iis, qui non secundum carnem ambulant."

Consilium hic sine dubio pro decretis et doctrinis accipitur, cum nulla stet hominum conversatio, nisi certis decretis et legibus formetur serveturque. Tangit autem eo verbo impiorum superbiam et perditam temeritatem. Primum quod non in lege domini dignantur ambulare, sed proprio se regunt consilio. Deinde consilium appellat, quod prudentiam sonat, et viam, quae errorem nesciat.

Nam haec est perditio impiorum, quod in oculis suis prudentes sunt, et apud semet ipsos, quod errores suos specie vestiunt prudentiae et viae. Si enim manifesto errore tentarent homines, non magna beatitudinis laus erat, non ambulare cum eis. Non enim dicit: In stultitia impiorum, in errore peccatorum. Monet ergo nos quam diligentissime, ut a specie boni caveamus, ne angelus Satanae transfiguratus in angelum lucis seducat nos astutia sua. Opponit autem consilium impiorum legi domini, ut discamus attendere a lupis in vestimentis ovium, qui prompti sunt omnibus consulere, omnes docere, omnes juvare, cum nihil minus possint.

Impius, qui ebraice רָשָׁע dicitur, rectissime apud sanctum Hilarium is dicitur, qui male de Deo sentit, impietas enim proprie vitium incredulitatis est et corde perpetratur, sed varie et inconstanter est translatum. Tu ergo haec duo semper contraria habeto, fidem Dei et impietatem, sicut legem Dei et consilium hominum. Nam quando de pietate et impietate agimus,

non de moribus, sed de opinionibus agimus, hoc est, de fontibus morum. Qui enim orthodoxus in Deum est, non potest nisi bona facere, bonos mores praestare. Quodsi etiam septies in die cadit justus, toties tamen resurgit. At impii coruunt in malum, et non resurgunt. Hi quia increduli sunt, nullum opus bonum faciunt, totum autem, quod agunt, pulchra species est, umbra illa Behemoth, qua et se decipiant et simplices alliciant. Igitur pius est, qui ex fide vivit, impius, qui in incredulitate vivit.

Peccatorem autem jam videre licet. Hic est exterior homo impii, nam consilium et impium in corde absconditum non vides. Itaque de operibus, moribus, studiis, quae ad extra fiunt, loquitur, et hanc viam vocat, quod jam consilium in usum et (ut dicunt) in praxim venerit, et quod intus male sentiunt, foris quoque operentur. Verum haec via, ut dixi, fere speciosior est semper quam piorum via. Nam crassos illos peccatores quisque sine hoc monitorio facile cavet, aut saltem cognoscit.

„Stetit," pertinaciam signat, duramque cervicem, qua erecti excusant se verbis malitiae, facti incorrigibiles in impietate sua, quod pietatem eam existiment. Stare enim tropo sacrorum firmum esse significat, Ro. 15.: „Domino suo stat aut cadit, stabit autem, potens est Deus statuere illum." Inde columna a stando heb. dicitur, sicut latinis statua. Haec enim impiorum est excusatio et obfirmatio, quod sibi recte vivere videantur, et speciosis operibus fulgere prae ceteris.

„Cathedra," „sedere in cathedra," est docere, magistrum ac doctorem esse. Matth. 23.: „Super cathedram Mosi sederunt scribae etc." Sic sedere in throno, regnare

seu regem esse, ut in libris Regum frequens est: „Sedere in solio," principem esse, „sedere in tribunali," judicem esse.

„Pestilentia," etsi non est ad verbum translatio, satis bona energia redditum est, nam heb. illusorum derisorumve habetur. Sunt autem illusores, quos per Psalterium dolosos et linguam dolosam accusat, ut qui sub specie sanae doctrinae venenum erronei dogmatis propinant. Neque enim pestilentia in corporibus tam contagiosa, quam impietatis doctrina in mentibus. „Sermo eorum, inquit apostolus 2. Timoth. 2., ut cancer serpit." Sicut autem sapientes vocantur sanitas orbis terrarum (Sap. 6.), ita impii illi recte pestilentia orbis terrarum. Quae autem nocentior illusio, quam animabus puram veritatem esurientibus venenum mortiferum dare?

Igitur juxta vulgatum per ecclesiam usum, quo vita bona distinguitur in fidem et mores, illa pios vel impios faciente, istis peccatores vel sanctos, etiam hic describit hos duos gradus, et eis addit tertium. Quia, quo proficeret impietas, non habuit, postquam hominem intus in opinionibus et foris in moribus infecerat, ideo proruit et alios secum trahit in eandem perditionem, non sibi contenta, quod impie saperet et male viveret, nisi et impietatem alios doceret. Haec de grammatica.

Inprimis id in scripturis observandum, quam prudenter abstineat a nominibus sectarum et personarum. Nam cum hoc Psalmo sine dubio Iudaeorum populus taxetur primo, sicut ait apostolus: „Iudaeo primum et Graeco;" et Ro. 3.: „Scimus quoniam, quaecunque lex loquitur, his, qui in lege sunt, loquitur;" non tamen dicit: Beatus Iudaeus, aut beatus ille vel ille, nec: In consilio gentium, horum vel horum, sed abso-

lute: „Beatus vir," et: „consilium impiorum," „via peccatorum," „sessio illusorum etc.," quicunque illi tandem sint, quia non est acceptio personarum apud Deum.

Et hoc fieri fuit summe necessarium, ut verbum Dei, cum sit aeternum, omnibus omnium hominum saeculis conveniret. Nam etsi varient per tempora mores, personae, loca, ritus, eadem tamen vel pietas vel impietas transit per omnia saecula. Sic videmus prophetas adversus falsos prophetas, apostolos contra pseudoapostolos, doctores contra haereticos eisdem scripturis usos, cum tamen nec prophetarum nec apostolorum nec doctorum aut suorum adversariorum nomen, sed piorum et impiorum in illis invenirent.

Deinde, ne si unius personatus nomen assumeretur, jam reliqui non *) ad se pertinere crederent, quod malum dicitur, aut ad se solos pertinere, quod bonum dicitur, sicut Iudaei sibi inflectunt, quidquid boni semini Abrahae et Israeli promissum est, contra quos certe hic Psalmus primo irruit, ut dixi. Quare et nos exemplo sanctorum patrum Psalmum ad eandem generationem, quae nobiscum agit vitam, trahamus, imo sequamur potius, ut qui nos praevenit, omnes impios arguens, et a nobis inveniatur hoc agere, magis quam cogatur.

Dicit ergo: „Beatus vir, qui non abiit," id est, quando tot millia impiorum circum nos sunt, ut possis illud dicere. Ps. 12.: „Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus, pauci facti sunt fideles in hominibus;" ut et Micheas 7.: „Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est," nonne beatus ille et vere vir robustus in fide, qui cum tanta turba non ambulat per

*) In edit. princip. deest: non.

viam spatiosam, deinde ab eisdem patitur opprobria et multa mala, nec sic tamen consentit, ut cum eis ambulet, et quod vel electos in errorem duceret, pulcherrimo consilio impiorum non fallitur? Multum est divitiis, voluptatibus, honoribus non vinci, sed summum victoriae genus, sapientiam et justitiam speciosissimam impiorum superasse, quibus pura fides maxime omnium oppugnatur.

Notabis autem haec verba Psalmi esse verba fidei, ut quae non loquantur de hominibus secundum quod videntur, nam sic (ut dixi) nemo eos impios esse putaret. In spiritu loquitur propheta, ubi hoc etiam impium est (quia fide vacuum), quod apud homines omnium piissimum, sicut Eccle. 8.: „Vidi impios sepultos, qui etiam, cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate, quasi justorum operum," et Ps. 37.: „Vidi impium exaltatum, sicut cedrum Libani." Terribilia sunt haec, quis impietatem ibi et tam profunde quaereret?

Sed audi, Psalmus iste non tantum impios taxat et peccatores, nam omnis homo extra Christum impius et peccator est, sed eos potissimum, qui duplici peccato peccant, ut qui, cum impii sint, non hoc agnoscunt, insuper consilium parant, in quo ambulent, et impietatem colorent. Nam non dixit: Beatus vir, qui non ambulat impius, aut non stat peccator, sed: „In consilio impiorum et via peccatorum," ut quibus non satis est, quod impii sunt, etiam justi et sancti esse volunt, addentes impietati speciem pietatis.

Quos autem putas nostro saeculo tangat? Ego non ausim personatus nominare, ne in quorundam sacerdotum, religiosorum, episcoporum implacabilem charybdim impingam. Nam semper fuit hoc genus impiorum

hominum impatientissimum verbi Dei, coelumque replevit martyribus, non alia causa, quam quod se obsequium Deo praestare arbitrarentur, et pro pietate certare sibi visi sunt, veros pios impietatis pertinacissime accusantes.

Scito tamen, et non dubites, hos tangi, qui solis ceremoniis, ritibus aliisque pompis pietatis lucent, vestibus, cibis, locis ac temporibus, aut ad summum operibus et orationibus pietatem metientes, praesertim illi, qui pro suis observantiis, privilegiis, dignitatibus, potestatibus, juribus in implacabiles discordias sese dividunt, et quodvis facere ac pati promti sunt, quam mutua caritate invicem cedere et humiliari. Hos esse impios istos, hoc argumento deprehendas, quod securi fidentesque sunt in vita sua, nec est timor Dei ante oculos eorum.

Nam hic esto tibi canon perpetuus et infallibilis, atque (quod ajunt) Lydio lapide certior, quod proprium est impiorum, Deum non timere, secure de misericordia ejus (sicuti putant) omnia praesumere, piorum autem, cum Iob omnia opera sua vereri, in nulla sua justitia confidere, et sanctitatem suam pro stercore ducere, ideo non posse pro ea certare, se justificare aut vindicare, sed dignos esse se omnium odio et vindicta. Itaque dixi, fidei oculis et auribus opus est, ut haec verba Spiritus audias, et eorum rem videas. Homo enim non potest ea intelligere.

Non autem existimes me cerimonias et bona opera damnare, sed opinionem, fiduciam, studium illorum pestes voco, quod iis fieri videmus, ut in sectas, iras, detractiones, et infinita monstra peccatorum ruant, quae omnia tegunt nomine pietatis, velo consilii sui,

specie dogmatum suorum. Si enim in humilitate fierent, bona certe essent.

Et in via peccatorum non stetit.

Postquam enim impietate fidem violarint, quid restat, nisi ut opera eorum sint mala et peccata? Et quomodo, inquies, sunt opera Iudaeorum, haereticorum, superborum mala, cum jejunent, orent, benefaciant, et reliqua, quae nullus hominum mala audet dicere, operentur?

Dixi, quod fide opus sit, eo pejora sunt illa opera, quod impietatem confirmant, et stare ac perseverare faciunt in via ista peccati. Peccata autem sunt, quia de impietate cordis procedunt. „A mendace, inquit sapiens, quid verum dicetur? et ab impio quid pium fiet?"

Christus tamen nos pulchre hic erudivit, quando ex fructibus eorum cognoscendos docuit. Duplicia enim habent opera, alia, quae vocat vestimenta ovium, quae non sunt eorum fructus proprii, sed simulata juxta consilia et vias suas. Verum ubi eos tetigeris et adversatus fueris, en hic proruunt proprii eorum fructus, ira, tumor, clamor, superbia, detractio, maledictio, excusatio, invidia, blasphemia, et similia portenta. Neque enim alios fructus de iis spinis, quam spinas has acutissimas colligas. Tales vides et nostros ceremoniales justitiarios.

Et in cathedra pestilentiae non sedit.

Id enim deserto Christo faciunt Iudaei, sub quorum labiis venenum aspidum insanabile, et fel draconum vinum eorum. Necesse est enim, ut contra Christum doceant, qui non Christum docent. Hos sequuntur

haeretici, alio nomine quidem et persona, sed eadem impietate pestilentes.

Et ad nostra veniendo, cathedram pestilentiae possident, qui opinionibus philosophorum, traditionibus hominum, consiliis capitum suorum replent ecclesiam Christi, opprimuntque miseras animas, omisso interim verbo Dei, quo solo pascitur, vivit, servatur anima. Quo fit, ut homines aliam justitiam ignorent, quam quae operibus paratur, haec autem est impietas et peccatum coram Deo. Impossibile est enim, ut sine periculo opera legum doceas quarumcunque, nisi meliore parte doctrinae et majore studio prius fidem docueris in Christum. Paulus undecim capitulis ad Ro. fidem fundat, et quinque capitulis deinde mores superaedificat, ad Galatas quinque fidem, uno et sexto mores docet. Sic et in aliis quoque epistolis facit. Christus in evangelio nonnisi fidem quaerit.

Sed in lege domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Grammatica theologica.

„Legem domini“ (ut semel scias) vide ut ubique longissime latissimeque distinguas a legibus quorumlibet hominum, totaque cura observes, ne in unum chaos utraeque confusae (ut fit per pestilentiae doctores) te miserrime perdant, dum vel ex lege Dei faciunt traditionem hominum, aut ex traditione hominum legem Dei.

Exemplis id ostendemus. Lex domini est: „Honora patrem et matrem.“ Ex hac lege pharisaei fecerunt hanc traditionem: Munus, quod ad altare offertur, melius est, quam quod parentibus datur, ut legis Matth. 15. Rursum sic Deo in vero mandato contemto alio mandato suo proprio eum honorant ex lege sua

legem Dei statuentes: Lavari manus cum manducas, seniores tradiderant, at seniores non audire, id ipsum est, ac Deum non audire. Itaque dicit ibidem: „Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me, sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum."

Sic hodie invaluit, ut vocem pontificum et Romanae curiae solam audiendam cum tremore audacter pronuntient, interim omnibus Dei mandatis etiam irrisis, nedum contemtis, nec ab ullis hominum magis, quam ab illis ipsis curiae vocem tremendam jactantibus. Denique perduxerunt has impiissimas superstitiones in eas angustias, ut reperiantur passim sacrificuli, qui peccatum mortale arbitrentur, si sine stola, sine manipulo, aut alia observatione omissa sacrificent. Quodsi in canone missae lapsi sint, vel inviti, summum piaculum est. Sed pudet me recensere et alia sacerdotum et religiosorum ridicula conscientiarum terriculamenta, cum interim, si libidine, ira, invidia, avaritia, superbia multorum annorum tempore perierint ac Deum contemserint, ne sentiant quidem.

„Voluntatem" primum hic neque pro potentia neque pro stertente illo habitu, quem recentiores theologi ex Aristotele invexerunt, ad subvertendam intelligentiam scripturae, item neque pro actu, quem ex ea potentia et habitu elici dicunt. Non habet universa natura humana hanc voluntatem, sed de coelo veniat necesse est. Cum enim humana natura sit intenta et prona ad malum, ut divina dicit auctoritas, Gene. 8., lex vero domini sit bona, sancta, justa, sequitur, quod voluntas hominum sit adversaria legi, odiat legem, fugiat legem. Quodsi quandoque timore poenae aut

concupiscentia promissi simulet se diligere legem, manet tamen intus semper odium legis, nec potest eam gratuito diligere, non enim diligit, quia bona est lex, sed quia sibi commoda.

Est autem voluntas haec purum illud beneplacitum cordis ac voluptas quaedam in lege, quae non quaerit, quid lex promittat, nec quid minetur, sed solum id, quod lex sancta, justa, bona est. Est ergo non modo amor legis, sed etiam amans delectatio in lege, quam nullis prosperitatibus nullisque adversitatibus possit mundus et princeps ejus tollere ac vincere, sed per inopiam, infamiam, crucem, mortem, infernum victrix perrumpit, in adversitatibus enim maxime eminet.

Venit autem haec voluntas ex fide in Deum per Iesum Christum. Ceterum voluntas, quae metu poenarum extorquetur, servilis est et violenta, quae autem cupiditate praemiorum allicitur, mercenaria est et simulata. Illa autem liberalis, gratuita, hilaris, unde Christi populus, נְדָבוֹת hebraice, spontanei, voluntarii, liberales vocantur. Ex quibus omnibus liquet, quod hic Psalmus, nisi de solo Christo intelligatur, speculum et meta est, ad quam nitendum sit beato viro, cum nullus sit in hac vita, cui non aliquid hujus voluntatis desit, propter legem et voluntatem membrorum contrariam illi, ut apostolus Ro. 7. queritur, quae juxta theologiam crucifigenda est, juxta philosophiam vero pro virtute habenda.

„Meditari“ dicunt id esse, quod disserere, disputare, et omnino verbis exercere, ut Ps. 37.: „Os justi meditabitur sapientiam.“ Hinc b. Augustinus in sua translatione habet, garrire, pulchra sane metaphora, quod, ut garritus avium est exercitium, ita hominis (cujus est proprium officium sermocinari) exercitium sit ser-

mecinatio in lege domini. Sed et poeta meditari hoc modo accipit: Silvestrem tenui meditaris arundine musam. Non possum satis digne hujus verbi vim et gratiam commendare, consistit enim haec meditatio primum in observatione intenta verborum legis, deinde in collatione mutua diversarum scripturarum, quae est quaedam jucunda venatio, imo lusus cervorum in saltu, ubi dominus praepararit cervos, et revelarit condensa. Ex iis enim procedet tandem eruditus in lege domini ad populum sermo.

Exempli gratia, „non occides," si perfunctorie transeas, frigidum verbum est, et juxta literarum sonum opus homicidii prohibitum audies. At siste, et observa, quia non dicit: Non occidat manus tua, sed tu ipse. Quid autem es tu? Anima et corpus, habens tot vires in utroque, manum, linguam, oculos, mentem, voluntatem. Quando ergo tu occidere prohiberis, nonne jam neque manu neque lingua neque voluntate occidere doceris? quidquid enim horum occiderit, tu occidis. Non ergo irascendum, non male volendum, non maledicendum, non detrahendum, non facie avertendum, non contemnendum, non nocendum, nec noceri optandum, sed contra amandum, benedicendum, benefaciendum. Quid ergo? Nempe „non occidas," erit id quod non sis amarus et iracundus, sed dulcis ac humanus proximo tuo. Tum vide, quot loca scripturae de caritate, mititate, suavitate, benevolentia, bonitate, benignitate doceant, quae si adduxeris, nonne pulchre garriisti, et meditatus es in lege domini tui?

„Die et nocte" sive ad literam accipias, sive tropo quodam pro assidue, aut allegorice pro tempore adversitatis et prosperitatis, nihil refert. Nam et dormiens justus legem domini amat et cogitat.

Dicit ergo: Beato huic viro erit voluntas sua in lege domini, prorsus nihil videbit, amabit, odiet, bonorum malorumve, sed hac voluntate prorsus super omnia creata elevabitur. Quid igitur mirum, si beatus sit, qui coelesti hac voluntate praeditus nihil eorum sapit, in quibus colliduntur stulti beatitudinis aestimatores? Tum quia per hanc voluntatem jam unum cum verbo Dei factus (siquidem amor unit amantem et amatum), necesse est, ut gustet, quam bonum, suave, purum, sanctum, mirabile sit verbum Dei, summum scilicet bonum, quod illi gustare non possunt, qui vel manu vel lingua tantum sunt in lege, voluntate autem in sordibus rerum mersi. Sunt enim multi garruli, de lege domini multa loquentes, multa simulantes, multa quoque cogitantes, sed nondum amantes. Non dicit: Beatus vir, cujus lingua in lege domini, non cujus manus, non cujus mens aut speculatio, quibus inflantur et palpant se ipsos, quasi jam sancti et salvi sint.

Porro voluntas haec tota vita est hominis. Non est enim metuendum, ne ullo alio membro extra legem sit, qui voluntate hac, vitae fonte et capite, in illa fuerit. Quo enim amor fertur, huc sequuntur et cor et corpus. In quo iterum vide contrariam piorum et impiorum conversationem. Impii suam justitiam incipiunt ab extra, et tendunt ad intra. Primum opus simulant, deinde et verbum, postea et cogitationem exercent, et hec eorum summum fastigium, tum mox aliorum magistri, quidquid cogitant, dicunt, faciunt, sanctum ac divinum esse volunt, cum ad hanc secretam voluntatem nunquam pervenerint. Pii incipiunt ab intra, a sancta hac voluntate, tum sequitur meditatio, tandem et opus extra, post haec doctrina aliorum, ut videbimus.

„Et in lege ejus meditabitur die ac nocte." Non est sine damnatione meditatio, nisi prior sit voluntas, amor ipse per se docebit meditari. Verum haec voluntas desperatis nobis de viribus nostris per humilem in Christo fidem de coelo (ut dixi) petenda est. Hoc bene nota: Mos est et natura omnibus amantibus, de suis amoribus libenter garrire, cantare, fingere, componere, ludere, item libenter eadem audire. Ideoque et huic amatori beato viro suus amor, lex domini, semper in ore, semper in corde, semper (si potest) in aure est. Qui enim ex Deo est, verba Dei audit. „Cantabiles mihi erant, inquit, justificationes tuae in loco peregrinationis meae." Et iterum: „Et meditabor in justificationibus tuis semper."

At qui siliquas porcorum versant, qui de rebus naturalibus, de opinionibus hominum, de praebendis, de dignitatibus, de potestate ac privilegiis ecclesiarum, et infinitis his nugis garriunt die ac nocte, putas beati sunt viri? Imo longe miseriores, quam qui de puellarum amoribus aut poetarum fabulis garriunt. Hi enim sciunt se stulte agere, et aliquando poenitere possunt. Illi vero prudenter et sancte sese agere putantes impietati suae immoriuntur, et tandem jura sua, summam sibi injuriam et iniquitatem cumulasse, frustra poenitebunt. Non enim in lege domini meditantur.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Dixi beatitudinem hujus viri esse absconditam in spiritu, in Deo, ita ut nisi fide aut experientia cognosci non possit. Hoc esse verum liquide scies, si voluntatem ejus aestimes, in qua sola sua beatitudo est,

non in divitiis, non in honoribus, non in justitiis ac virtutibus suis, non denique in ullo bono, quod (excepta hac voluntate legis) intus et extra hominem nominari possit, quin potius in contrariis, in paupertate, in contemtu, in stultitia et omnibus malis, quae intra et extra hominem nominari possunt, ita ut quem hic propheta beatum praedicat, hunc mundus omnium suffragiis, solum omnium miserrimum judicat, sicut in Christo, horum beatorum capite et exemplari, vidit Isaias, dicens eum novissimum virorum. Non enim potest mundus et princeps ejus eum hominem tolerare, qui hac voluntate beatus esse volet, suasque beatitudines despiciat. Ideo raritatem eorum contemplatus incepit: „O beatus vir qui etc.“

Nunc descripto beato viro sua propria diffinitione declarat eundem non minus pulchra similitudine. Diffinitio certe absoluta fuit, ab omni malo eum asserens liberum, omni bono plenum (quod etiam vulgus beatitudinem vocat, sed in re praesenti, ille autem in fide). Ita et similitudo ab eodem malo liberum et bono plenum probat, quia enim beatus iste, in fide absconditus, demonstrari ad oculum nullo exemplo potuit. Sicut decet diffinitores facere, similitudine visibilis rei depingit, et quia figurate justum describit, non est in vocabulis immorandum.

Ego credo arborem palmae hic *περιφραστικῶς* describi. Nam et alius Ps. dicit: „Iustus sicut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur,“ ut quod ibi brevius, hic copiosius sit explicatum. Palma enim rivos aquarum amat (et ut Pli. ait), toto anno bibere, perpetuo viret, et dulcissimos fructus parit. Forte ex palmis, quae apud Hiericho ad Iordanem celebres sunt, hanc similitudinem assumsit, nam inde Hiericho urbs

palmarum quoque dici putatur. Multis enim et aliis locis scripturae Iordanis in mysteria servit, unde illud est: „Puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano."

Canonem hic tibi tradidit propheta ad allegorias arborum et fluminum in scripturis occurrentium intelligendas, arbor hominem, bona bonum, mala malum, sic Christus quoque docet, quanquam scio sanctiss. Aug., cum a Pelagianis urgeretur, ne ex fidelium conjugio nasci prolem inculpatam admitteret, per arborem voluntatem hominis intelligi velle, non hominem, et forte possit adjuvari, quod hic spiritualis homo describitur, qui potissimum ipsa voluntas seu spiritus est. At puto non minus et forte melius totum hominem arborem dici, radicem vero esse voluntatem, ramos membra et vires. Tamen non contendo.

„Plantatum est," inquit, in quo distinguit hanc palmam ab iis, quae sponte nascuntur, ut quae cura et cultu alieno, non sua natura, talis sit, scilicet ex ea, quae sponte et natura crevit, excisa, et arte sicut surculus alio plantata. Hoc est, quod dixi, voluntatem in lege domini nulli a natura inesse, sed agricolante et plantante patre coelesti, et nos ex Adam in Christum transferente, nobis e coelo conferri.

„Decursus aquarum," rivos certe gratiae divinae intelligit. Palma enim in levi, sabulosa, nitrosa salsaque terra crescere dicitur, ideo perpetuo rivis gaudet. Ita voluntas haec, radix hujus arboris, cum sit in vita hac arida, infructuosa, eo magis sitit aquarum coelestium rivos, quo minus invenit in mundo, quo vegetetur. Sic ille: „In terra invia et inaquosa." Et Isa. 53.: „Adscendet coram eo, sicut radix de terra sitiente." Nonne mirum est arborem in sterili terra crescere, solis rivis

aquarum nutritam? Et beatus hic, quo sterilior sibi mundus, eo sitientior erit aquarum coelestium. Non crescit in pinguedine terrae haec arbor, nec beatus in luxu mundi.

Alii scrutati sunt, cur lignum maluerit quam arbor dicere, item: „Dabit fructum,“ potius, quam: Feret fructum. In Genesi legimus Deum creasse lignum, non arborem, et hinc tropum servat scriptura, lignum pro arbore. Et dare fructum indicat hunc beatum virum caritate (quam in omni lege domini videmus praecipi) servire non sibi, sed proximis. Non est enim arbor ulla, quae sibi fructificet, sed dat fructus suos alteri, imo nulla creatura sibi vivit aut servit (praeter hominem et diabolum), sol non sibi lucet, aqua non sibi fluit etc.

Ita omnis creatura servat legem caritatis, et tota substantia sua est in lege domini, sed et humani corporis membra non sibi ipsis serviunt. Solus affectus animi impius est, hic enim non solum sua nemini dat, nemini servit, nemini bene vult, sed omnium omnia sibi rapit, in omnibus, in Deo ipso, quaerens, quae sua sunt, ut recte possis dicere hanc esse arborem spinam aut ramum sponte natam, nullius cultu fotam, neque rivis aquarum gaudentem, nihil praeter spinas afferentem, quibus omnium, quae circumstant, arborum fructus, ipsas quoque, pungat, laceret, suffocet, tum omnium, quae praetereunt, vestes, vellera, cutem, carnem, et omnia rapiat, vellicet, vulneret. Expressit itaque propheta beneficium bonarum arborum, quod, cum nulli noceant, omnibus prosint, suos fructus volenter dantes.

„In tempore suo,“ o aureum et amabile verbum, quo asseritur libertas justitiae christianae. Impiis stati sunt dies, stata tempora, certa opera, certa loca,

quibus sic inhaerent, ut, si proximus fame esset moriturus, non ab illis divelli possint. At beatus hic vir liber in omne tempus, in omne opus, in omnem locum, in omnem personam, utcunque sese obtulerit casus, tibi serviet, quodcunque invenerit manus ejus, hoc faciet. Non est Iudaeus, neque gentilis, neque Graecus, neque barbarus, nullius prorsus personae, sed dat fructum suum in tempore suo, quoties opus sit ejus opera Deo et hominibus. Ideo neque fructus ejus habet nomen, neque tempus ejus habet nomen, neque ipse habet nomen, neque rivi aquarum ejus habent nomen, unus non uni, nec uno tempore, loco, opere, sed omnibus ubique per omnia servit, estque vere vir omnium horarum, omnium operum, omnium personarum, et imagine sui patris omnia in omnibus et super omnia.

Impii vero, sicut Ps. 18. dicitur, clauduntur in angustiis suis, se ipsos captivant, et in operibus, temporibus, locis a se electis torquent, extra quae nihil rectum geri putant. Unde suorum fructuum aestimatores nihil faciunt, quam ut alienos fructus mordeant, judicent, damnent, liberrimi et in quocunque tempore promti alios reprehendere, et omnino tales in malo faciendo, quales pii sunt in bono. Sunt enim et ipsi omnium horarum viri non uno modo, non uno tempore, non uni homini, sed utcunque sors obtulerit, aliis detrahentes ac nocentes. Quae studia si verterent ad bona, nullo meliore compendio pii fierent.

Non sane haec dico, quod ceremonias ecclesiarum et monasteriorum reprobem, imo haec fuit prima religiosorum institutio, ut, qui monasterium ingressus esset, majori subjectus disceret nihil proprie operari, sed promtus omnibus in omnibus servire. Erantque monasteria vere quaedam gymnasia christianae libertatis

exercendae et perficiendae, sicut adhuc sunt, sicubi priscam servant institutionem, hic inquam erat finis et modus cerimoniarum. Nam quid sunt ipsa quoque caritatis et misericordiae opera, quam liberae quaedam cerimoniae, cum et ipsa sint externa et corporalia? Et veteris legis cerimoniae itidem erant utilissimae exercitationes verae et liberae pietatis. At ubi coeperunt perversitatis studio in libertatis injuriam usurpari, et earum praetextu vera pietas extingui, jamque pro libertate servitus tyrannisaret, opus erat, ut universae tollerentur, sicut et nunc quoque pastorum piae sollicitudinis esset, tumultus cerimoniales abrogare, ubi nonnisi in laqueos animarum et in offendicula liberae pietatis grassantur.

Et folium ejus non defluet.

Perstat in figura pulcherrima. Folium omnino verbum et doctrinam significat, diximus autem palmam perpetuo foliis virere. Contra de impiis dicit Isa. 1.: „Quando fueritis velut quercus defluentibus foliis." Confer jam singula cum singulis. Impii ambulant in consiliis suis, pius amore legis fixus plantatus est ad rivos aquarum, illi stant in via peccatorum, hic meditatus in lege domini dat fructum in tempore suo, illi in cathedra illusorum sedent, hujus folium nunquam deficiet.

Et nota, quod prius fructum quam folium describit, et quanquam palmae natura est, ut pomum suum non *) inter folia, sicut in ceteris fit, sed inter ramos, et **) comam omnem in cacumine habeat, ut possit et ipsa videri prius fructum quam folium producere (a

*) In edit. princip. deest: non. **) In edit. princip. † non.

palma enim diximus hanc figuram sumtam), tamen et ipse spiritus recte instituit fidelem in ecclesia praedicatorem, ut sciat regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute, 1. Corin. 4.; „et coepit Iesus facere et docere;“ et idem „erat vir potens in opere et sermone.“ Ita fructum vitae prius praestet, qui verbum doctrinae profitetur, si non velit folium suum defluere. Sicut enim arbor contemnitur, quae foliis luxuriat sine fructu, sed et Christus ficum maledicit, quae fructum non ferebat, ita docente d. Greg., cujus vita despicitur, et doctrina contemnitur, aliis enim praedicant, et ipsi reprobi efficiuntur, quibus Matth. 7. praedicit audituros eos esse in judicio: „Discedite a me omnes operarii iniquitatis,“ etiamsi in nomine ejus prophetarint, et per verbum Christi virtutes multas in ceteris fecerint.

Quaerat quispiam: Tam multi fuerunt sancti et martyres, quorum tamen nec fructus nec folia relicta sunt, sed omnia cum eis interciderunt, nec omnium apostolorum verba habemus, quomodo haec laus beati viri erit generalis?

Respondeo: Verbum eorum non fuit verbum eorum, „non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.“ Omnes sancti eodem verbo docti sunt, idem verbum docuerunt, sicut 1. Corin. 10.: „Omnes eandem escam manducaverunt, et eundem potum biberunt. Verbum autem domini manet in aeternum, in saeculum saeculi veritas ejus.“

Potest itaque videri beatus hic vir et lignum fructiferum totam ecclesiam significare, aut eos, qui docentium officio praesunt. Verum non obstat et de quocunque justo eum intelligi, habet et ipse idem folium, si non alios, certe se ipsum docet, in corde meditatus in lege domini, quod verbum et in ipso

manet in aeternum, sicut et in tota ecclesia. Denique cum omnes fideles sint unum corpus, etiamsi folium hoc solius sit membri, quod praedicat, per communionem tamen omnia sunt omnium. Verbum enim meum est, quod lingua mea praedicat, etsi ego sum auris, non lingua. Ita et de reliquis membris et toto corpore senties.

Et omnia, quae faciet, prosperabuntur.

Si de ligno seu palma haec dicit, illud tangit, quod sola palma dicitur adversus pontus sursum niti, ut in trabibus palmaceis visum esse dicunt.

„Facere" hoc loco (nisi sum nimio audax) non significat opera bona justi viri, nam haec satis sunt nomine fructus commendata, sed facturas seu plasmata potius, quomodo opera artium facimus, siquidem et philosophi agere prudentiae, facere arti tribuunt, et eandem differentiam in hebraea lingua cernere liceat (mea temeritate), nam verbum עָשָׂה pro facere, et פָּעַל pro agere ferme accipi video. Sicut Ps. 28.: „Quoniam non intellexerunt opera domini et opera manuum ejus," ut sit opus manuum Dei ipsum plasma, sicut dicit: „Opus manuum mearum Israel," et Gene. 1.: „Fecitque Deus etc.," et Ps. 95.: „Ipsius est mare, et ipse fecit illud." Opera autem Dei sunt ea, quae per creaturas facit, maxime autem verbum et gratia, quibus agit et agere nos facit.

Esto itaque facere, instituere, ordinare, diversis ministeriis ecclesiasticis distribuere, et ut apostoli Petrus et Paulus docuere, multiformis gratiae Dei ministratores facere, ecclesias fundare, multiplicare, ut sic ipsi fideles sint plasmata, opera, facta eorum. Sic enim Galatas parturit, et Corinthios genuit aposto-

lus. „Opus meum, inquit, vos estis in domino." Intelligis ergo spiritualem esse hanc facturam beati viri, non palatia, non imperia, non pompas, haec enim et gentes faciunt ac pariunt, sed multos bonos ac beatos sibique similes reddere, hoc demum est facere hujus beati viri.

Prosperitas quoque cave ne carnalis a te intelligatur. In abscondito haec est, et penitus in spiritu, adeo ut, nisi fide eam teneas, potius summam adversitatem judices. Nam diabolus sicut folium et verbum Dei extreme odit, ita et eos, qui ipsum docent et audiunt, totius mundi adjutus viribus persequitur. Miraculorum ergo omnium miraculum audis, quando prosperari audis omnia, quae facit vir beatus. Quid enim mirabilius, quam quod fideles, dum occiduntur, crescunt, dum minuuntur, multiplicantur, dum subjiciuntur, superant, dum expelluntur, intrant, vincunt, cum vincuntur? Sic enim mundus est victus et princeps ejus. Sic mirificavit dominus sanctum suum, ut hoc sit summae prosperitatis, quod summae est infelicitatis. Haec est prosperitas sapientium et conversio virorum.

At nunc illud Proverb. 1. videmus impleri: „Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos." Nunc enim quia rebus ecclesiae personas et nomina fecimus, et spiritum in carnem traximus, ideo bonus status ecclesiae nunc vocatur opulentia, tyrannis, impunitas, pax carnis et pompa plusquam mundana. Vidit enim diabolus et intellexit tandem prosperitatem hanc spiritualem, ideo cohibuit se, et alia via nos aggressus horrenda infelicitate nostra triumphat. Et qui bello vincebatur, pace nunc regnat, mira certe utrimque Dei ordinatione. Scite ergo et verissime s. Hilarius dixit, ecclesiae esse naturam,

ut adversitatibus crescat, utique prosperitatibus decrescat. At haec sapientia crucis et nova rerum significatio non modo incognita est, sed longe omnium quoque horrendissima, ipsis etiam ecclesiae optimatibus. Nec mirum, postquam desertis sacris literis infelices hominum constitutiones et ratiocinaria pecuniarum coeperunt legere.

Non sic impii, non sic.

In heb. semel „non sic“ dicitur, sed hoc parum habet momenti. Et cum audis impios, recordare eorum, quae de impietate supra diximus, ne cum impiis hoc verbum releges tantum ad Iudaeos, haereticos et nescio quos longe positos, ne forte et tu Dei timore posito hoc verbum Dei non reverearis, sed cum impius sit, qui sine fide Christi est, tremendi sunt tibi hi sermones, ne et tu inveniaris impius. Verus enim pius tremit ad omne verbum Dei, sicut Isaiae ultimo dicit: „Ad quem autem respiciam, nisi ad quietum et humilem et trementem sermones meos?“ Quomodo confides te satis fidei habere? At quantum deest fidei, tantum adest impietatis. Impiorum est ea, quae bona sunt, tota securitate sibi arrogare, et mala ad alios referre, piorum est mala sibi intentata credere, et bona ad alios pertinere, nec nisi cum multa indignitate ad illa suspirare, ut non per meritum, sed nudam spem misericordiae Dei eadem consequantur.

Igitur impiis nihil prosperum, folium arescens, nec plantati ad rivos aquarum. Item in Spiritu loquentem audi in spiritu, impios enim florere et bene habere omnis scriptura clamat, et idem multis Psalmis videbimus, ita ut de ipsis solis possis dicere: Folium eorum viret, omnia, quae faciunt, prosperantur. Fide ergo opus est.

Sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae.

Additum est „a facie terrae," sed sine periculo intelligentiae. Sic nec illud refert, quod heb. מֹּץ sicut palea, pulvis aceris seu quisquiliae aristarum dicitur. Idem est enim, sive pulvis, sive acus, favilla, palea dicatur. Ii enim sunt, de quibus Lucae 3.: „Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas vero comburet igne inexstinguibili." Hoc purgamentum, has paleas, hos pulveres hoc loco significari non dubites, quanquam vere et proprie acus et comminuta palea significetur. Sic Iob. 21. eadem sententia: „Erunt sicut paleae ante faciem venti, et sicut favilla, quam turbo dispergit."

Observa, non simpliciter paleas appellat, sed eas, quas projicit ventus, non eas, quae tranquillae jacent, sed dispersas, vagas, inquietas paleas vult significare. Et de Iudaeis primo intelligendus est. Hi tripliciter propelluntur. Primo corporaliter a turbinibus, id est, voluntatibus et indignatione hominum, inter quos habitant, ut ad oculum cernimus, nullas esse eis certas sedes omni momento expositis vento hujusmodi propellenti. Secundo, quod vento doctrinae variae circumfertur mens eorum per pestilentes doctores, dum non sunt plantati in Christi fide, mente autem incertis doctrinis dispulsa, jam nec conscientia certa et quieta esse potest. Tertio, in novissimo die turbinibus aeternis intolerabilis irae Dei pellentur dispergenturque nunquam requiem habituri, ne ad momentum quidem. Hos proxime sequuntur haeretici, praesertim postremis duobus turbinibus.

Et quid aliud arbitraris in ecclesia esse, quam turbinem irae Dei? quo in tot, tam diversas, tam inconstantes, tam incertas, easdemque infinitas glossas juristarum et opiniones theologorum propulsi sumus, et interim Christo penitus incognito in multas syrtes, charybdes, symplegadas conscientiarum impingentes miserrime collisi sumus. Habent autem et ceteri impii suos turbines et procellas cupiditatum voluptatumque in divitiis, honoribus, favoribus et aliis fluctibus hujus mundi, quibus infelicissime concutiuntur, quia unicam petram, solidum cordis nostri firmamentum, contemnunt.

Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.

Sat dictum, qui sint impii et peccatores, modo tu ne sine tremore hos Dei tui sermones audias, quasi pius et sanctus sis. Timor ipse pietas est, imo sapientiae et pietatis caput et principium.

„Surgent," ebraeus habet, non resurgent, neque de resurrectione mortuorum loquitur. Non enim dixit: Non resurgent homines in judicio, sed impii. Alia est resurrectio hominum, alia impiorum. Proinde recte in symbolo carnis magis quam hominum resurrectio dicitur, et apostolus mortuorum seu hominum resurrectionem vocat, evidenter duas resurrectiones hominis adstruens, carnis et spiritus. Surgere autem hic significat, quod impii non stabunt coram Deo, juxta illud Ps. 5.: „Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos;" et Ps. 24.: „Quis adscendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?" Sic de Christo quoque dicit: „Dum exsurgeret in judicium Deus;" et Ps. 12.: „Nunc exsurgam, dicit dominus." Idem ergo est: Non surgent,

quod: Non stabunt, non servient, non ministrabunt Deo, sicut quam maxime praesumunt.

Iudicium hic officium significat tropo scripturae. Sic totus liber Iudicum a judicibus seu rectoribus vocatur. Ps. 122.: „Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.“ Ita de Christo Ps. 110.: „Iudicabit in nationibus,“ id est, erit judex gentium; et Ps. 72.: „Iudicabit pauperes populi,“ id est, reget eos; et Ps. 96.: „Iudicabit orbem terrae in aequitate, et populos in veritate sua.“

Est itaque sensus: Impii nunquam eo adscendent, ut sint judices et rectores fidelium, sed neque in concilio, id est, congregatione eorum, hoc est, nec de primatibus nec infimatibus justorum erunt. Apertius ergo erat: Ideo non surgent impii in judicium, neque peccatores in concilium justorum, prorsus non censebuntur inter servos Dei.

Sed quid? Numquid impios rectores et malos homines deturbabimus, et e medio nostro ejiciemus? Aut non est concilium fidelium, ubi praesunt impii, et intersunt peccatores? Absit.

Dixi in spiritu loqui prophetam, ideo in spiritu audiendum. Sicut enim Iudas erat apostolus, et non erat apostolus, et ut Ioann. dicit: Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis,“ ita impii, dum praesunt, ad hominem visibiliter praesunt, revera non praesunt. Nam et Zacharias: „O pastor, inquit, et idolum derelinquens gregem,“ simul pastorem appellans, quo nomine apud homines honorabatur, simul idolum, quo revera apud Deum damnabatur. Ita et Christus, ut intelligeremus praesidentiam non esse rem ipsam fidelis, multos impios in hac vita remunerat tam vili mercede. Tole-

randi itaque sunt utrique, sicut palea intra triticum usque ad ventilationis diem.

Et vide, ne id propheta clare indicet. Cum enim praemisisset: „Non sic impii," non fuisset necesse repetere in alio versu, sed suffecerat dicere: Ideo non surgent in judicio, neque in concilio peccatorum. Sed detraxit personas et externam hominum faciem, quia homines divites, potentes, et si qua alia facies est, possunt surgere in judicium, et esse in concilio justorum, cum haec omnia ad corpus pertineant, sed impii et peccatores nunquam. Igitur emphasis et epitasis tota in vocabulis impii et peccatores viget. Revera et in spiritu nunquam praesunt, nunquam intersunt impii fidelibus, licet tanta specie vitae fulgeant, ut nulli magis praeesse et interesse fidelibus putentur. Hanc enim larvam et hypocrisim, qua se inflant et praesumunt, secumque alios fallunt, persequitur hic Psalmus. Denique hunc esse hujus versus sensum, sequens versus declarat.

Quoniam novit dominus viam justorum, et iter impiorum peribit.

Poterat interpres omissa varietate sua dicere: Via impiorum, cum sit eadem dictio, et satis pulchra erat antithesis, via justorum, via impiorum, servata simplicitate vocabuli.

Tam speciosa (inquit) est via impiorum, ut apud homines videantur surgere in judicium et concilium. Sed ille, qui non fallitur, novit vias eorum, et scit eos impios esse, et coram eo non sunt in ullo ecclesiae suae numero. Novit solos justos, impios non novit, id est, non approbat. Proinde, quod illi minime omnium credunt, via eorum peribit, peribit inquam, quae tanto successu crescit, ut aeterna videatur futura. Vide,

quam nos a specie prospera absterreat, et varias tentationes et adversitates nobis commendet. Nam hanc viam justorum homines omnino reprobant, putantes et Deum ignorare eam, quia sapientia crucis haec est. Ideo solus Deus novit viam justorum, adeo abscondita est etiam ipsis justis, dextera enim eorum ducit eos mirabiliter, ut sit via non sensus, non rationis, sed solius fidei in caligine et invisibilia videntis.

Quando ergo impiis pastoribus obedimus, non impiis, sed hominibus obedimus, non enim impietatem eorum audimus aut sequimur, sed humanam praesidentiam toleramus. Rursum, qui eos ejiciunt et deturbant, ut in Boemia factum videmus, numquid impios deturbant? Non, sed homines deturbant. Nam etiam deturbati impii, impii manent. Tunc autem impius deturbatur, quando de impietate ad pietatem ducitur, quod non fit furore externo violento, sed caritate interne orante forisque monente, si Deus cooperatus fuerit.

Cui haec intelligentia non placet, maneat in illa, quod impios primum Iudaeos appellat. Nam hos et multis aliis locis expellendos ab ecclesia praedixit. Sed et haeretici, et quicunque palam suam profitentur impietatem, tum ipsi se ipsos ab ecclesia alienant, tum ecclesia quoque eos alienat et excommunicat, quantumlibet se solos ecclesiam esse et populum Dei jactitent.

In fine hoc movendum, quod illustrissimi patres, praesertim Athanasius et Aug. tradiderunt, hoc est, ut affectibus Psalmorum affectus nostros accommodemus et attemperemus. Cum enim Psalterium sit nonnisi affectuum quaedam palaestra et exercitium, sine fructu psallit, qui non spiritu psallit, ut quando legis: „Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum," oportet simul affectum

movere, et detestari ac deprecari concilium impietatis, non solum pro te, sed pro tota prorsus ecclesia. Sic viam peccatorum, sic doctrinam pestilentiae. Nam hoc igne (caritatis affectu) comburendi sunt haeretici, et quicunque impie sapiunt ac docent. Quem ignem quia contemsimus, tradidit nos Deus in reprobum sensum, ut carnifices fieremus, et haereticos igne naturali combureremus, rursum combureremur et ipsi.

Ita dum sonas: „Sed in lege domini voluntas ejus," non hic stertas ac tibi secure plaudas, quasi jam sis legis Dei amans, sed quanto potes ardore affectus, suspires ad eum, qui solus venit ignem mittere in terram, nec quam diu vivis, aliter de te sentias, quam de eo, qui nondum amet legem Dei, et vehementer egeat voluntate ista legis.

Ita dum omnia prosperari audis justo, optandum id tibi est, et gemendum pro omnibus, qui in adversitatibus quibuscunque sunt constituti; ita „ne folium defluat," ut purum Dei verbum rejectis hominum fabulis et somniis in ecclesia Christi floreat. Quodsi qua talia fieri videris, gratulandum, gaudendum est, et gratiae agendae benignitati divinae. Nec te ad impossibilia cogi existimes, fac periculum et gaudebis ac gratus eris, scio. Primum uno Psalmo, imo uno versiculo Psalmi exercere. Sat profecisti, si unum versiculum per diem vel etiam hebdomadam didiceris affectibus vivum et spirantem facere. Facto hoc initio omnia sequentur, et veniet tibi thesaurus cumulatissimus intelligentiarum et affectionum; tantum vide, ne taedio ac desperatione absterrearis inchoare. Nam hoc vere est psallere, seu, ut scriptura de David dicit, percutere manu cytharam. Leves enim articuli illi

cythareedorum, qui per fidiculas currunt, et eas vellicant, ipsi affectus sunt in verbis Psalmorum cursitantes et eadem moventes, sine quibus ut cordulae non sonant, ita nec Psalmus psallitur, quia non tangitur.

Haec volui hoc primo Psalmo monere semel, ut non sit necesse per singulos idem repetere. Scio autem futurum, si quis exercitatus in hac re fuerit, plura per se inventurus sit in Psalterio, quam omnes omnium commentarii tribuere possint. Video d. Bern. hac arte praestitisse, et omnem suae eruditionis copiam hinc hausisse. Idem et b. Aug. et aliis olfieri puto. Quare et nos ex eodem fonte bibere oportet has aquas vitae, ne nos illa irrisio prophetae Amos apprehendat: „Sicut David putaverunt se habere vasa (id est, Psalteria) cantici,“ et iterum: „Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyrae tuae non exaudiam.“ Quid enim putas Deo videatur boatus ille aut murmur, quo passim templa occupantur, sine mente et spiritu, nisi quoddam examen muscarum alis suis murmurantium. Cui si id addas, ut credas Deo ista placere, ludibrium et phantasma ex Deo vivo et vero feceris.

PSALMUS SECUNDUS.

Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus dominum et adversus Christum ejus.

Hunc Psalmum esse a David factum, et de Christo loqui, cogit auctoritas primitivae ecclesiae, de qua Lucas Act. 4. scribit: „Unanimiter levaverunt vocem suam ad Deum, et dixerunt: Domine, qui fecisti coelum

et terram, mare et omnia, quae in eis sunt, qui Spiritu sancto per os David patris nostri, pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania, adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus dominum et adversus Christum ejus? Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel facere, quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri etc."

Firmandus itaque est animus hoc sensu, nec alio doctrinae vento agitandus, de coelo enim confirmatus est iste intellectus, commotus est locus finita hac eorum oratione, ut scribit idem Lucas. Perspicuum est ergo, per reges terrae intelligi Herodem et Pilatum, etiamsi Pilatus non erat rex, hi duo enim simul cooperati sunt, ut implerent, quod consilium Dei decreverat, sicut hic dicunt (id est, Christum perderent). Non enim alii hoc fecerunt reges, nec de alia re loquitur, quam quae sub Pilato contra Christum gesta est.

Reliquum est, ut hunc nihili nodum dissolvamus, aut Pilatum regem appellatum cum Herode aut tropo scripturae usitatissimo nomine partis totum appellatum, sicut Israel vocatur filius primogenitus, cum multi inter eos essent idololatrae. Rursum omnes arguuntur, ubi pauci meruerunt. Ita unus rex utrumque regem facit.

Iam per principes intelligi sacerdotum principes, per gentes milites Romanos sub Pilato, qui Jesum comprehenderunt, flagellaverunt, crucifixerunt, per populos vulgus Iudaeorum seu Israel, ut ipsi dicunt, satis clarum est.

Hoc loco gens et populus manifeste discernuntur, sed non ausim dicere, nec credo constantem esse per omnia hanc differentiam, quanquam vocabulum gentium

frequentissime usurpetur contra Israel seu Iudaeos, ita ut ecclesia gentium et Paulus apostolus gentium jam celebri auctoritate et usu dicatur contra Iudaeorum ecclesiam seu quae ex Iudaeis venit.

Nota partitionis observantiam: Gentes fremunt, populi meditantur inania, reges assistunt, principes conveniunt in unum. Gentes ut irrationales bestiae fremunt, quid enim facerent, ignorabant; populi autem garriebant et sua consilia conferebant, locuti scilicet nequitiam in excelsum, et sermonibus odii circumdederunt eum, ut Ps. 108. dicentes: „Venite, occidamus eum, et nostra erit hereditas;" et Caiphas Iohann. 11. consilio concto dixit: „Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo." Iste ergo tractatus inanis, quo quaerebant toties Christum perdere, et accusationis commenta coram Pilato, hic inanes meditationes vocat.

Reges autem statuerunt (sic enim ex hebraeo „adstiterunt" intelligendum est), id est, definierunt, pronuntiaverunt, stabiliverunt fremitum et meditationes illorum, data sententia super Christum. „Volens, inquit, satisfacere populo Pilatus dimisit illis Barrabam, Iesum vero tradidit, ut crucifigeretur." Principes convenerunt, consuluerunt, persuaserunt simul et firmati sunt, ut Iesum perderent, concitaverunt enim turbam, ut magis peterent Barrabam etc.

Adverte verecundiam et modestiam oris prophetici, quam tenuiter ac velut compatienter furorem illorum exprimit. Cum enim furiales illas voces: „Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum," et alios clamores feroces Iudaeorum, quibus Christum accusarunt, potuisset dicere furias et impetus, meditationes tantum vocat. Meditatio autem, ut supra diximus, garritus et fabulatio

oris est. Est enim haec mala meditatio. Nam sicut amans de amante libenter multa loquitur, ita osor quoque de eo, quem odit, assidue et pessima loquitur et garrit. Similis verecundia in verbo „fremuerunt,“ „adstiterunt,“ „convenerunt,“ cum res ipsa fuerit longe atrocior, quam vis horum verborum indicet.

Quo docemur oportere mala hominum non more detractorum exaggerare, sed quantum potest fieri extenuare, ut ostendamus nos non tam nostri gratia indignari, quam illorum miseria dolere. Benignus est enim Spiritus sanctus, non gloriatur in malis alienis, sed sua bonitate miseretur omnibus. Nam sic s. Petrus et Christum memorat non maledixisse nec comminatum fuisse, cum pateretur, nec vindictam optasse, sed omnia tradidisse ei, qui juste judicat.

„Inania“ dicit, quo verbo paene totius Psalmi argumentum comprehendit, vult enim propheta ostendere Christum a Deo patre institutum regem, multis et magnis gentium et Iudaeorum, regum et principum resistentibus consiliis, studiis, furoribus non potuisse impediri, sed adeo illos inaniter omnia consumsisse, ut et se ipsos irriserint, et eo ipso, quo restiterunt, magis promoverint regnum Christi, quasi hoc Ps. exempli vice illud probare voluerit, quod Ps. primo dixit: „Omnia, quaecunque faciet, prosperabuntur,“ in quantum de Christo intelligitur.

Nam huc illud pertinet Ps. 45.: „Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna;“ et 118.: „O domine bene prosperare, benedictus, qui venit in nomine domini.“ Prosperitas enim Christi (ut dixi) non mundana neque carnalis, sed spiritualis est. Quis est enim, qui, cum pateretur Christus, non putasset eum nunquam futurum hominem infimum ac vivum,

nedum regem omnium? Quis non meditationes populi tunc stabilitas et non inanes esse crederet, quando et auctore Deo a se damnatum ad maledictum crucis gloriarentur, ac in aeternum firmata arbitrarentur meditata sua? Adeo semper opus est fide et spe in operibus Dei, non tantum ferendis, sed et intelligendis, quae contra omnem sensum, supra omnem captum implentur.

Et illud quoque fidei verbum est: „Adversus dominum et adversus Christum ejus." Nam pro domino et pro Christo agere videbantur cum omnibus aliis tum maxime sibi ipsis. Sic et hodie et semper impii pro gloria Dei, contra gloriam Dei horrendo periculo operantur. Sic enim Deus administrat mundum, et stultificat ejus sapientiam, ut illi, qui pro gloria Dei agere judicantur, vere in blasphemiam ejus agant, et qui blasphemiae criminantur, ii vere pro gloria Dei certent. „In absconditis, in fide, in sancto via ejus, atrium non mensuratur, quia datum est gentibus," ait apostolus, Apocal. 10.

Prius dicit: „Adversus dominum," deinde: „Adversus Christum ejus," quia omne peccatum primo omnium offendit Deum, ipse enim est non solum justitia, sed amor quoque justitiae, et ex ipso accipiunt, quicunque diligunt justitiam, neque enim peccatum esset, nisi Deum offenderet.

Sed ideo quoque sic ordinat verba, ut pro nostra consolatione et exhortatione discamus, nunquam nos pati injuriam, quin prior et magis offendatur Deus, quam nos, et tantam esse super nos Dei patris curam, ut ante sentiat indigniusque ferat nostram injuriam, quam nos ipsi, ut ab affectu vindictae nobis temperemus, quin potius eorum misereamur, quos videmus per nos

in tantam majestatem pro sua perditione irruere, cum non modo non possint nocère, sed se ipsos potius horribiliter perdant. Sic ait: „Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei."

Nam et propheta velut ex animo condolens illorum temeritati primum interrogative incipit, ut: Quid fremuerunt? Quare se ipsos irrident? cur moliuntur stulti impossibilia? O utinam saperent et intelligerent. Deinde exhortatus eos monet, ut solida pro inanibus operentur, hoc est, ut erudiantur potius et intelligant ad serviendum Christo in timore.

Denique et ipsa verborum tenuitate inanitatem et frustraneos conatus satis elevat. „Fremuerunt," inquit, „meditati sunt," „adstiterunt," „convenerunt," quasi dicat: Fremere potestis, abolere non poteritis, meditabimini multa garrientes, nihil efficietis, statuerunt reges, et non fiet, consulent principes et irritum erit. Quid igitur reliquum vobis, nisi inani conatu multa voluisse, ardua tentasse, omnia exquisivisse, et nullum illorum contigisse, sed omnia longe in contrarium evasisse?

Ita impiis fremitus et consilia et studia adversus pios permittit Deus excitari, sed haec omnia sunt velut fluctus tumentes aquae, qui tumore suo velut obruturi littus irruunt, et antequam ad littus pervenerint, in se ipsis humiliantur et evanescunt, aut inani loquacitate in littore colliduntur. Iustus enim, ut littus solidus in Christi fide, has languidas minas et cito ruituros tumores fidens contemnit. Scit enim, quod Moab superbus est valde, et nunquam tanta ejus virtus quanta praesumtio, et major indignatio quam potestas, sicut Isa. et Hiere. dicunt.

Qua cruce satis digne torquentur impii, quandoquidem insignis est tortura, velle omnia nocere, et

nihil nocere posse, ut etiam gentes de invidia dixerint: Invidia Siculi non invenere tyranni majus tormentum. Quod in re christianorum eo majoris est gratiae, quod non solum torquentur impii, nec solum non nocere possunt, sed consulente Deo sua tortura, sua inani machina maxime omnium promovere coguntur, quod impedire nituntur, ut nec amici tantum possint christiano prodesse, quantum inimici.

Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Hunc versum connecti oportet verbis illis: „Fremuerunt, meditati sunt, adstiterunt," ut sit sensus: Hoc scilicet fremuerunt, hoc garrierunt, hoc statuerunt, hoc concluserunt, ut Dei et Christi jugo colla subducerent, vincula eorum rumperent, et dicerent: „Nolumus hunc regnare super nos," Lucae 16., aut illud Iob. 21.: „Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, ut serviamus ei? aut quid prodest nobis, si oraverimus illum?" Inducit enim propheta impios ita loquentes.

Aliis aliud videtur, ego interim hunc sensum sequor. Proinde, quod aliis scrupulum injecit, quod plurali numero „eorum" et „ipsorum" dixit, ad dominum et ad Christum ejus referri debet, qui sine dubio duo sunt, Deus et homo, mittens et missus, sicut si diceres: Rejecit populus tam legatum quam principem, nec acceperunt consilia eorum.

Significari autem vinculis et jugis praecepta divina, per allegoriam vel metaphoram, Hiere. 5. probat: „Ego autem dixi, forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam domini et judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis. Ipsi enim cognoverunt viam domini et judicium Dei sui. Et ecce magis hi

simul confregerunt jugum, ruperunt vincula." Ejusdem 2.: „A saeculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea," quanquam hic locus depravatus est, cum in heb. prima persona Deus dicat: A saeculo confregi jugum tuum, et rupi vincula tua, ut sint vincula contraria vinculis, jugum jugo, via Dei viae hominum, judicium Dei judicio hominum.

„Vincula" mandata Christi sunt, quibus in via ejus ambulare docemur, „jugum" seu funes judicium, quo prohibemur operari mala, ut sit illud justificatio spiritus, hoc mortificatio carnis. Duo enim sunt, quae praecipiuntur: Declinare a malo et facere bonum, quorum prius ad crucifigendas carnis cupiditates, posterius ad bona opera facienda pertinet. Nec refert, si haec quis permutet, ut vincula pro judiciis et jugum pro justitiis accipiat, idem enim permanet sensus, quo habito verbi contentio contemnenda est.

Est autem totus versus allegoricus, „nam rumpere" pro contemnere et irritum facere, „vincula" pro praeceptis, „projicere" pro non obedire, negligere, non recipere, „jugum" pro eruditione et disciplina castigandae carnis accipitur. Non autem allegoricum dico more recentiorum, quasi alius sensus historialis sub eo sit quaerendus, quam qui dictus est, sed quod verum et proprium sensum figurata locutione expresserit.

Illud vide, perversis omnia perversa, sicut dictum est: „Cum perverso perverteris." Legem Christi, quae libertatis et suavitatis est, vincula et jugum appellant, servitutem et difficultatem arbitrati, rursus suam legem, quae vera est servitus et infirmitas, libertatem et facilitatem esse credunt. Adeo impiis omnia cedunt in malum. Sic Hiere. 23.: „Quia dixistis sermonem istum onus domini, et misi ad vos, dicens: Nolite

dicere onus domini, propterea, ecce, ego tollam vos et derelinquam, et dabo vos in opprobrium sempiternum etc." Necesse est enim, ut, cui sua placent, divina displiceant.

Iterum fidei oculis opus est, non enim propheta dicit haec, quod vellet eos vere dominum et Christum intellexisse, quando dixerunt: „Dirumpamus vincula eorum," quum pro Deo et pro lege ejus sese agere crederent, si Christum rejicerent, sed propheta dominum et Christum appellat, quos ab illis ignorantibus contemtos describit, et vide, anne ideo toto versu voluerit allegoria uti, ut illos aliud simulasse, alind fecisse ostenderet, et quandam operis allegoriam in caecitate sua perfecisse, dominum et Christum rejicientes, quando maxime pro eis facere simularent.

Quid si et per tapinosin pronomen „eorum" prosuerit propheta, ut simul apud se referat et intelligat dominum et Christum ejus, simul eorum insignem arguat contemtum, quo Christum nec nomine dignantur, nedum pro domino et Christo agnoscant? Igitur hucusque conatum eorum descripsit, quo Christum noluerunt regem constitui, quem dominus jam constituerat, in quo non tantum contra Christum, sed multo magis contra ordinationem Dei machinati sunt, sicut figuratum est in David et Saule. Nam et ipse David divino praecepto rex inunctus erat, at Saul et Deo in hac ordinatione et David pertinacissime restitit, nec absimiliter et ipse fremuit, multa meditatus, multum stetit, multa consuluit contra eum. Sed sicut inaniter omnia praesumsit, ita et Iudaei et gentes adversus Christum, ut sequitur.

Qui habitat in coelis irridebit eos, et dominus subsannabit eos.

Tautologia ista seu repetitio ejusdem, quae frequens

in scripturis est, firmitatis indicium est, auctore sancto patriarcha Ioseph, Gene. 41., ubi visiones Pharaonis interpretatus dixit: „Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod sermo Dei fiat et velocius impleatur.“ Ergo et hic: „Irridebit et subsannabit,“ idem repetitur, ut non sit dubium certissima omnia fore.

Quod benignus Spiritus pro nostra paraclesi et consolatione facit, ne scilicet in tentatione deficiamus, sed in certissimam spem nos erigamus, quia veniens veniet et non tardabit. Quare etsi in humanis locutionibus tautologia vitiosa et superflua videatur, in rebus tamen Dei summe necessaria est, propterea quod spes (ut ait sapiens), quae differtur, affligit animam, vera, inquam, spes, quae in passionibus et cruce laborat. Dura est enim omnis mora iis, qui in passionibus Christi exercitantur. Ideo opus habent firmissima et securissima promissione Dei, qua sustententur.

Rursus sicut in promissionibus bonorum non potest satis inculcari consolatio afflictis, ita in minis malorum non potest satis intentari terror insensatis, duris et incredulis. Ideo et in hac parte opus est tautologia, ut in terrorem mittantur certissima et firmissima comminatione. Nam sicut illis nimium adest timoris et minus spei ac securitatis, ita his nimium adest securitatis et spei, nihil autem ferme timoris, sicut Ps. 14.: „Non est timor Dei ante oculos eorum.“ His opus est, ut timeant dominum, illis ut sperent in misericordia ejus, et stet utrimque via media et recta, quae describitur sic: „Beneplacitum est domino super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia ejus.“

Nobis ergo haec scripta sunt, ut per patientiam

et consolationem scripturarum spem habeamus. Nam hoc, quod de Christo hic scribitur, exemplum est omnium christianorum. Quilibet enim sincere volens christianus esse, praesertim, si et verbum Christi doceat, suos patietur Herodes, Pilatos, principes, reges, gentes, populos, qui fremant in eum, meditentur inania, erigant se adversus eum, et conveniant in unum. Quodsi ab hominibus haec non fiant, a daemonibus, novissime a conscientia propria, saltem in morte fient. Tum opus est hujus et similis consolationis meminisse: „Habitator coeli irridebit eos, et dominus subsannabit eos," atque in hac spe fortiter consistere nullaque causa vacillare.

Et quo firmior sit fiducia afflictorum, ἐμφατικῶς dicit: „Ridebit et subsannabit," quasi dicat: Adeo certum est, eos inania moliri, quantumlibet omnium sensui videantur solidissima, ut dominus non dignetur velut serio ac in re magna illis resistere, sed ut in re prorsus nihili rideat et subsannet, sicut et Ps. 37. in eandem sententiam: „Observabit, inquit, peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis, dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quod venient dies ejus," deinde adversarios nostros non modo humiliandos, sed etiam ridendos esse.

O quanta vis fidei in his verbis requiritur? Quis enim patiente Christo et triumphantibus Iudaeis Deum ridere sensit? Ita et cum nos premimur, quando credimus rideri adversarios nostros a Deo, cum nobis tam Deo quam hominibus irrisi et subjecti videamur?

Irrisio autem haec divina est, ut dixi, quod Iudaeos et gentes christicidas irrisos fecit toti orbi terrarum, resuscitans eum a mortuis, et ex desperato Christi regno in uno populo aeternum florere fecit imperium ejus super omnem creaturam, adeo in diversissimum

eventum eorum studia vertens, ut cantemus; „Excelsus super omnes gentes dominus, et super coelos gloria ejus,“ qui humiliatus est subter omnes Iudaeos, et infra terram quoque fuit ignominia ejus. Proinde sicut in versibus praecedentibus passio et mors Christi prophetata est, ita in hoc versu resurrectio ejus, licet obscurius, praedicta est.

Sed quid illa periphrasis: „Qui habitat in coelis?“ Nempe quietum simul judicem et mire absconditum pro nostra spe erigenda depingit. Habitat ille, qui pro nobis sollicitus est, securus et quietus, et si nos turbamur, non turbatur ille, qui curam nostri habet. Nos fluctuamus, sed ille sedet, ut non in aeternum det fluctuationem justo. Verum hoc totum adeo abscondite, ut, nisi in coelis sis, non cognoscas. In terra, in aquis, in omnibus creaturis pateris, abnegata est tibi ubique et in omnibus spes auxilii, donec fide et spe omnia transiliens eum attingas, qui in coelis habitat, tunc enim et tu habitas in coelis, sed fide et spe. Hic ergo ancora cordis nostri figenda est in omnibus tribulationibus, qua ratione fiet, ut non modo facilia, sed et ridicula sint mala mundi.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

Quod de tautologia dictum est versu proximo, et hoc versu servetur. Insensatis enim et Dei contemtoribus nihil satis dici potest. Ridet enim hastam vibrantem Behemoth ille, Job. 41., et aestimat malleum sicut stipulam, reputat ferrum quasi paleas, et aes quasi lignum putridum. Non fugat eum vir sagittarius, in stipulam vertuntur si lapides fundae etc., quamvis hic tautologia forte non esse videatur.

Quando autem locutus est ad eos in ira sua, aut

quae fuit ira sua? Utique tunc, quando irrisit eos, quod intelligemus, si quid sit loqui Deum in ira sua scierimus. Hiere. 18. dicit: „Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud etc."

Ergo loqui in ira est eradicare, destruere, disperdere, hoc est, quod Iudaeis contigit, qui dixerunt: „Ne forte veniant Romani, et tollant locum nostrum et gentem. Melius est, ut unus moriatur homo, ne tota gens pereat." Has inanes meditationes irrisit dominus, dum id, quod impius timuit (juxta Proverb.), venit ei, et per Romanos eradicavit, destruxit et disperdidit eos. Ira itaque et furor Dei fuit impetus Romanorum, sicut Isa. 10. dicit: „Vae Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est. In manu ejus indignatio mea, ad gentem fallacem (id est, hypocritam et simulatricem) mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi etc." Quae verba meo judicio omnino de Ro. exercitu dicta sunt. Quod enim dicit: „Mandabo illi," hoc in isto versu dicit: „Loquetur ad eos," quia mandato et verbo Dei omnia fiunt. „Ipse dixit, et facta sunt etc."

Quare hoc verbum „loquetur," absolute accipiendum est, hoc modo: Loquetur, id est, verbo suo statuet, mandabit, ordinabit, sed quod sit contra eos, non pro eis, deinde non in misericordia, sed in ira. Nam loquitur et contra justos et filios suos, dum mandat eis inferri crucem et mortem, juxta illud 2. Reg. 16.: „Dominus praecepit ei, ut malediceret David etc.," sed in misericordia. Quodsi praepositio „ad" mutetur in adversus, et verbum „loquetur" in verbum mandabit, clarior erit textus: Tunc mandabit adversus eos in ira sua.

Nec solum destruet et disperdet eos, sed et con-

turbabit eos, quia foris pugna, intus pavore eos consumsit. Conturbat sane et filios suos miroque pavore exterret, sicut Christum in horto, sed in misericordia. Iudaeos vero, dum a Romanis vastarentur et occiderentur, perpetuo incipiente pavore conturbavit. Impossibile est enim, ut impius moriens non expavescat aeterno pavore. Mitis fuisset poena, si tantum vastati fuissent, sed quod in ira vastati sunt, atrox est, longe autem atrocissimum, quod in ira vastati et occisi etiam in furore conturbantur, et in sempiternum horrorem per mortem sunt protrusi.

Iam vide catalogium poenarum horribilium, quae christicidis paratae sunt. Primum amissa gloria, propter quam in Christum maxime insaniunt, fiunt ridiculum Deo et omnibus, ubique ignominiam sui spectantes, quod superbis et invidis non leve malum est.

Deinde amissis omnium rerum auxiliis vastantur, radicantur, destruuntur, ut in corpore quoque nullum sit eis solatium.

Tandem summum accedit malorum, quod tribulatio et angustia conturbat animas eorum aeterno pavore. Ita in fama, in rebus corporalibus, in rebus aeternis plectuntur, nullaque fit creatura nec Deus illis propitius. Obsecro, quis non misereatur inimicis suis, quis non ploret pro eis, quis non omnia pro eis, nedum ab eis ferat, qui firmiter credat haec intolerabilia mala illis imminere? Deinde vide ordinem.

Primum ridentur et subsannantur versa eorum gloria in summam confusionem (haec enim extrema possessio est). Deinde vastantur exuti rebus et facultatibus paternis, quae est altera possessio. Ultimo terrentur pavore, ablata omni spe et fiducia in spiritu,

quae est intima et novissima possessio, atque hi sunt tanquam pulvis ante faciem venti.

Atque iterum vides impiorum poenam describi pavorem et horrorem. Sicut enim regnum Dei est justitia et pax et securitas, ita necesse est infernum esse peccatum, pavorem et horrorem.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Zion, montem sanctum ejus.

Hic mutatur persona, non enim David de se loquitur, sed Christus. Hebraeus vero patris personam sonat: Ego constitui seu ordinavi regem meum super montem Zion sanctum meum. Nec puto hanc rem tanti esse momenti, ut propter verbi controversiam digladiemur, cum uterque sensus bonus sit, nisi quod hebraeus textus tropo scripturae usitato magis convenit, quo patri tribuitur auctoritas, juxta illud Ps. 110.: „Dixit dominus domino meo: Sede a dextris meis;" et Ps. 89.: „Et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae." Stapulensis putat dici posse: Ego autem unxi regem meum, nixus verbo fidelium Act. 4., ubi dixerunt: „Convenerunt adversum puerum tuum Iesum, quem unxisti." Sed videntur verbum unxisti non ex isto versu, imo ex secundo sumsisse, ubi dixerant: „Adversus Christum ejus," quod sonat: Adversus unctum ejus, quod confirmandi affectu repetunt. Vere, inquiunt illi, Christus et unctus est, quem tu unxisti, id est, Christum fecisti.

Illud pro mea parvitate sapio, „sanctum meum," nisi Hebraeus cogeret ad montem Zion copulari, non inepte ad Christum pertinere videretur, ut esset sensus: Ego constitui regem meum super Zion montem, non quemlibet hominem, sed eum, qui est sanctus meus, unctus a me Spiritu sancto. Nam Christus sanctus

Dei et sanctus Israel dicitur in scripturis, ut Ps. 16.: „Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem;“ et Ps. 89.: „Domini est assumtio nostra, et sancti Israel, regis nostri.“ Sed Hebraeus (ut dixi) montem sanctum meum habet.

Est itaque sensus: Illi noluerunt eum regnare super se, et adversus me et regem meum convenerunt. Verum consilium meum stabit, et voluntas mea fiet. Quis resistet vultui meo? Occiderunt illi eum, ego regem constitui eum, subduxerunt sese illi, ego montem Zion sanctum subjeci ei, et omnes terminos terrae, ac sic irrisi et subsannati sunt, et inania meditati palam ostenduntur.

Pertinet iste versus ad locum communem ambitionis et arrogantiae, quibus hodie in ecclesia Christi nihil impudentius dominatur. Sic enim Hebr. 5. apostolus eum tractat: „Nec quisquam sumit sibi honorem, nisi vocatus, tanquam Aaron, nec Christus se ipsum glorificavit, sed qui dixit ad eum: Filius meus es tu; et iterum: Sede a dextris meis.“ Hoc est, quod totus psalmus hic paene inculcat, qui omnia Christi a patre ordinata, non a Christo ipso arrogata et ambita describit. At decreta nostra a jam multis annis vix aliud quam de dignitate, potestate, privilegiis multo et gravi ambitionis foetore tractant, sine ulla patris ordinatione aut constitutione.

Ecclesia Christi mons Zion vocatur, quod inceperit et misso Spiritu sancto ibi instituta est, et quanquam nulli sit loco addicta, tamen necessarium erat, ut in aliquo certo loco exordium haberet. Unde et postea illinc mota est in omnem terram, ut impleretur illud Christi Ioann. 4.: „Venient dies, quando nec in Ierusalem nec in monte hoc patrem adorabitis.“ Atque

ita ecclesia jam nullum locum, et omnem locum habet. Simul Spiritu sancto magistro ecclesiae Hierosolymitanae haec modestia servata est, ut nunquam de primatu et dignitate cum aliis ecclesiis certaret, sicut Romana et Constantinopolitana certaverunt diuturno et scandaloso certamine, cum tamen illa (si primatus quaerendus esset) omnibus juribus anteferri ceteris debuisset, tum quod Christus ipse pontifex illius fuerit, rex constitutus a Deo patre, tum quod ecclesia tota ibi exorta, exinde natae omnes ecclesiae, vereque mater ecclesiarum ipsa sola, ibi omnes apostoli et discipuli velut presbyteri fuerint. Sed noluit Deus id fieri, ut arrogantiam istam primatus reprobam nobis ostenderet, nec affectandam ulli alteri, quam nec ei, cui debebatur, permiserit.

Non quod damnem Ro. ecclesiae monarchiam, sed quod detester eam vi et impetu extorqueri ac velut praecepto Dei arrogari, quae mutuo fidelium consensu et caritatis vinculo debuerat stabiliri, ut esset non dominantis potestatis, sed servientis caritatis monarchia. Arrogantiam damno, rem commendo, aurum non est malum, sed avaritia, caro non est mala, sed libido carnis, quanquam etiam hic satis resistit vigilanter Christus, quod nunquam orientis ecclesias huic subjici passus est.

Igitur mons Zion vocatur usitatissimo tropo synecdoche continens pro contento, sicut Hierusalem civitas pro populo civitatis. Non solum autem hac ratione, sed et nominis, rei et formae allegoria. Nomen Zion speculam significat. Ecclesia autem non tantum specula dicitur, quod Deum et coelestia per fidem (id est, a longe) speculatur, sapiens quae sursum sunt, non quae

super terram, sed etiam, quod in ipsa sint veri speculatores et vigiles in spiritu, quorum est populi subjecti curam habere, et insidias hostium et peccatorum observare, qui graece episcopi velut speculatores vocantur, quos ob eandem causam Zienicos aut Zibnios ab hebraeo fingere possis.

Res autem est, quod Zion mons est. Ita ecclesia coram Deo spirituali altitudine sublimis est propter magnitudinem virtutum, donorum, gratiarum, operationum etc., quibus eam Deus exaltavit super omnem potentiam, sapientiam, justitiam hominum, juxta illud Isa. 2. et Mich. 4.: „Erit mons domus domini in vertice montium, et elevabitur super omnes colles." Quod iterum cogor interpretari propter carnales istos somniatores, qui verba Dei semper trahunt ad pompam mundi. Exaltatur ecclesia super omnem potestatem et altitudinem mundi, non divitiis aut potentia, sed fide, spe, caritate et virtutibus contemtricibus divitiarum et potentiae mundanae. Quod enim ecclesia nunc in his est sublimis, non ecclesiae proprium est, sed peregrinus quidam Leviathan, ideoque tantum decrevit in sapientia verbi Dei, in sanctitate vitae, in virtute operum etc. Hi enim sunt montes et vertices verissimi ecclesiae Christi, in quibus non potest eam mundus aemulari. In illis autem mundum ipsa jam diu superat, si ecclesia vocari debet, quae talia facit. Nam ecclesiam veram Christi certum est semper eandem manere.

Forma Zion montis fuit, quod ipse in vertice meridiano erectus civitatem Hierusalem sub se habuit, in latere aquilonis declivem, et ad se acclivem, ut Ps. 48.: „Mons Zion latera aquilonis, civitas regis magni."

Ista declivitas et acclivitas potest significare pugnam internam populi Christi, quae est inter carnem

et spiritum, caro ad aquilonem, spiritus ad meridiem tendit, aut duas illas vitas, activam et speculativam. Illa declinat ad curanda temporalia propter alios, haec adscendit ad coelestia, et pendet ad speculam, in qua sunt episcopi vita et verbo excellentissimi, alios ad se trahentes. In quorum medio est mons Moria, mons templi, hio est Christus Deus et homo, qui utramque complectitur, in utraque moratur, sicut idem mons Moria intra Hierusalem sub monte Zion situs figurat.

Est enim mons Moria, id est, visionis, in quo Abraham obtulit filium suum, in quo et Salomon postea aedificavit templum, et nos quoque super Christum offerimur cum Isaac, et aedificamur in templum Dei per verum Salomonem. Christus enim mons Moria nobis est, quod Deus neminem videat neque agnoscat, qui non hoc loco, id est, super Christum et in Christo offertur et aedificatur, super hunc enim solum respiciunt oculi domini. Unde vocatur mons „dominus videbit in aeternum.“ Verum haeretici et superbi alios montes visionis seu invisionis potius erigunt, dum justitiis et operibus suis mereri Dei respectum volunt.

„Sanctus“ dicitur non figurali illa sanctitate legis aut externae consecrationis, in spiritu enim loquitur. Ideo non contentus dicere montem sanctum addit „meum,“ quasi dicat: Qui et mea sanctitate sanctus est, non qua lapides, ligna, parietes sanctificantur, sed qua mens et corpus unctione gratiae Spiritus consecrantur, et per fidem, spem, caritatem purificantur de die in diem. Est enim sanctum, quod ab usu profano separatum solis sacris et divinis usibus dicatum est. Quod ceremonialiter et literaliter fit per pontifices homines, sed veritate et spiritu per Spiritum sanctum diffusum in cordibus nostris.

In quibus omnibus manifeste distinguit Christi regnum ab omnibus aliis regnis. De hoc solo rege pronuntiat: „Ego constitui,“ seu: „Ego constitutus sum,“ quae persona, cum sit Deus invisibilis et spiritualissimus, omnino spiritualem constitutorem indicat, cum ceteros non ipse per se ipsum, sed homines per homines constituit, visibiles per visibiles. Non ergo regnum Christi est de hoc mundo, sed in spiritu et veritate. Item: „Regem meum,“ non regem hominum, seu quem homines constituunt. Christus ergo rex in spiritu et coram Deo est. Deinde quanquam super montem Zion constitutus est, tamen adjectum est: „Sanctum meum“ (seu „sanctum ejus“), ut regnum Christi intelligatur quidem esse populus in Zion, sed is, qui spirituali sanctitate sanctus est.

Vides iterum, non in potestate, nec sapientia, nec dignitate mundi ecclesiam Christi consistere, etsi sunt, qui extra monarchiam novam nullum christianum exsistere garriant, cum monarchiae potentia nihil pertineat ad spiritualem sanctitatem.

Praedicans praeceptum ejus.

Hebraeus hoc loco septimum versum incipit hoc modo: „Narrabo Dei praeceptum, dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te,“ quae cohaerentia meo judicio id efficit, ut sciamus, de quo praecepto velit intelligi, quod sese narraturum dicit, nempe de illo, quod subjungit: „Dominus dixit ad me: Filius meus es tu etc.“ Hoc, inquit, habeo in mandatis, ad hoc sum rex constitutus, ut annuntiem omnibus, me esse filium Dei, clarificare enim patrem debeo. Nam hic est scopus universi evangelii, Christum nosse filium Dei, sicut Matth. 16.: „Quem vos me esse dicitis?

Respondit Petrus: Tu es Christus, filius Dei vivi." Super hanc petram aedificata est ecclesia.

Ita et Paulus 1. Corin. 1.: „Nos praedicamus Christum virtutem et sapientiam Dei," et ipse per totum evangelium Iohann. aliud non facit, quam ut sese filium Dei ostendat, semper patrem Deum praedicans. Quod et in passione ei objectum est pro capitali crimine. Venit enim Christus ad instituendam fidem, qua creditur in eum ipsum filium Dei. Haec autem fides est plenitudo omnium legum, justitia in saeculum saeculi, opus magnificentiae Dei, mortificatio carnis, resuscitatio spiritus, victoria mundi, victoria carnis, victoria inferni, sicut ait: „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam," breviter, haec est omnia in omnibus. Sic Iohann. 8.: „Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro." Rursum Iohann. 6.: „Qui credit in me, non morietur in aeternum."

Hinc apostolorum epistolae plenae sunt fidei doctrina, quae ipsa est vita aeterna, sicut Iohann. 3.: „Qui credit in filium, habet vitam aeternam, qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum;" et 12.: „Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar, et scio, quia mandatum ejus vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor." Claret ergo, quod praeceptum Dei praedicarit, scilicet fidei in se ipsum filium Dei, in salutem omnibus, qui recipiunt eum, qui credunt in nomine ejus etc.

Sed dices: Si hoc voluit Spiritus, cur non planius verba disposuit, in hunc modum: Annuntiabo Dei praeceptum, quod ego sum filius ejus, hodie genuit me etc.?" Respondeo: Spiritus sanctus ubique sui similis est.

Sic enim et in evangelio Iohannis, quando de se suaque divinitate loquitur, omnino id observat, ut auctoritatem patris semper adducat, et totum, quod ipse est, in patrem referat. „Ego, inquit, a me ipso non loquor," „doctrina mea non est mea," et „pater in me manens ipse facit opera." Et multa alia.

Ita et hic, cum se praecepto patris diceret annuntiaturum se esse filium Dei, primum inducit patrem ad se dicentem, ut magis patrem in filio, de filio loquentem, quam ipsum filium de se ipso audiamus, ut sit sensus: Annuntiabo Dei praeceptum, me esse filium Dei. Sed non hoc faciam mea auctoritate, ne jactare me videar. Quin potius, quid pater de me dixerit, vobis annuntiabo, ut ipsum de me dicentem audiatis, qui mihi mandavit annuntiare id, quod ad me dixit, ut sic auctoritate illius mihi de me credatis.

Et nota, mutatio ista personarum, jam patris, jam filii recitantis verba patris de se ipso, venerabilis et sacra est, divinitatis naturam et aequalitatem sanctius commendans, quam ut ego pro mea immundicia latius audeam versare. Denique hic Psalmus unus principalium Psalmorum est totius Psalterii. Id sufficit, quod etiam Pauli apostoli auctoritate hic versus de generatione divinitatis loquitur, Heb. 1. dicentis: „Cui enim angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu, ego hodie genui te?"

Jam hoc unusquisque per se observabit, quod verba patris exprimunt unigenitum filium. „Dixit, inquit, ad me," scilicet, unum, non ad multos, „filius meus es tu," unicus, sine dubio tam singularibus notis insignem illum prae ceteris filium significans, de quo Ps. 89.: „Quis similis erit Deo in filiis Dei?" quasi dicat: Multi

filii Dei, sed inter eos unus, qui Deus est, quis huic similis? Item: „Ego genui te," solus solum etc.

Et illud quam vigilanter et digne sancti patres interpretati sunt: „Hodie genui te," id est, in aeternitate. Aeternitas est, quod genitus est, gignitur, gignetur sine fine, cui hoc est esse filium, quod nasci ex patre, nec nasci coepit nec desinet, sed semper nascitur praesentissima nativitate. Recte „hodie" genitus dicitur, id est, nascens semper. Nam hoc „hodie" non habet hesternum nec crastinum, sed semper diurnum, sicut Iohann. 8: „Antequam Abraham fieret, ego sum."

Ubi estis nunc miseri et ambitiosi homines, qui vices hujus regis in ecclesia vel ambitiose quaeritis, vel infructuose tenetis, qui non annuntiatis Dei praeceptum, non praedicatis Iesum Christum crucifixum filium Dei in salutem credentium, sed thezauros colligitis, deliciis affluitis, lascivitis in omni pompa rerum? Hic filius Dei constitutus homo rex non quaerit, quae sua sunt, sed annuntiat Dei praeceptum, qui regnum suum non sibi, sed aliis in salutem accepit, in gloriam patris.

At hoc unum officium verbi, quod solum episcoporum est, solum prae ceteris omnibus omittitur. Deinde si sunt, qui illorum vice doceant, non praeceptum domini, non Christum, sed suas fabulas, aut si optime, leges et traditiones hominum docent, Proinde ne credas ibi ecclesiam, montem sanctum Dei, esse, ubi Christus Christum non purissime docet. Pondus enim verbi grande est, quod dicit: „Annuntiabo Dei praeceptum." „Dei," inquit, non hominum praeceptum, consilium, historias. Et ipse ego annuntiabo, nam nisi Christus loquatur in nobis, praeceptum Dei nunquam

annuntiabimus. „Ego, inquit, ero in ore tuo, et dilata os tuum, et implebo illud.“

Nihil ergo discordat nostra translatio in sensu cum hebraea, nisi quod distinctio varia nonnihil et sensui officere solet, quo tamen habito distinctio non nocebit, quare contentiosus esse nolo.

Discernit itaque hic versus genus doctrinae, quod in novo testamento docetur, ab eo, quod in veteri docebatur. Olim lex, quae iram operabatur et peccatum augebat, nunc fides, quae remissionem operatur et justitiam adimplet, docetur. Ideo illic legifer homo Moses et servus, hic legifer Christus, Deus et dominus omnium. Ille faciebat servos peccati, hic liberos justitiae.

Non quod etiam nunc non doceatur lex, cum Christus dicat Matth. 13. utraque doceri a docto scriba in regno coelorum, tam vetera quam nova, sed quod gratiae praedicatio propria sit novi testamenti, et legis propria veteris testamenti, cum enim nullus sit in hac vita, in quo impleta sit omnis plenitudo novi testamenti, nullus quoque invenietur, in quo non sit aliqua pars veteris testamenti reliqua. Transitus enim est et phase quoddam haec vita de lege ad gratiam, de peccato ad justitiam, de Mose ad Christum, consummatio autem futurae resurrectionis est.

Postula a me, et dabo tibi gentes in hereditatem, et possessionem tuam terminos terrae.

Et hoc ad praeceptum pertinet, quod annuntiandum sibi Christus mandante patre desumsit. Dixit, inquit, dominus ad me, mandavitque mihi pater, ut postulem ab eo gentes in hereditatem, et hoc prae-

ceptum ejus annuntiabo, ut credatis et sciatis me constitutum non tantum regem super Zion montem sanctum ejus, id est, super populum Israhel, sed et heredem ac dominum universorum, ut, qui hoc mandatum Dei a me audierit et crediderit, per me ad patrem veniat et salvus fiat.

Iterum vides Christi regnum non arrogantia sua praesumtum, sed patris auctoritate et mandato firmatum. Sic enim ambitiosis non modo non oportuit exemplum aut patrocinium relinqui, sed vitium eorum etiam divina auctoritate compesci, nec sic tamen satisfactum est monstro tam valido. Christus, dominus omnium, nihil citra Dei mandatum in ecclesia gerit et facit, et vermiculi hominum tentant et audent omnia temeritate propria in ecclesia non sua.

Quid autem hoc sibi vult, quod constituendo super montem Zion non praecipitur, ut postulet regnum montis Zion, super gentes autem promittitur hereditas nonnisi postulanti, imo postulare jusso?

Forte quod Israeli promissa fuit in Abraham benedictio et regnum Christi, gentibus autem sine promissione donata est misericordia, ut Ro. 15.: „Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum etc.“ Veritas Iudaeis exhibita est, et promissio exsoluta, gentibus autem misericordia libera impartita. Hinc misericordia et veritas usitatissime copulantur in prophetis, quanquam et illud fuit gratuitae misericordiae, quod promittere dignatus est.

Ideo Zion Christo non postulanti datur in regnum, gentes autem postulanti in hereditatem, tanquam donum Christi, ut quibus nihil promissum esset. Sic et Isa.

ultimo: „Annuntiabunt gentibus gloriam meam, et adducent fratres vestros de cunctis gentibus, donum domino.“ Ita Israel regnum, nos gentes donum, velut dos filiae Pharaonis, quam ei dedit Pharao, rex Aegypti. Denique ubi Christus rex super Zion constituitur, verbis utitur praesentibus, et rem ipsam fieri ostendentibus. At ubi heres denuntiatur, primum postulare jubetur, et in futurum ei promittitur. Quae omnia impleta videmus in Acti. apostolorum, quando discipuli non praedicabant verbum nisi Iudaeis, donec Paulus de coelo vocatus mitteretur apostolus in gentes. Igitur Christus jam rex super Zion in terra constitutus postulat, sed in coelis regnans accipit gentes postulanti promissas.

Etiam hic non otiose dicit: „A me“ ut ostendat hoc regnum et hanc gentium hereditatem Christo non ab hominibus nec humano modo, sed divinitus, hoc est, spiritualiter collata.

Hic unus est eorum locorum, contra quos temerarie pugnant, qui negant esse christianos eos, qui non sunt sub Romano pontifice. Hi enim Deum patrem mendacem facere conantur, ut qui terminos terrae Christo subjecerit, cui ipsi necdum Europam totam subjiciunt. Annon possunt esse christiani, quia Turca aut Schyta temporaliter illic dominatur? Quomodo ergo Romae potuerunt esse sub Nerone et Domitiano? Annon sunt illic episcopi, quia non emunt pallia? Non sacerdotes, quia non pendunt annatas? Quid si eo verius sunt episcopi, quo magis opulentia, fastu et pompa vacui verbum Dei docent, et regunt populum Christi? Certe apostolus Paulus episcopos definit Actu. 20. per attendere gregi et regere ecclesiam Dei. „Attendite, inquit, vobis et universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus episcopos, regere ecclesiam,“ cum tamen

dicans praeceptum domini." Spiritus enim accipit verbum Dei ut praeceptum jucundissimum. Tunc enim fit, ut mons Zion sanctus in regnum, et gentes in hereditatem, et termini terrae in possessionem cedant. At caro fert praeceptum seu verbum Dei indignissime, nec agnoscit ipsum, cum sit ei penitus et omnibus modis contrarium. Ideo ut virgam et ferrum et confractionem sui accipit, et sic completur allegoria, tam significante hoc versu, quam exhibente re et opere.

„Reges eos," hebraice תְּרֹעֵם, quod b. Hieronymus transtulit: Pasces eos. At Iohannes Reuchlin in rudimentis suis hujus verbi multas ostendit significationes, scilicet, pascere, regere, absumere, affligere *), conquassare, seu confringere et conterere. Et haec ultima significatio, quantum ego inuenio, omnium aptissima est huic loco, primum, quod virga ferrea omnium sensu magis idonea sit ad conterendum et confringendum, quam ad pascendum vel regendum. Deinde ad regendum suffecerat dicere, virga, ad pascendum autem neque virga neque ferrea apte dicitur. Ferrea autem virga quid fiet, nisi contritio et confractio? juxta illud Dani. 2.: „Quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia haec." Ad haec, quod hoc modo tautologia pulchre concinit, quia sequitur: „Tanquam vas figuli confringes eos," ut idem sit confringes, quod reges seu pasces.

Utroque verbo significatur humiliatio superborum per verbum Dei, quod tunc confringit et conterit, quando terret et humiliat. Sic Ro. 1. per evangelium revelari dicit iram Dei de coelo futuram. Sic Actu. 2. ad verbum Petri conversi et compuncti dixerunt: „Viri,

---

*) In edit. princ. † amicus, cogitatio.

fratres; quid faciemus?". Hoc est, quod alibi increpationes, commotiones orbis terrae, tremores terrae appellat scriptura. Omnium autem pulcherrime Micheas 4.: „Surge (inquit) tritura filia Zion, quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam aereas, et comminues populos multos, et interficies domino rapinas eorum (id est eos ipsos diabolo velut spolia ablatos) et fortitudinem eorum domino universae terrae." Ecce quid sit regere eos in virga ferrea, nempe comminuere (ut hic dicit) cornu ferreo populos multos.

Virga itaque est sacrosanctum evangelium Christi, hoc enim est sceptrum regni ejus, ut Ps. 45.: „Virga rectitudinis virga regni tui," et Ps. 110.: „Virgam virtutis tuae emittet dominus ex Zion." Ita Isa. 11.: „Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium." Quid est virga oris Christi, nisi verbum Dei, quo conterit terram, hoc est, terrena sapientes? Quid spiritus labiorum, nisi idem verbum spiritus, quo interficit impium, ut vivat pietati, mortuus impietati? Haec est virga, cujus fastigium in manu Ioseph adoravit Iacob, Ge. 49., haec virga, cujus fastigium osculabatur beata Hester, ejusdem 5.

Dicitur virga μεταφορικῶς seu potius ἀλληγορικῶς, primum, quia gracilis et facilis est, ut manu gestari possit, quia jugum Christi suave et onus ejus leve. Matth. 11. Mosi autem manus graves sunt, Exo. 17., ita ut suppositis lapidibus ab Aaron et Hur sustentarentur, hoc est, ut Act. 15. Petrus exponit, onera legis importabilia. Contra manus Christi imponuntur etiam parvulis passim in evangelio et aegris, ut bene habeant.

Sed et Moses duas grandes lapideas et graves tabulas habet. Deinde Levitae olim grandes et multas tabulas tabernaculi portabant, de quibus Numeri 4.: „Haec

sunt, inquit, onera eorum," Vere onera gravia et multa, si sola considerentur, verum nulla, aut certe modica, si ecclesiasticas leges et jura hodie tyrannisantia spectes. Nos enim non tabulas, sed silvas et rupes integras hodie portamus, et manus pontificum tam graves, ut orbis universus non sustentare possit, et hoc merito, quia virgam Christi projecimus, ideo contigit nobis illud Isai. 8.: „Quia abjecit populus iste aquas Siloe, quae fluunt cum silentio, propter hoc adducet dominus super eos aquas fluminis fortes et multas."

Secundo, quia recta est, evangelium enim et lex spiritus per rectitudinem et viam compendii ducit ad vitam, ubi lex literae per longas figurarum et operum ambages, ac velut per taediosissimum iter deserti, vix perducit tamen usque ad campestria Moab, nec ad terram promissionis pervenit, sed cum Mose deficit.

Tertio, quod lex Christi nuda et revelata est, sicut virga sine theca portatur. Lex Mosi in arca et tabulae velatae portabantur, quod omnis lex, omnis operatio citra Christi legem umbra et absconditae justitiae signum sit, non autem res ipsa, quae per legem Christi revelatur. Ro. 1.: „Iustitia Dei revelatur in evangelio ex fide in fidem."

Ferrea autem dicitur, primum (ut dixi) propter carnem, cui lex Christi est durissima, etiamsi suavissima. Imponit enim crucem et mortem omnibus desideriis ejus, paupertatem, humilitatem, patientiam. Haec sunt tria cornua crucis, paupertas enim concupiscentiam oculorum et avaritiam, humilitas superbiam vitae et ambitionem, patientia concupiscentiam carnis et voluptatem conterit. Inde Isa. 27. vocat gladium durum et fortem: „Visitabit dominus in die illa gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan serpentem.

Secundo, quia inflexibilis et invincibilis rectitudinis seu (ut b. Aug. hic sentit) inflexibilis justitiae. Quantumlibet enim multi fuerint conati verbum Dei in suum sensum torquere et incurvare, permansit tamen invictae rectitudinis, mendaces convincens eos, qui se torserunt. Non est enim arundinea, sicut baculus Aegypti, 2. Re. 17. et Isa. 36., super quem qui innixus fuerit, manus ejus ingredietur, et perforabit eam. Est autem arundo doctrina hominum, omni vento opinionum agitata. At vox ista clamantis in deserto, ut non est vestita mollibus, ita nec arundo vacua et vento agitabilis, sed plena et solida ac ferrea.

Quod autem scripturae aliqui tribuunt caereum nasum, et velut arundinem motabilem dicunt, factum est opera eorum, qui sancto verbo Dei in suas ineptas et instabiles opiniones et glossas abutuntur, facientes, ut verbum Dei, dum omnibus convenit, nulli conveniat.

Tertio, sicut ferrum omnia comminuit et domat, ut Dani. 2. dicitur, ita verbum Christi magna comminuit, (id est, superbos humiliat), distorta componit, (id est, indisciplinatos castigat,) erecta incurvat, (id est, elatos inclinat,) aspera complanat, (iracundos mitigat,) brevia prolongat, (pusillanimes consolatur,) longa abbreviat, (praesumentes exterret,) crassa dilatat, (tenaces reddit largos,) lata coarctat, (prodigos facit frugales,) obtusa exacuit, (indoctos erudit,) acuta hebetat, (sapientes stultificat,) rubiginem pellit (accidiam fugat). Summa omnem formam vitiosam destruit, et in aliam Deo placitam mutat, et ut apostolus 2. Timo. 3. dicit: „Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus."

„Tanquam vas figuli,“ similitudinem miscet allegoriae pro illustranda sententia. Apostolus 2. Cor. 4. „vas fictile“ allegorisans corpus, imo hominem in corpore significat. „Habemus (inquit) thesaurum hunc in vasis fictilibus, ut sublimitas virtutis sit Dei, et non ex nobis.“ Hae sunt lagenae illae fictiles Gedeonis, quae juxta vocem tubarum concussae et collisae ardent et lucent, ac Madianitas confusos persequuntur et fugant, hoc est, martyrum et sanctorum corpora variis crucis passionibus confracta caritatis et veritatis exemplis mundum erudierunt, et impios cum impietate sua effugaverunt. Et tropologice, dum caro seu carnalis homo verbo crucis et virga ferrea confringitur, vitiorum et concupiscentiarum turba confusa disperit a facie virtutum et gratiae illustrantis hominem.

Est autem similitudo hoc loco, non res ipsa observanda. Non enim Christus suos confringit et discutit, membrum corporis a membro discerpens, sicut fictilia confracta in multas particulas disgregantur, sed quod haec corporalis dissipatio similitudo sit spiritualis dissipationis, hoc est, quod membra corporis corporaliter non dissipata dissipantur in suis malis desideriis et actibus.

Lingua non loquitur, quae carni placent, auris non audit detractionem, oculus non videt turpia, manus non rapit aliena, non tractat illicita, et in universum corpus peccati, quod membris antea utebatur pro suis concupiscentiis, repente Dei verbo dissipatis ac ab eo officio deturbatis membris destitutum quandam felicem Babylonem repraesentat, dum, ut apostolus Ro. 6. ait, membra, quae prius exhibita fuerunt servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, nunc exhibentur servire justitiae in sanctificationem. Sic in evangelio

quoque fortior ille arma non modo aufert, sed et distribuit. Nam hebraea dictio תְּנַפְּצֵם, disperges, dissipabis, disjicies eos, significat auctore Reuchlin.

Igitur „vas figuli" omnes christiani sunt primum, quod vas figuli facillime frangitur, ita mites homines, incredulitatis duritia non obstinati, facile cedunt verbo Dei, non contradicunt neque resistunt. Qui vero mentis sunt durae (ut Proverb. 28 vocat), corruent in malum, et sine dubio subvertentur sicut montes, et conterentur sicut rupes, ut 1. Re. 19. Helias vidit.

Secundo, quod vas fictile confractum prorsus sit inutile ad usum priorem, ut illud Isa. 30. impleri videas: „Non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut parum aquae de fovea." Loquitur enim de lagena figuli valida contritione comminuenda, fere ad verbum cum versu isto consentiens. Ita impius conversus et in Christum mutatus pristinae vitae redditur inutilis, dicens cum apostolo Gal. 6.: „Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo."

Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.

Interpres etymologus pro judices terrae dixit: Qui judicatis terram. At sine etymologia reges dixit, non: Qui regitis, verum hoc parum ad rem.

Descripto regno Christi sanctam et fidelem eruditamque subjungit exhortationem, omnia tentans ac contendens, ut subjectos Christo reddat omnes, maxime majores.

Sed quam audax et ut hodie solemus loqui, quam seditiosus et scandalosus propheta iste procacissimus, qui os in coelum ponit, non infimates et plebeculam,

sed summos vertices et reges ipsos audet invadere, et eos docere, qui tam titulo et officio docendorum populorum inflati tum usu et opinionis honore securi, impatientissimi sunt hujus maximae infamiae, esse videlicet eos stultos et ineruditos, egereque ut doceantur et erudiantur.

Facile namque est, indoctam plebem, discipulatui assuetam, discipulam habere. At reges, judices terrae, magistros, rectores, doctores pontifices plebi non modo aequare, et in discipulorum ordinem post tantum docendi et regendi usum cogere, verumetiam tacita plebe eos solos discipulos requirere, quis quaeso ferat? Quis non tremat hic cum Iohanne baptista verticem Christi tangere? At tangendus tamen est, et aqua Iordanis, descendentis videlicet humilitatis, baptisandus, ut adimpleatur omnis justitia, dum qui sublimis est, humiliat se sub infimo, et infimus pavet sublimitatis humilitatem.

Verum benignus et optimus Spiritus, sciens totam populi inferioris salutem in recta majorum institutione sitam, eos ipsos primum blande et paterne monet, ut sensui suo cedant, paratique sint doceri tanto magis, quanto non suam ipsorum, sed omnium subditorum remagunt, quodque ipsi errare non possint nisi communi totius populi malo, juxta illud: „Caecus caecum ducit, et ambo in foveam cadunt.“

Non solum autem hac ratione eos monet, sed quia scit eos (ut dixi) potestate et officio inflatos semper in ore habere illud Iohann. 9.: „Tu doces nos?“ et illud Hiere. 28.: „Non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a propheta.“ Hac enim vesica et fiducia inflati, soliti fuerunt resistere veris prophetis, non aliter quam hodie resistitur veritati cuicunque ab adulatoribus pontificum garrien-

tibus, quod non praesumitur tantae celsitudinis apud errare, et: Ecclesia non potest errare, papa non potest errare, concilium non potest errare etc.

Illi tamen in veteri testamento rigidius fuerant adstricti obedientiae pontificum, quam nos christiani, siquidem tunc sub poena mortis debebant audire sacerdotem Leviticum, at hodie quando sumus omnes sacerdotes, et illud Isaiae nunc impletur 54.: „Dabo filios tuos universos doctos a domino," et Hiere. 31.: „Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens: Cognosce dominum, omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait dominus;" et 1. Corin. 14. Paulus manifeste praecipit, ut si cui sedenti facta fuerit revelatio, prior debeat tacere.

Ideo in novo testamento sic sunt audiendi superiores quicunque, ut liberum relinquatur cuique infimo de superioris sententia judicare, in iis, quae sunt fidei, multo magis quam prophetis liberum fuit majoribus Israel resistere, non obstante Dei praecepto. Nam in synagoga, ubi sacerdotium in externis tantum ceremoniis agebat, sine periculo erat quicunque error sacerdotum. At in ecclesia, ubi res spiritus et fidei agitur, omnium prorsus interest observare, ne sacerdos erret, cum Deus soleat infimo revelare, quod summo ne dignatur quidem ostendere, ut regnum suum sit firmum in humilitate, qua sola subsistit.

Observa emphasin adverbii „nunc". Nunc, inquam, postquam Christus constitutus est rex omnium, in quo tempore duo sunt, quae vos maxime remorabuntur, ne recta cognoscatis.

Primum, quod Christus ille a vobis crucifixus, mortuus, damnatus, etiam auctore Deo maledictus secundum legem Mosi, praedicatur dominus dominantium.

Difficillimum omnium erit, agnoscere eum regem, qui tam desperata et ignominiosa morte interiit. Sensus fortiter repugnat, ratio abhorret, usus negat, exemplum deest, plane stultitia haec gentibus et Iudaeis scandalum erit, nisi super haec omnia mentem elevaveritis.

Secundum, quod rex iste sic regnat, ut omnia, quae in lege sperastis, contemnenda, omnia, quae timuistis, amanda doceat, crucem mortemque proponit, bona quae videntur, et mala juxta vilipendenda esse suadet, longe in alia vos bona, easque quae nec oculus vidit, nec in cor hominis adscenderunt, vos transpositurus. Moriendum est vobis, si sub hoc rege vivere vultis, crux et odium totius mundi ferenda, ignominia, paupertas, fames, sitis, breviter mala omnium fructuum mundi non fugienda. Hic est enim rex, qui et ipse stultus factus est mundo et mortuus, deinde conterit suos virga ferrea, tanquam vas figuli confringit eos.

Quomodo hunc sustinebit, qui sensu nititur, qui rem ratione metitur, qui stat in ostio papilionis sui, qui faciem sui Mosi videre nequit? Ideo intellectu opus est et eruditione, quibus haec transcendatis et visibilibus contemtis in invisibilia rapiamini, non sapientes ea, quae super terram, sed quae sursum sunt, ubi Christus est etc.

Proinde verbum „intelligite“ in hebraeo sonat הַשְׂכִּילוּ, quod absoluto statu significat: Intelligentes facite, scilicet vosmet ipsos (ut Hie. exponit) vel alios, hoc est, sic agite, hoc contendite, ut sitis intelligentes, et spiritualia ac coelestia sapiatis, quod nostra vernacula dicimus: Seind weis und vorständig, simili sententia, qua Ps. 32.: „Nolite fieri sicut equus

et mulus, quibus non est intellectus." Est autem haec intelligentia, non de qua philosophi opinantur, sed fides ipsa, quae in rebus prosperis et adversis potens est ea videre, quae non videntur.

Ideo non exprimens, quae intelligant, absolute dicit: „Intelligite," id est, facite, ut sitis intelligentes, curate, ut sitis creduli. Non enim habent nomen neque speciem ea, quae fides intelligit. Nam praesentium rerum prosperitas vel adversitas penitus subvertit omnem hominem, qui fide non intelligit invisibilia. Hic enim intellectus ex fide venit, juxta illud: „Nisi credideritis, non intelligetis," et est ingressus illc caliginis, in qua absorbetur, quidquid sensus, ratio, mens intellectusque hominis comprehendere potest. Conjungit enim fides animam cum invisibili, ineffabili, innominabili, aeterno, incogitabili verbo Dei, simulque separat ab omnibus visibilibus, et haec est crux et phase domini, in quo necessarium praedicat hunc intellectum.

„Erudimini judices terrae," Aug. tautologice dictum accipit. Est autem et hoc verbum „erudimini" absoluti status pro eo, quod est: Agite, ut sitis eruditi, hoc est, e rudibus animalibusque sensuum et sensilium rerum affectibus et opinionibus eruti, ut non pueriliter de Christo regnoque ejus sentiatis. „Animalis enim homo non percipit ea, quae Dei sunt." 1. Cor. 2. Mihi autem eruditio videtur significare aversionem cordis a rebus pereuntibus, sicut intellectus conversionem et apprehensionem rerum aeternarum. Illam crux operatur in carnis mortificatione, hanc fides in spiritus vivificatione.

„Terram" significare figurate homines in terra notius est, quam ut indicari egeat, nisi quod Aug. libentius tropologisans corpus significari putat.

Servite domino in timore, et exsultate ei cum tremore.

Mira sententia et in oculis nostris absurda. Timor enim odium et fugam operatur, non famulatum, et tremor vehementer obstat exsultationi. Deinde et alii Psalmo contrarium dicit, ubi servire domino in laetitia jubemur. Quid igitur? Mediatorem apostolum Paulum audiamus, qui 1. Cor. 1. dicit: „Quod mundus in sapientia Dei non cognovit per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes," quasi dicat: In stultitia sapientes fieri oportet. Ita in pace et prosperitate Deum (sicut oportuit benefactorem non agnovimus, nec laudavimus, placuit, ut nunc in cruce et adversitate eum agnoscamus et laudemus. Ita in securitate non servivimus Deo cum laetitia, placet, ut in timore serviamus ei cum laetitia, et in timore exsultemus.

Et in summa, sicut omnia Dei mundus pervertit, ita rursum Deus omnia mundi pervertit. Creatura tota data est ad erigendum illuminandumque hominem. At ipse illa utitur ad excaecandum et incurvandum se ipsum. Quare rursus Deus utitur creatura tota ad excaecandum et incurvandum hominem. Haec est crux Christi et praedicationis illa stultitia, qua salvos facit credentes. Nam sentientes, ratiocinantes, sapientes, intelligentes in his omnibus offenduntur et perduntur.

Est itaque sensus: Quando Christus dominus in virga ferrea regnat, et confringit veterem hominem verbo crucis, atque id voluntate et mandato patris, qui omnia ei subjecit, oportet ut ei subjectos vos agnoscatis, subjectos autem in timore, quo patienter et humiliter feratis crucem ejus, timentes, ne quo minus manum et consilium ejus sustinentes reprobi efficiamini,

sicut illi, Ps. 78.: „Filii Ephraim conversi sunt in die belli.“ Hoc autem praestabitis, si vos nunquam indigna pati, sed multo majora mereri agnoveritis. Superbi enim, qui sibi tantum bonis digni videntur, securi sunt, non verentur cum Iob omnia opera sua, ideo in tempore tentationis non subsistunt, sed (sicut Matth. 7. de domo stulti viri super harenam aedificata dicitur) magna ruina colliduntur et pejores redduntur. Timor itaque iste in tota vita, in omnibus operibus, est magna pars crucis, imo fere tota crux.

Quin insuper cum apostolo, Ro. 5. gloriandum est in tribulationibus, exsultandum cum tremore. Ex quibus omnibus colligitur duplicem esse Dei servitutem et exsultationem. Est enim

Servitus in securitate et exsultatio in domino sine tremore. Haec sunt hypocritarum, qui securi sunt, sibi placent, nec inutiles servi sibi videntur, merita multa habentes, de quibus Ps. 10.: „Auferuntur judicia tua a facie ejus,“ ad quod sequitur mox illud Ps. 14.: „Non est timor Dei ante oculos eorum.“ Hi justitiam sine judicio faciunt in omni tempore, nec permittunt Christum esse judicem tremendum omnibus, in cujus conspectu non justificatur omnis vivens.

Servitus in timore et exsultatio cum tremore, justorum est, qui justitiam faciunt, et judicium omni tempore, utrumque semper temperantes, nec unquam sine judicio, quo terrentur ac desperant de se suisque operibus, nec sine justitia, qua confidunt et exsultant in misericordia Dei. Horum totius vitae officium est, se ipsos in omnibus accusare, Deum in omnibus justificare et laudare, ac sic implent illud Prover. 28.: „Beatus homo, qui semper est pavidus,“ simul illud 1. Thessa. ultimo: „Semper in domino gaudete.“ Ita inter me-

lam inferiorem et superiorem, Deut. 24., conteruntur et humiliantur, et exuta theca frumenti fiunt farina purissima Christi.

Emphasin istam tuo relinquo studio, qua dicit: „Servite domino," non tibi, non ventri, non auro, non denique justitiae, potestati, sapientiae tuae, nec ulli prorsus rerum. Haec enim species sunt idololatriae. Ita: „Exsultate ei," non vobis, non ulli creaturae, sed soli domino. Hoc autem fit, quando in omnibus tibi nihil arrogaris boni, de quo confidas ac glorieris, sed soli Deo tribuas omnia, et ipsum in omnibus laudaris, benedixeris, amaveris, tibi vero omne malum attribueris, in quo timeas, tremas, diffidas, sicut Iob pro utroque tempore dixit: „Dominus dedit, dominus abstulit, sit nomen domini benedictum."

Haec omnia quam sint difficilia, videbis, si utrumque tempus observes. In adversitate enim arduum est, non deficere, non querulari, non impatientem fieri, et timore malorum non facere aut omittere contra Dei praeceptum, ac sic timore Dei superare timorem creaturae, non cedere affectibus et objectis, sed adhaerere verbo domini usque etiam ad mortem. Hic enim probatur, an domino serviatur, an plus Dei voluntas timeatur, quam creaturae cujuscunque violentia. Porro in prosperitate etiam magis periclitatur tremor Dei, quam in adversitate timor Dei. Hic enim exsultatur secure, et difficile est timere, nedum tremere, dum omnia cedunt ex sententia.

Iccirco meo judicio tremorem cum exsultatione et timorem cum servitute aptissime conjunxit, quod servitus laborem adversitatis importet, exsultatio autem otium prosperitatis, atque in hac adeo commendandus fuerit timor, ut etiam tremorem ibi necessarium assere-

rat, quasi dicat: Plus timendum est, ubi timor non est, et quo felicius omnia habent, eo sollicitius timendum, atque adeo tremendum, cum exsultare ac effusius laetari contigerit.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur dominus, et pereatis de via justa.

In heb. „dominus“ et „justa“ non habentur, sed nihil officit. Fere ab omnibus ista translatio reprobatur: „Apprehendite disciplinam.“ Nam heb. נַשְּׁקוּ־בַר dicitur, quod Hiero. in Psalterio heb. transtulit: Adorate pure, quia בַר etiam purum et electum significat. Idem in commentariolo sic dicit: In hebraeo legitur: Nescu bar, quod interpretari potest: Adorate filium. Bar enim et filium significat. Unde Simon bar Johanna filius Johannis in evangelio, et bar Ptolemaeus filius Ptolomaei, Barnabas filius prophetae, et similia.

Burgen. et Lyranus sic: Osculamini filium. Nusquam autem dicitur בַר disciplinam significare. Osculari autem interpretantur homagium praestare, ut sit sensus: Osculamini filium, id est, cum reverentia et humilitate regem et dominum Christum suscipite.

Sed tentemus utcunque *) omnia concordare. Osculum primo signum est reverentiae et adorationis, quomodo sacra et divina osculamur et honoramus, aut humiliter prostrati pedes et vestigia osculamur, sicut Maria Magdalena Christum osculata est. Iuxta hoc Hiero. transtulit: Adorate pure.

Secundo est signum recognitionis et fidei praestandae, ut in homagio, ubi osculari solemus manum, agnoscentes hoc ipso dominum, quem osculamur. Tertio signum est perfectissimae amicitiae et caritatis,

---

*) In edit. princip. utrumque.

quo solemus oculos aut faciem osculari, de quo apostolus praecipit, Ro. 16.: „Salutate invicem osculo sancto." Quo osculo Christus suos discipulos legitur revertentes excipere solitus. Verum quando hoc modo osculantes soleant mutuo sese apprehendere et amplecti, nostra translatio habet: „Apprehendite disciplinam."

Cum autem absolute dicat: „Osculamini filium," non pedes, nec manum, nec faciem commemorans, justum est, ut pro tota latitudine osculi accipiamus, ut Christum osculo pedum adoremus, sicut filium Dei, verum Deum, osculo manus excipiamus, sicut legitimum dominum et sempiternum adjutorem ac salvatorem, osculo oculorum vel faciei amplectamur, sicut dulcissimum fratrem, amicum et sponsum animae nostrae. De iis tribus osculis vide Bernhar. in principio canticorum; ut sit sensus: „Osculamini filium," hoc est, Christum Deum colite summa reverentia, Christo domino subjecti estote summa humilitate, Christo sponso adhaerete summa caritate. Ecce amor et timor, utriusque modus et medium humilitas, haec perfectissima est latria.

Iam illud בַּר, quod filium, purum, disciplinam translatum est, sic concinnemus, quod fides Christi est vere disciplina nostra. Ideo qui in Christum credit (id est, filium osculatur), vere disciplinam apprehendit, portans crucifixum Christum in se ipso (ut ad Galatas scribitur). Non enim Christus secundum carnem osculatur aut apprehenditur, sed in spiritu, id est, dum crux et passio ejus, quibus disciplinamur (Hebrae. 12.), amanter suscipitur. Ideo nostra translatio ad verbum nihil est, ad sensum autem propriissima.

Porro, pure adorare, illud tangit, quod 1. Re. 19. scribitur de adoratione impura Baal, v.: „Dereliquam

mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os, quod non adoravevit eum osculans manum,“ ubi, ut obiter dicam, osculans manum non est in textu, sed idem verbum naska, quod nunc osculari dictum est significare, ponitur, ubi dicitur, quod non adoraverit eum, quod forte quispiam hebraeista interpretatus glossavit: Osculans manum, ut modum adorationis exprimeret, ac deinde in textum relatum est ab imperito scriptore.

At in hunc sensum tamen Iob. 31. loquitur, d.: „Si osculatus sum manum meam ore meo, quae est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum“, quo tropo scripturae b. Greg. interpretatur significari hominem in suis operibus fidentem, ac de justitia non accepta in Christo, sed viribus propriis obtenta gloriantem. Hic enim adorat et osculatur manum suam ore suo, quia se laudat in se, sibi placet in se, non in domino laudatur anima ejus. Ideo est iniquitas maxima et negatio altissimi, ut quae id, quod Dei est, sibi tribuat, se ipsam in idolum Baal sibi statuens, seque adorans, se auctorem faciens bonorum suorum (nam Baal auctorem seu dominum significat). Sic Isa. 2.: „Opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.“ At haec est adoratio impurissima, quare Christum osculari, Christum agnoscere salvatorem, et illius manum osculari, hoc vere et pure et purum adorare est, hoc filium adorare est. „Si filius (inquit) vos liberaverit, vere liberi eritis.“

Concludamus itaque: Vult propheta, ut serviant Christo in timore, se peccatores agnoscant et semper accusent, solum Deum justificent in Christo. Sed cum si possint occurrere, et praetendere se legem servasse,

justos esse, non peccasse, nec Christo ad justitiam opus sibi esse, huic praesumtioni pessimae occurrens dicit: Nolite existimare vos esse justos, exinanite hanc opinionem idololatram, ne vos Deo aequetis, nolite fidere in justitiis vestris, imo filium osculamini, filium amplectimini, illius manus, illius justitia, illius salus vos servabit. Atque hoc nisi feceritis, irascetur justitiae vestrae, et peribitis de via, seu (ut ego somnio) peribitis cum via vestra. Nam hebraice satis obscure dicitur וְתֹאבְדוּ דֶרֶךְ, id est, et peribitis via, quod per eclipsim pro: Peribitis cum via, dici mihi videtur, juxta Ps. 1.: „Iter impiorum peribit." Veruntamen nullius sensui praejudico, ego non video, quomodo de via justa pereant, qui in via justa nondum sunt. Terreri autem periculo suo possunt, qui in via sua tanquam justa sibi placentes Christum veram viam non agnoscunt.

Cum exarserit in brevi ira ejus. Beati omnes, qui confidunt in eo.

Haec pars ad adversum praecedentem pertinet in hebraeo, qui totus sic ordinatur: „Adorate filium, ne forte irascatur, et pereatis cum via, quoniam exardescet brevi ira ejus. Beati omnes, qui confidunt in eo."

Est ergo sensus: Maturate et festinate, Christum adorate, ne pereatis in ira ejus, ac ne vos ipsos fallatis, quasi adhuc longe sit. Scitote, quoniam cito et in brevi exardescet ira ejus, subito, dum non speratis, veniet, sicut Matth. 24.: „Si dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire, veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora, qua ignorat." Sic Prov. 1.: „Cum venerit repentina calamitas," et 1. Thess. 5.: „Ipsi diligenter scitis, quia dies domini, sicut fur in nocte, ita veniet.

Cum enim dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus." Terribilis est ergo ista comminatio, quia, si subito apprehenderit ira Dei, non erit, qui eripiat.

In fine pulcherrime Psalmum concludit epiphonemate. Haec est, inquit, summa summarum: „Beati omnes, qui confidunt in eo." Ideo enim passus est, ideo resurrexit, ideo constitutus est rex, ideo accepit omnia in hereditatem, ut salvare possit omnes, qui confidunt in eo.

Haec autem confidentia justificat sola, sine operibus legis, ut apo. ad Ro. et Galatas docet. Verum difficillima est tot resistentibus adversitatibus, tot allicientibus prosperitatibus. Beati ergo, qui non fuerint scandalisati in eo, quod opus est divinae gratiae, non autem humanae virtutis. Sic enim Spiritus benignus non in aeternum comminatur, sed territos rursum consolatur sine fine. Si (inquit) timetis iram ejus, nolite desperare, confidite. „Beati omnes, qui confidunt in eo". Ideo enim terret ira ejus, ut ad fiduciam illius vos urgeat, amen.

PSALMUS TERTIUS.

Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom filii sui.

Cur hic Ps. praeponatur aliis, qui de historiis multo prioribus facti sunt, parum me movet, neque enim adhuc vidi satis idoneas ordinis rationes, nam historia Ps. 51. de uxore Uriae sine dubio ante historiam hujus Psalmi facta est, et multorum aliorum historiae priores ista fuerunt.

Omnium interpretationes afferre non est consilium, et tamen in tanta varietate quam eligam, ipse nondum certum habeo. Ad allegorias non facilis sum, praesertim quando legitimum et proprium illum germanumque sensum quaero, qui in contentione pugnet, et fidei eruditionem stabiliat.

Ne autem historica intelligentia in hoc Ps. sit, multa videntur obstare. Inprimis illud, quod b. Aug. movit: „Ego dormivi, et somnum cepi," quod resurgentis Christi verbum esse videtur, deinde, quod in fine super populum benedictio Dei pronunciatur, quod ad universalem ecclesiam pertinere convincitur. Hinc b. Aug. tripliciter eum interpretatur, primum de Christo capite, secundo de toto Christo, id est, Christo et ecclesia, capite et corpore, tertio tropologice de quolibet privato.

Salvus esto cuique suus sensus. Ego interim de Christo interpretabor, motus eodem quo Aug. argumento, quod quintus versus non videatur apte de quoquam intelligi alio quam de Christo. Primum, quod dormitio et somnus hoc loco omnino significat mortem naturalem, non autem naturalem somnum, quod ex eo conjici potest, quia sequitur: „Exsurrexi." Si enim de somno corporis diceret, evigilavi diceret, quanquam hoc non ita urget, hebraeo vocabulo inspecto. Deinde quid novi recitaret, si se dormisse et jacuisse recitaret? Cur non etiam ambulasse, comedisse, bibisse, laborasse, eguisse, aut aliud simile corporis opus recenseret? Insuper absurdum videtur in tanta tribulatione jactare non aliud quam corporis somnum, quae potius eum coegisset maxime vigilare, periclitari ac laborare, praesertim cum ista duo verba, „dormivi et somnum cepi," quietum significent dormitionem in stratu suo jacentis, qualis non est, qua prae tristitia dormitur.

Sed illud magis urget, quod ideo se exsurrexisse gloriatur, quod dominus susceptor ejus fuerit, qui dormientem susceperit, et in somno non reliquerit, quam gloriam quomodo nova religione de aliquo somno corporis, ac non de omni quotidiano somno sonaret? praesertim quando susceptio Dei simul indicat extremam derelictionem dormientis, quae non contingit in corporali somno, ubi etiam hominibus custodibus servari potest dormiens. Omnino susceptio ista Dei non somnium, sed grandem laborem subindicat.

Ultimo huic favet et ipsum vocabulum הֱקִיצוֹתִי, quod hic absoluto in statu positum et transitivum tertii significat: Feci exsurgere seu evigilare, quasi dicat: Feci, ut essem evigilans, suscitavi me ipsum, quod certe de resurrectione Christi aptius, quam de somno corporis intelligitur, tum quod dormientes excitari soleant, tum quod non magna res est nec tanta praedicatione digna, quempiam a se ipso evigilare, cum sit quotidiana. Haec autem, quia per spiritum velut nova et singularis inducitur, aliud erit omnino.

Quae si ita sunt, consequens est, quod, ubicunque titulus Psalmi historiam indicat, non semper esse necessarium historiam in Psalmo cantari, sed historiam intelligi occasionem fuisse, qua futura prophetae spiritu illustrante monstrata intelligerent.

Esto igitur tituli sensus: Psalmus (id est, carmen) David (ei revelatum, seu per spiritum ad eum factum), cum fugeret etc., id est, occasione talis historiae. Neque enim tempore ejusdem historiae et fugae ab eo conditum esse convenit, quando erat anxietate et tristi exspectatione inquietissimus. Spiritus sanctus autem lucidum et quietum organum requirit, nec in tentatione, sed post tentationem homo demum sapit, quae

cum eo gesta sunt. Ideo verisimilius est longe post historiam compositum esse, quando quieta meditatione intellexit mysteria sui eventus.

Notandum autem, quod in omnibus superscriptionibus David dativi casus est, qui in hac causa aequivalet accusativo cum praepositione ad, quo tropo in ceteris prophetis dicitur: Verbum domini factum est ad hunc vel illum, aut in manu hujus vel illius. Hujus prophetae proprium est verbum Dei appellare Psalmum, canticum et eruditionem, et aliis titulis adornare, ut videbimus, deinde in Dativo casu sibi tribuere ejusdem verbi revelationem, ut singularem prophetam seu singulares prophetias hujus libri commendaret Spiritus sanctus.

Necessarium erit historiam 2. Reg. 15. pernosse, et sacramenta ejus intelligere. Primus Absalom populum judaicum repraesentat, tam figura gestorum quam nomine. Nomine quidem, quia Absalom pater pacis interpretatur, quod felicis erat ominis, si cetera non cogerent de pace mala, quam mundus dat, id est, de odio crucis Christi intelligere. Exhorruit enim populus iste peculiariter crucem et mala mundi, propterea quod bona mundi et pax hujus vitae eis in lege promissa erant. Hinc eorum vox: Pax, pax, cum non esset pax, quia nec legem servabant nec poterant, sed et apostolus eos crucis inimicos appellat.

Re autem gesta, quia Absalom 2. Re. 14. scribitur fuisse formosissimus in omni Israel, nec ulla in eo macula a vestigio pedis usque ad verticem, et caesaries inauditae copiae, ut singulis annis tonsa venderetur ducentis siclis pondere publico, ubi dicitur, mulieribus eam ad ornanda sua capita fuisse venditam.

Haec est synagoga speciosa prae omnibus populis

terrae, gloria patrum; praeeminentia cultus unius veri Dei, dono legis, scientiae, prophetiae, et multorum aliorum. Ro. 2 et 9. Deinde caesaries copiosissima splendidum ordinem sacerdotum et Levitarum in vertice et summo loco synagogae divitiis et deliciis abundantium et luxuriantium et superbientium significat, de quibus Isa. 3.: „Decalvabit dominus verticem filiarum Zion, et erit pro crispante crine calvitium," id est, pro glorioso sacerdotio etc., et Psal. 68.: „Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis."

Nam et hoc, quod Absalom occidendus capillis pendebat in quercu inter coelum et terram, significat sacerdotes pendere in opinionibus suis carnalibus, nec coelestia nec terrena legis attingere et intelligere. Et detonsa ac mulieribus vendita signat sacerdotes ejusmodi de vertice synagogae in spiritu separatos nonnisi cupiditatibus et voluptatibus sese tradidisse, nec enim voluptates quempiam ornant, sed ipsis magnum accedit ornamentum et illectamentum, tantis in illis optimatibus addictis ac venditis.

Et ad rem. Absalom, affectator regni et hereditatis contra patrem suum David, expulit eum de civitate, usus consilio Achitophel, qui postea strangulavit se ipsum laqueo in domo sua. Sic populus judaicus contra Christum: „Hic est, inquit, heres, venite occidamus eum;" item Iohann. 11.: „Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum;" usus ad hoc consilio et auxilio Iudae proditoris, qui similiter, ut Achitophel, cobortibus et ministris se armavit, similiter in domum conscientiae suae descendens ac desperans laqueo se suspendit. Achitophel enim frater meus insulsus dicitur, ad quod David allusit, 1. Reg. 15. quando dixit:

„Infatua, obsecro domine, consilium Achitophel," quasi dicat: Ut sit vere insulsus et fatuus hac vice.

David autem egressus nudis pedibus et operto capite significat Christum eductum ad Golgatha, qui et ad literam nudis pedibus et capite corona spinea et sanguine velato incessit. Sed allegorice caput, divinitas abscondita erat in infirmitate, et pedes nudi, id est, humanitas omnino sibi relicta. Regressus ejus ad urbem occiso Absalom resurrectio Christi est, in peccatis mortuo, et tamen victo populo synagogae, tunc enim percussa maxilla eorum, et dentes eorum contriti, ut Ps. iste dicit, quod Christum amplius vorare non possint, quia jam non amplius moritur. Dicit itaque:

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? Multi insurgunt adversum me.

Fere idem scopus est hujus Ps. cum praecedente, similisque sententia. Nam et hic incipit a querela et vana adversariorum Christi praesumtione, et finit in triumphante consolatione, dicens: „Quoniam tu percussisti," et: „Domini est salus etc.", nisi quod hic et rem brevius et affectum patientis plenius tractat. Tria enim sunt, quae vehementer quatiunt patientem, solitudo, impotentia, desperatio, quas augent confortantque tria adversariorum, multitudo, potentia, fiducia.

Ad solitudinem suam et multitudinem persecutorum pertinet, quod dicit: „Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me?" Alioqui nisi solitarius et derelictus esset, quomodo pateretur? quomodo tentaretur? quomodo tangeretur? fultus vel aequali vel majore multitudine pro se certantium, sicut diabolus sensit, Iob. 1.: „Numquid frustra Iob timet Deum? Nonne tu vallasti

eum, ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum?"

Ad impotentiam suam et hostium potentiam pertinet, quod dicit: „Multi insurgunt adversum me." Neque enim pateretur etiam solitarius, nisi infirmior a robustioribus opprimeretur, sicut Samson solus a Philistaeis nihil pati potuit, quos toties percussit. Quare generali canone observandum est, patientiam nullam esse ejus, qui habet, unde reddat et vindicet, aut unde resistat, ne opprimi possit. Utrumque enim patientis est, neque ulcisci neque resistere posse.

Gravius autem est insurgere, quam simpliciter tribulare, sicut gravius est esse impotentem quam solitarium, et gravius hostem esse robustum ac invictum quam multum. Ideo dicit: Illi stant, eriguntur, firmantur, roborantur, praevalent, confortati sunt super me, ego autem nuto, cado, infirmor, prosternor penitus. Hanc enim illorum invalescentiam et suam defectionem verbo „surgunt" significat, quomodo et supra Ps. 2.: „Adstiterunt reges terrae," eandem potentiam expressit. Verum ultra haec duo fortissime et extreme urget hoc, quod sequitur.

Multi dicunt animae meae: Non est salus ipsi in Deo ejus. Sela.

Hoc certe Christus in cruce audivit: „Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult," sicut et Ps. 22. praedictum est: „Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput: Speravit in domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum." Haec enim fiducia, illusio, irrisio, insultatio, epinicion et encomium adversariorum tanquam de triumphato et desperato penitus inimico extremum est et amarissi-

mum tribulationis, siquidem cecidisse et occubuisse multis et robustis hostibus tum primum atrocissimum est, quando spes resurgendi etiam in ipso Deo denegatur, sicut et Ps. 40.: „Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit, adjiciet ut resurgat?" In hac autem desperatione fuisse Christum novimus, non quod ipse desperarit, sed quod ab omnibus, etiam discipulis desperaretur, hoc est, sine spe resurgendi haberetur, tanquam mortuus a corde eorum, ut Ps. 31. dicit. Hic quaeritur consolator, et non invenitur, quin pro consolatione desperatio cum amarissima irrisione ingeritur, quod diabolicum est.

In heb. absolute habetur „in Deo", sine pronomine ejus, quod ad epitasin facere mihi videtur, acsi dicas: Non modo derelictum et oppressum dicunt ab omnibus creaturis, sed et Deum, qui omnibus adest, omnia servat, omnia curat, me unum prae rebus universis non servare. Qualem tentationem et Iob. 7. gustasse videtur, ubi dicit: „Quare me posuisti sic contrarium tibi?" Nihil est enim tentatio quaecunque vel universi mundi et totius simul inferni in unum conflata ad eam, qua Deus contrarius homini ponitur, quam tremens deprecatur Hier. 17.: „Non sis tu mihi formidini, spes mea in die afflictionis," de qua infra Ps. 6.: „Domine, ne in furore tuo arguas me," et saepius per totum Psalterium videbimus. Haec est insustentabilis prorsus et ipse proprie infernus, ut eodem 6. Psal. dicetur: „Quoniam non est in morte etc.," denique nisi expertus sis, ne cogitare quidem illam possis.

Nota modestiam, imo singularem quendam affectum ejus, qui in hac parte tentatur. Interrogative dicit: „Quid multiplicati sunt?" quo velut innocentem se studet probare, et indigna sibi fieri indicat. Atta-

man non audet eos accusare, et nomine injustorum aut peccatorum appellare, sed ambiguo vocabulo utens dicit: Quare tam multi sunt tribulatores mei? At infra post victoriam constanter et cum fiducia peccatores et injustos pronuntiat, dicens: „Adversantes mihi sine causa (ut noster textus habet) et dentes peccatorum contrivisti." Nam dum intra tentationem torquetur, se unum esse sibi videtur, cui soli Deus sit contrarius et irremissibiliter iratus, solus ipse tunc peccator est, omnes alii justi, et Deo auctori contra se cooperantes, nihil reliquum est praeter gemitum hunc inenarrabilem, quo insensibiliter spiritu adjutus dicit et quaerit: Quid me tot tribulant unum? Sed et ipse David in hac historia eodem affectu laborans dixit, 2. Re. 15.: „Si dixerit mihi: Non places, praesto sum, faciat, quod bonum est coram se." O magna sui abnegatio, Deum contrarium sibi etiam eligens etc.

In fine hujus versus ponitur dictio hebraica, sela, quam quia saepius habebimus, hoc loco semel absolvemus. Nec hodie satis cognitum est, quid faciat ipsa, aut quid significet. LXX interpretes pro ea transtulerunt graece διάψαλμα, quod b. Aug. interpretatur pausam, interruptionem et discontinuationem psalmodiae, sicut econtra σύμψαλμα vocat compositionem seu continuationem psalmodiae. Dicit etiam, quod, ubicunque διάψαλμα ponitur, seu sela, notari aut rerum aut personarum mutationem. Hunc sequitur Cassiodorus.

B. Hierony. ad Marcellam variis ex Origene adductis putat verius ipsam significare connexionem superiorum et inferiorum in canticis, aut certe sempiterna esse, quae dicta sunt; unde et Aquila, diligen-

tissimus explicator hebraicorum nominum, transtulit semper vel in sempiternum.

Burgensis Ps. 83. dicit ipsam nihil significare prorsus, sed esse tantum velut supplementum melodiae, et nihil habere praeter melodiam, cui jungatur, negatque, quod sempiternitatem significet, unde nonnisi in Psalmis, quia cantica sunt, et ad melodiam dictata, et uno cantico Abacuc reperitur, nec nisi semel in eodem cantico Abacuc, ibi: „Et sanctus de monte Pharan. Sela."

Hunc quasi sequitur recentior Stapulensis, qui putat esse sela Hebraeis simile aliquod ei, quod nobis in ecclesiasticis antiphonis est signatura tonorum finalium sub vocalibus evovae, id est, saeculorum amen, quae non canitur quidem cum antiphona, etsi melodiae ejus jungitur.

Joh. Reuchlin in rudimentis suis hebraicis duas opiniones recitat, alteram Jonathe Chaldaei, quem traduxisse scribit sela, id est, in virtute saeculorum, cui Rabbi Eleazar addiderit, quod, cuicunque loco sacrae scripturae additur sela, ei nullus finis erit, neque in hoc saeculo neque in saecula saeculorum, alteram Abraham Ben Esdrae, qui sela putet significare id, quod scilicet vere, et hoc placere Hebraeis, quod etiam secundum eos nihil habere putetur, nisi quod jungitur harmoniae, ut Burgensis dixit.

Tanta itaque diversitas facit, ut ego fatear me nescire, quis eorum verius dicat. Ea sane, quae me contra omnia ista dicta movent, sunt haec. Primum, quod exempla ex Psalmis et Abacuc non quadrant. Nam quod hoc loco ponitur sela, etsi favet sententiae b. Aug. contra b. Hierony., quia res mutatur, non autem persona, nec connectuntur praecedentia et sequentia per ipsum, tamen hoc contra utrumque urget,

quod aliquando in fine Psalmorum ponitur, quandoque in ejusdem personae verbis, et eandem exhortationem continuatis, ut videri potest hoc Ps. 3. et 4. Nam in fine 3. Ps. dicit: „Super populum tuum benedictio tua. Sela"; et 4.: „In cubilibus vestris compungimini. Sela. Sacrificate sacrificium justitiae." Hic est continua ejusdem personae ad easdem personas exhortatio, et tamen sela interponitur, quod contra b. Aug. est. Quod autem in fine ponitur, contra b. Hiero. est.

Quodsi utriusque sententia quoquo modo defenditur, seu connectendo seu distinguendo sententias aut personas, ad hoc tamen nihil est, quod possit dici, cur non aeque ponatur in Psalmis, ubicunque vel distinguuntur vel connectuntur sententiae aut personae, et quidem apertius (non raro), quam ubi ponitur, ut observanti facile occurrit.

Quod autem non significet sempiternitatem (ut recte Burgensis sentit), satis convincit vel hic, quem in manu habemus, versus, qui dicit: „Non est salus ipsi in Deo ejus, sela." Quis ita insaniat, oro, ut Christo vel justo sempiternam asserat tribulationem sine salute Dei? quum Ps. 8. dicat eam fuisse paulam et brevem, ut videbimus, et Ps. 83.: „Facti sunt in adjutorium filiis Loth. Sela." Numquid Assur in sempiternum veniet filiis Loth adjutor? Denique tum sela paucissimis versibus conveniet, ut Ps. 4.: „In cubilibus vestris compungimini. Sela. Et quaeritis mendacium. Sela." In aeternum compungentur, et mendacium quaerent filii hominum?

Reliqua est ergo sententia Burgensis, quam nec probo nec improbo, licet et contra eum possit dici, cur talis cauda harmonica his et non aliis locis ponatur.

Ego interim cum LXX interpretibus remanebo,

qui et in aliis multis locis nescio quid divinioris habuere sensus, etiamsi a proprietate verborum frequenter dissideant, ut illud Ps. 2.: „Apprehendite disciplinam," quam exposite et explicate dixerunt, quod Hebraeus: „Osculamini filium," obscurius dixit. Nam hoc vere est Jesum Christum amplecti, disciplinam et crucem amplecti, et, ut Paulus solet dicere, passionibus Christi communicare. Alioquin erunt, qui Christum fateantur se nosse, factis autem negent. Non enim qui loquitur, sed qui vivit Jesum Christum crucifixum, salvus erit. At vivere Christum, hoc est, crucifigi, ut Gal. 2. dicit: „Christo crucifixus sum, vivo jam non ego, vivit vero in me Christus." Ita et hic suo diapsalmate quid ad grammaticam significationem voluerint, nescio. Divinabo de mysteriis.

Videntur enim suo more mysterium indicasse, quando ausi sunt interpretari divisionem, pausam et moram, quam sela Hebraeis non significat, nec sunt leviter moti, quod certum sit nec jota nec apicem frustra in sacris literis scribi.

Ita pausam hanc mea temeritate suspicor significare insignem aliquem affectum, quo psallens pro tempore movente spiritu afficitur. Qui, quoniam non est in nostra potestate, non in omni Psalmo nec omni versu a nobis haberi potest, sed prout Spiritus sanctus dat moveri. Ideo sela in Psalmis tam confuse et citra ullam rationem ponitur, ut hoc ipso indicet secretam et nobis incognitam nec providere possibilem motionem spiritus, quae, ubi venerit, omissis verbis Psalmi, quietem et pausantem poscit animam, quae capax fiat vel illuminationis vel affectionis, quae offertur. Ita hoc versu, cum agatur de insigni illa tentatione spiritus, qua Deus iratus sustinetur, nedum creatura, motus

est propheta ad eam profunde affectu sentiendam et agnoscendam.

Haec mea citra cujusquam judicii praejudicium, ut satis de Sela.

Tu autem domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.

Tribus tria opponit, susceptorem multis tribulantibus, gloriam multis insurgentibus, exaltatorem capitis blasphemantibus et insultantibus. Itaque solitarius quidem est coram hominibus et juxta sensum, sed copiosissimo praesidio tutus minimeque solitarius coram Deo et in spiritu, sicut Joh. 16.: „Ecce venit, ut me solum relinquatis, et non sum solus, quia pater mecum est." Ita impotens et oppressus est secundum faciem et in oculis hominum, sed coram Deo et in spiritu robustissimus, et adeo in virtute Dei cum fiducia glorians cum apostolo 2. Corin. 12.: „Cum infirmor, tunc fortior sum, et libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi." Et de tota ecclesia Ps. 68. dicit: „Et infirmata est, tu vero perfecisti eam."

Ita secundum hominem et visionem insipientium desperatus est, nec in Deo salus ei reliqua, sed in abscondito hujus tempestatis exauditus et exaltatus, juxta illud Ps. 81.: „In tribulatione invocasti me, et liberavi te, et exaudivi te in abscondito tempestatis." Vere in abscondito tempestatis, quia tempestas ista tribulationis sic abscondit exauditionem et salutem, ut nihil minus quam salus appareat, et Deus non exaudiens, sed indignans duntaxat sentiatur.

Haec qui intellexerit aut expertus fuerit, simul intelliget, quam stulte et temerarie a multis doceatur,

posse hominem naturaliter Deum super omnia diligere, cum nullus sit homo relictus naturae suae, qui non exhorrescat mortem mortisque poenas, nedum infernum, et iram Dei intentatam ferat, et tamen nisi haec vincantur amore Dei, non potest diligi Deus super omnia.

Proinde verba hujus versus verba sunt non naturae, sed gratiae, non arbitrii liberi, sed spiritus robustissimae fidei, quae per caliginem tempestatis, mortis et inferni videns Deum etiam derelictorem agnoscit susceptorem, Deum persecutorem agnoscit auxiliatorem, et Deum damnatorem agnoscit salvatorem. Non enim, quae videntur et sentiuntur, aestimat, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, sed ea, quae non videntur, intelligit. Spes enim, quae videtur, non est spes. Quod enim quis videt, quid sperat? Ro. 8.

Ejusdem sententiae est, quod Ps. 54. scribitur: „Quoniam alieni (ecce multi et alii, puta impii et adversarii) insurrexerunt adversum me (unicum scilicet et solitarium), et fortes quaesierunt animam meam (ecce fortes et uni infirmo praevalentes), et non proposuerunt Deum in conspectu suo," quasi diceret: Non credunt Deum esse mecum, sed desperatum, atque adeo ipsimet Deo me invisum arbitrantur.

Item Ps. 86.: „Deus, iniqui insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam, et non proposuerunt te in conspectu suo," id est, sum derelictus et solus, illi multiplicati tribulant me, ipse impotens et oppressus, illi surgunt et stant potentes super me. Sum desperatus, nec salus mihi in Deo esse dicitur, illi fidentes gloriantur de victoria super me.

Ita videmus oportere vitam justi viri exemplo Christi his tribus partibus crucis consummari, ut sit solus, impotens et desperatus, quatenus ita dignus fiat

Deo susceptore, glorificatore, exaltatore. Sic Josue cum filiis Israel cedit, et fugam simulat in bello contra Haitas, qua tamen arte eos funditus delevit, Josue 8. Sic et filii Benjamin caesi sunt a filiis Israel, Judic. 20., cum fugam simularent, et mox facie versa illos caederent paene ad interniciem. Crux enim et passio insidiosissimae et mundo perniciosissimae fugae sunt, quibus nulla feliciore virtute diabolus, mundus, caro superantur, et mirabili Dei consilio, dum vincunt, vincuntur.

Clarum autem est, gloriam hoc loco accipi pro gloriatione seu pro re ipsa, in qua gloriatur, juxta tropum scripturae, quo dicitur: „Spes mea tu in die afflictionis,“ Hiere. 17., et Ps. 22.: „Spes mea ab uberibus matris meae,“ et 142.: „Dixi, quoniam tu es spes mea,“ hoc est, tu es, in quo et de quo spero. Sic Deus meus misericordia mea, sic dominus illuminatio mea et salus mea etc.

Ita hic: „Gloria mea tu,“ in quo glorior, ut sit sensus: Illi confidunt in gloria sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur, Ps. 49.: „Virtus eorum est gloria eorum,“ ego vero non in virtute mea glorior, quam non habeo, nec in impotentia confundor, quam patior, sed glorior in tua virtute. Tua potentia est gloria mea, sicut Ps. 89.: „Quoniam gloria virtutis eorum tu es,“ et Hiere. 9.: „Qui gloriatur, glorietur nosse me, non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis.“ Ita 1. Cor. 10.: „Qui gloriatur, in domino glorietur.“

Quodsi cui rigidior grammatica placet, quod כָּבוֹד hoc loco proprie δόξαν graece significet, quod latine reddi solet gloria, ideoque aliud esse quam glo-

riationem, quae Graecis καύχημα dici putatur, et Hebraeis פְּאֵר seu תִּפְאָרָה, nec sic absurde intelligitur Deus esse gloria justi viri, quomodo 1. Cor. 11. virum vocat gloriam Dei, et mulierem gloriam viri, quia Deus glorificatur, honoratur, laudatur, celebratur in sanctis suis, quos liberavit. Rursus et ipsi glorificantur, quos tanto beneficio Deus dignatus est, dum confitentur de se, non suis, sed Dei viribus sese fuisse adjutos.

Verum apud me differentia modica est in his duobus nominibus, praesertim hoc loco, nisi quod gloria extra personam passi aliorum de ipso significat opinionem bonam et nomen celebre, gloriatio vero ipsius personae proprium affectum et fiduciam in Deo. Sequatur quisque, quod voluerit, in spiritu enim et coram Deo nec gloria sine gloriatione, nec gloriatio sine gloria haberi potest. Ut enim glorieris et feliciter superbias in Deo, oportet opinionem tui apud Deum esse bonam, atque id vel sentire vel firmiter credere, et ita Deus gloria tua vel cognita vel credita facit te gaudere, et in Deo gloriari. Quis enim non glorietur, exsultet et omnibus contemtis inaestimabiliter superbiat, qui sciat vel credat opinionem sui esse apud Deum bonam, hoc est, Deum de ipso bene sentire, sibi in ipso placere, velle adjuvare, pro eo pugnare, eum omnibus commendare.

Rursum non satis est opinionem tui esse apud Deum bonam, et ibi te esse amatum, laudatum, gratum (hoc est, in gloria esse), nisi id ipsum scias vel credas. Scito autem, credito isto gloriatio et gaudium conscientiae deesse nullo modo potest. Ita fit, ut necesse sit simul et Deum glorificari, et justum gloriari,

ut Ps. 106.: „Ut gloriemur in laude tua,“ et simul sit Deus gloria justi et gloriatio, gloria in Deo gloriatio in conscientia. Est enim gloria opinio de suo bona, gloriatio autem ipsa superbia et fiducia de gloria sua.

Vides ergo, quantae fidei et fortitudinis sint haec verba. Etsi, inquit, multi insurgunt adversum me, mala mihi cogitent, pessime de me opinentur, scio tamen, quod non confundar. Gloria mea dominus, quem de me optime cogitantem constanter confido, et in hac divina mei opinione glorior.

„Exaltans caput meum.“ Hoc caput quanquam scio ab aliis tum pro ipso Christo tum pro mente ipsa Christi accipi, tamen figurata et tropologica videtur haec esse acceptio. Ideo mea temeritate puto simplicius accipiendum ad tropum usitatum scripturae pro glorificatione, ut sit totius orationis sensus planus: „Exaltans caput meum,“ id est, elevavit me et in sublimi constituit, juxta illud. 2. Re. ult.: „Sublevavit Evilmerodach, rex Babylonis, caput Joachim, regis Juda, de carcere, et locutus est ei benigne, et posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone.“ Hic claret, quod sublevare caput sit ipsum hominem totum exaltare, et in gloriam ac regnum collocare. Ita Christus, qui per Joachim, regem Juda, figuratus est, cum esset mortuus, et ad inferos descendisset, ac jam desperato diceretur: „Non est salus ipsi in Deo,“ mox dextera Dei exaltatus est de inferiori lacu super omnes coelos, super omnem potestatem constitutus rex regum et dominus dominantium. Eodem more et Ps. 110. dicitur: „De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput,“ id est, elevabitur super omnes.

Atque ut exaltare caput usu scripturae regnum

et potestatem significat, ita non dissimili tropo levare manum significat praevalere et potentem esse in opere, ut Isa. 49.: „Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum, et afferent filios tuos etc." Ita Ps. 74.: „Leva manus tuas in superbias eorum." Sic levare pedes significat velocem esse in via, ut Gen. 29., ubi nos habemus: „Profectus ergo Jacob," Hebraeus dicit: „Et levavit pedes suos Jacob." Sed et germanica vernacula eodem tropo solemus euntes exhortari, ut velociter eant, dicendo: Heb die Füfs auf, leva pedes tuos.

Haec latine dixi, quia magna pars intelligentiae sita est in tropis locutionis, praesertim in sacris literis, quae suos habent idiotismos, quorum ignorantia grandes nebulas suscitat, quandoque in claro die. Igitur levari caput est exaltari in regem et glorificari.

Semper inculco et in memoriam reduco haec esse verba fidei, spei et caritatis, quibus nos in Christo erudimur, ne deficiamus in quacunque angustia, ad nostram enim (ut apostolus Ro. 15. ait) doctrinam et consolationem scripta sunt, ut per patientiam spem habeamus. Arduum est enim et divinae gratiae virtus, Deum credere exaltatorem capitis et coronatorem in media morte et inferis. Hic enim abscondita est exaltatio, et paret nonnisi desperatio, et nulla salus in Deo. Itaque contra spem in spem hic docemur credere, quae crucis sapientia nimis hodie est abscondita in mysterio profundo. Neque enim ad coelum alia via est, quam ista crux Christi. Proinde cavendum, ne vita activa cum suis operibus, et vita contemplativa cum suis speculationibus nos seducant. Blandissima est utraque et tranquilla, ideo et periculosa, donec cruce

temperetur et adversitatibus perturbetur, crux autem res omnium tutissima. Beatus, qui intelligit.

Voce mea ad dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo. Sela.

Hebraeus in futuro dicit, ut et s. Hierony. transfert: Clamabo, et exaudiet, placetque mihi magis quam praeteritum. Est enim vox jam triumphantis, laudantis, glorificantis Deum, ac gratias agentis ei, qui se suscepit, servavit et exaltavit, sicut speraverat in versu praecedente. Nam iste est mos triumphantium et laudantium, ut recitent ea, quae gesserunt, quae passi sunt, et epinicion cantent suo adjutori, sicut Ps. 66.: „Venite et audite, et narrabo omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animae meae. Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea." Et Ps. 81.: „Exsultate Deo, adjutori nostro. Sic Exo. 15.: „Cantemus domino, gloriose enim honorificatus est etc." Ita et hic se exauditum, se dormivisse, se susceptum, percussos inimicos, dentes peccatorum contritos decantat affectu gratitudine et laetitia plenissimo.

Hoc est nimirum, quod mutationem facit, et qui hucusque ad Deum in persona secunda locutus est, subito vertit verbum ad alios de Deo in tertia persona loquens: „Exaudivit me," inquit, non: exaudisti. Item „Ad dominum clamavi," non: ad te clamavi, omnibus enim nota esse cupit, quae in eum Deus bona contulit, quod grati animi est.

Jam illud, quod in hebraeo per futurum dicit; „Clamabo, et exaudiet me," affectum majorem habet, quam „clamavi" in praeterito, licet praeteritum non excludat, imo praeteritum prae vehementia includit, atque ut explicem, si possum, affectus ejus est hujusmodi:

Ego, qui jam expertus sum, quam bonus, quam dulcis dominus, quam non deserat, quam non despiciat clamantes ad se, quam fideliter suscipiat, servet, exaltet omnes invocantes se, talem me erga eum habebo deinceps in aeternum, ut cum plenissima fiducia ad solum ipsum confugiam. Non timebo etiam millia populi, paratus sum in eum sperare, etiamsi multo plura et majora ferenda sunt, et (ut Job ait) etiamsi me occiderit, in eum sperabo. Hic est ille Deus, in quem omnes merito confidant, praesumantque, de quo neminem desperare conveniat. O infelices, qui vel multitudine vel magnitudine malorum fracti ignorant, quam potenter, quam mirabiliter, quam gloriose hic Deus salvet clamantes ad se!

Hunc affectum sequentia indicant: „Non timebo, inquit, millia populi.“ Item: „Domini est salus etc.“ Sic et eodem affectu Ps. 34. dicit: „Benedicam dominum in omni tempore,“ quasi diceret: Stultus ego, qui hucusque in tempore uno dominum benedixi, scilicet, prospero et quieto, nesciebam, quam potens sit etiam in tempore adverso, proinde etiam in tempore malorum eum deinceps benedicam, siquidem sunt, qui laudent Deum tempore sereno, juxta illud: „Confitebitur tibi, cum benefeceris ei,“ at in tempore tentationis adeo recedunt, ut ad quodlibet aliud potius quam ad Deum confugiant, denique nec clamare ad eum possunt, nedum laudare et benedicere.

At nos hic erudimur, ut versum istum Ps. 18. in tempore crucis sonemus: „Laudans invocabo dominum, et ab inimicis salvus ero,“ ut tunc etiam Deus tibi placeat et ametur, quando displicentissimus et odio dignissimus tibi videtur. Hic enim amor Dei castus et solidus est. Hoc est, quod Isaiae 48. dicit: „Infre-

nobis te laude mea, ne intereas.“ Nam hac laude cor frenatur in mediis aquis et turbinibus tentationum, ut non deficiat ab amore Dei. Verum opera spiritus sunt haec, non naturae, in uno Christo perfectissime impleta, et omnibus, qui sunt Christi, in exemplum descripta.

„Voce mea,“ b. Aug. et post eum Cassiod. putant non de corporea voce, sed de voce cordis dictum esse, nec de ea ipsa nisi purissima, propter pronomen „mea“, quod sua vox non sit, quae impuris orantis cogitationibus interpellatur. Quae vera esse credo, non tamen vocem corpoream exclusam esse puto, quod vox affectus, quando vehemens est, se continere non possit, quin erumpat in vocem corpoream. Nam et Christus in cruce utique corporea voce clamavit, et nobis clamandum esse docuit in angustia, ut sic totis viribus intus et foris dominum invocemus.

„De monte sancto suo,“ inquit. Hunc montem varie intelligi video. Aliis ipse Christus de se ipso exauditus intelligitur, aliis de summa divinitate, aliis aliud. Placet mihi mons summae divinitatis, modo id (quantum somnio) observes, monti huic non esse nomen. Nam Ps. 2. montem sanctum Zion dixit, super quem tanquam inferiorem constitutus esset rex. Ideo nominandus erat illic mons, ut quem regere non posset, nisi nosset. Hic vero, a quo regitur, et de quo exauditur, innominabilis est, nec speciem nec nomen habens.

Quo mihi videor erudiri nos omnes, in tempore tentationis auxilium divinum sperare quidem debere de sursum, sed modum, tempus et genus auxilii nobis esse incognitum, ut fidei et spei locus sit, quae nituntur in ea, quae nec videntur, nec audiuntur, nec in cor hominis adscendunt. Atque ita oculus fidei in tenebras

interiores et caliginem montis suspicit, nihilque videt, nisi quod attenuatur suspiciens in excelso, exspectansque, unde veniat auxilium ei. In sublime videt, et de sublimi exspectat adjutorem, sed quale sit hoc sublime, et quale adjutorium futurum, ignorat. Etsi enim Christus omnia sciebat, tamen tentatus est in similitudine per omnia pro nobis, ut et ipse hunc montem quodammodo juxta humanitatem habuerit ignotum et incomprehensibilem pro hora passionis, quod et alio Ps. 22. significat, dicens: „Tu autem in sancto habitas," id est, in abscondito et inaccesso secreto. Sicut enim Deus est ineffabilis, incomprehensibilis, inaccessibilis, ita ejus voluntas et auxilium praesertim in tempore derelictionis.

Ideo nisi fides hic expertum reddat, et tentatio probatum, nullis verbis tradi potest, quid sit mons iste sanctus Dei. Idem ergo est, acsi diceret: Exaudivit me de monte sancto suo, quod vulgo dicitur: Exaudivit me ineffabili incomprehensibilique modo, quod nunquam cogitassem. Desursum scio me exauditum, sed quo modo, ignoro. Eripuit me de alto, et de summo accepit me (ut alibi dicet), sed non cognosco, quid sit hoc altum, hoc summum, hic mons. Eadem ratio est, quando derelinquit, et non exaudit, neque enim scimus, quo vadat, aut unde veniat spiritus, etiamsi vocem ejus audiamus, dum spirat, ut Christus Joh. 3. dicit, et Job. 9.: „Si venerit ad me, non videbo eum, si abierit, non intelligam." „Sic est, inquit, omnis, qui ex spiritu natus est." Abit cum abeunte, (hoc est, relinquitur relinquente spiritu,) et venit cum veniente, (hoc est, exauditur exaudiente spiritu), nescit tamen utrumque, quid et quomodo secum agatur.

Hoc est, quod vocabulum illud „sancto" indicat,

quod, ut supra dictum est, separatum et secrētum significat, planeque id, quod attingi nec sensu nec mente potest, in quod qui rapitur, in Deum invisibilem rapitur, ac perfectissime purificatur, separatur, sanctificatur. Verum dura haec res humanae naturae et intolerabilis, nisi Spiritus domini feratur super has aquas, et tenebras hujus abyssi foveat, donec lux fiat.

Proinde tota stultitia est in hac re, quod homo non sustinet consilium Dei, sed adjuvari petit modo et tempore a se electo et sibi placito, quo ex innominabili monte nominatum sibi facit, et sanctum Dei montem suae cogitationis tactu profanat, quantum in eo est. Hic est sicut equus et mulus, qui eo usque dominum sustinet, quousque sentit aut capit, ultra captum suum non sequitur, quia fide non vivit, sed ratione sua. Exemplis id probari potest omnium historiarum veteris et novi testamenti (sicut Heb. 11. facit apostolus), in quibus semper invenitur Deus sic sanctos suos salvos fecisse, ut via et modus et tempus prorsus non appareret, sed de sublimi et de coelo exspectata venit inopinata salus omnibus.

Quare optime dicitur: „De monte sancto suo," id est, de summa divinitate. Sed non omnes id intelligunt, quod dicunt. Nam de divinitate summa exaudiri est (ut dixi) in desperato et incogitabili modo exaudiri, ita ut nihil minus ibi sentiatur quam divinitatis auxilium, seu exauditio. Fides enim et spes hic loquitur, seu de fide et spe exaudita recitatur historia. At fides et spes exaudita nihil sentit, nihil experitur, nihil intelligit de exauditione, cum sint rerum non apparentium.

Hoc est, quod ipsum sela in fine hujus versus notat, scilicet, affectum hunc mora dignum, ut qui non

sit leviter praetereundus. Adeo res ardua est, de monte sancto Dei expectare salutem. Vir enim insipiens non intelligit has profundas cogitationes Dei, ut Ps. 92. dicit. „Ideo reprobat quoque dominus cogitationes populorum et consilia principum," Ps. 33. „Sciens, quoniam cogitationes hominum vanae sunt," Ps. 94. Imo in isto excessu cogitur exclamare fidelis: „Omnis homo mendax," Ps. 116. Adeo necesse est hic occidere et captivari omnem intellectum in obsequium Dei.

Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi, quoniam dominus suscepit me.

Verbum „dormivi" in hebraeo situm jacentis seu dormientis significat, „somnum cepi" autem ipsam dormitionem, ut sit sensus: Ego jacui et dormivi, ut significet se in sepulchro positum quievisse et mortuum fuisse, de qua requie in multis locis scripturae fit mentio. Sic Gen. 49.: „Requiescens accubuisti, ut leo et ut leaena. Quis suscitabit eum?" Et Ps. 4.: „In pace in id ipsum dormiam et requiescam," ubi penitus eadem duo verba ponuntur, quae in hoc versu, nec tamen eodem modo translata sunt. Sic et nostra vernacula dicimus: Ich habe gelegen und geschlafen, ut priore quietem, posteriore somnum intelligas.

Haec est quies illa Ps. 16.: „Et caro mea requiescet in spe," et Isa. 11.: „Et erit sepulchrum ejus gloriosum." Sic enim Hierony. transtulit, sed fidenter. LXX vero: Et erit requies ejus honor, seu ut heb. habet: Et erit requies ejus gloria, quasi dicat: Cum aliorum regum gloria finiatur morte, et eorum gloria (ut apostolus ait) finiat in confusionem, hujus contra gloria incipit in morte, in qua finitur ejus confusio.

Ita et omnium, qui sunt Christi, juxta illud Ps. 116.: „Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum ejus," quia vita eorum ignominiosa in conspectu hominum. Verum haec obiter. Ad requiem redeamus.

Haec est illa quies, quam vetus olim significavit sabbatum (quod quietem sonat), quam et nostrae etiamnum feriae significant, qua Christus nos ab operibus nostris (id est, peccatis) mortuos et quiescentes ac feriatos facit, ut soli Deo vivamus, ac jam non nos, sed Deus operetur, et regnet in nobis. Unde praeceptum est olim tanto rigore, ne quod servile opus in sabbato fieret, sed esset dies sanctus domino. Quod b. Aug. super Gen. pulchre interpretatus docet intelligendum de operibus nostris, quae semper sunt peccata. Quare herelia et liberalia ac principalia duntaxat, imo divina opera nunc facienda sunt, postquam sabbatum nobis fecit Christus, suo sabbato et quiete exstinguens nostra opera.

Ad hoc valet, quod Christus toto sabbati die in sepulchro jacere voluit, ut et res et tempus, nomen et figura, omnia in unum convenirent, et religiosissimam hanc quietem commendarent, siquidem horrendum est, hoc tempore gratiae et sanctae quietis adhuc in suis operibus negotiosum esse, et divinis operibus inanem inveniri. Sicut Judaei, quibus in hanc rem dictum est: „Memento, ut diem sabbati sanctifices," nihil intelligentes, in suis operibus remanent, et sanctificando sabbatum pessime sabbatum polluunt. Sed haec mystica.

Ad Christum revertamur, qui his verbis sepulturam et mortem suam significat, sicut in principio Psalmi hujus dictum est. Non enim tam magnifica praedicare credendus est de naturali quiete et somno,

praesertim cum praecedentia et sequentia cogunt intelligi eum de insigni tribulatione et admirabili victoria hostium loqui. Quibus omnibus nos ad fidem Dei accendit, commendans virtutem et gratiam Dei, quod potens sit a morte nos resuscitare, exemplum hujus in se ipso nobis decantans et proponens. Neque enim est, quod nos miseros homines atrocius affligat, quam terror mortis, qua in primo Adam omnes sumus mulctati, nec jucundior nuntius, quam audire mutatam aut superatam (quod melius est) hanc maledictionem, et mortem non modo victam, sed etiam in adjutorium et ministerium melioris vitae, quam habuissemus, conversam.

Idcirco in morte et resurrectione Christi ea consolatio denuntiatur, qua non major humano generi nuntiari possit, scilicet, commune malum omnium, mortem esse ita victam, ita credentibus subjectam, ut ad vitam (quam videtur absorbere) cogatur plus ceteris omnibus cooperari. Quis hic non cantet? quis non cum Christo exsultet? Ideo oportuit hanc Christi virtutem gaudio plenissimam non modo pressis verbis et simplici loquela, sed Psalmo et sonoro cantico (sicut epinicia solent) promi, quo magis ad contemtum hujus vitae et amorem mortis animaremur, quando musica ipsa genuinam vim habet animos exacuendi et concitandi. Unde et Helisaeus psalten habuit, et tubas ad bellum Moses paravit. Ideo utendam spiritus suscepit in re tam salutari et necessaria, ut, quia arduum est, vita posita mortem appetere, exhortatione cantata facilius nos moveret, et facilius moveri debere monstraret.

Ad quod illud accedit, quod verbis utitur levibus et mortis horrorem mire extenuantibus. „Jacui, inquit,

et dormivi," non ait: Sepultus fui et mortuus. Amisit jam mors et sepulchrum, sicut nomen, ita et vim, atque mors jam ne mors quidem est, sed somnus, sepulchrum non sepulchrum, sed cubile vel lectulus est. Quod facit, non solum quia prophetiae verba obscurius et aenigmatice poni oportuit, verum multo magis, ut nobis mortem redderet amabilissimam, nedum contemtissimam, ut in qua, sicut in dulci quiete somni, nobis indubitata et melior exsurrectio et vigilia promittatur. Quis enim non est certissimus de expergefactione seu evigilatione, qui dulci somno quiescit et non moritur? At hic dicit se non mortuum, sed dormivisse, ideo evigilasse. Atque sicut somnus utilis et necessarius est ad meliorem virium instaurationem, ut Ambro. in hymno: Artus fessos ut somnus allevet, ita mors utilis, et nunc instituta ad meliorem vitam parandam. Hoc est, quod Ps. sequente dicet: „In pace dormiam et requiescam, quoniam tu domine singulariter in spe constituisti me."

Itaque in morte non tam ipsa mors, quam certissima vita et resurrectio consideranda est, his qui sunt in Christo, ut stet illud Joh. 8.: „Qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum." Quomodo non videbit? Nonne sentiet? Non morietur? Non utique, sed videbit solummodo somnum, et intentus oculis fidei in resurrectionem per mortem ita labetur, ut ne videat quidem mortem, et mors (ut dixi) ne mors quidem ei sit. Et iterum, Joh. 11.: „Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet." Haec autem omnia in baptismo incheantur, et in fine vitae consummantur. Nam (ut apostolus Ro. 6. dicit) consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem. Quod credo non solum de morte peccati spirituali intelligi, sed

etiam corporali, quod peccatum non moriatur penitus, donec corpus exstinguatur, seu, ut Paulus loquitur, donec destruatur corpus peccati. Quare ad mortem statim in baptismo paramur, ut per mortem ad vitam velocius perveniamus.

Quaerit hic b. Aug., cur in futuro dixerit: „Quoniam dominus suscipiet me.“ Sic enim et Heb. habet, licet nostra translatio praeteritum, suscepit, habet. Et quanquam verum sit, quod in prophetis praeterita cum futuris miscentur, quo utrumque significetur, quod ea, quae prophetantur ventura, secundum tempus futura sunt, secundum scientiam vero prophetantium pro jam factis habenda, forte tamen etiam ad consolationem et exhortationem nostram hoc pertinet, quod dominus non solum suscepit Christum caput nostrum, sed suscipiet eum quoque in omnibus suis membris eum sequentibus, ut sic in persona sua et omnium nostrum, pro se et nobiscum loqui intelligatur.

Vox autem ista hebraica, יִסְמְכֵנִי, quod Hiero. transtulit: Suscitavit me, et alibi: Sustentat, quandam energiam habet, quam latinitas non reddidit, scilicet, ut Reuchlin interpretatur, innitetur mihi, accedet, approximabit mihi, quod eum sensum ferme parit, eum, qui moritur, non deseri a domino, sed desursum, velut manu Dei extenta et super eum posita, servari, ne cadat in profundum, sed potius eruatur et exaltetur, in quo miro artificio exprimitur morientis, et Dei servantis modus. Nam qui moritur, videtur perire, ac velut deorsum absorberi, sed ibi manus Dei desursum approximans servat eum, ne pereat, ut magis sublevetur in vitam, ac sic sibi quidem perit et cadit, sed Deo servatur et oritur.

Non timebo millia populi circumdantis me.
Exsurge domine, salvum me fac Deus
meus.

Hic epinicii hujus tertius versus idem facit, quod praecedentes et sequentes, hoc est, affectum illum sancte superbum et adversitatis contemtorem nobis commendat. Diximus enim haec dici in persona ejus, qui Deo liberatori suo gratus et gaudens laudat et praedicat ejus virtutem et gratiam, per adversitatis experientiam ita probatus et confirmatus, ut in futurum nulla mala prorsus velit formidare sub tutela Dei jamjam cognita et explorata. Quamvis autem in Christo surgente a mortuis locum non habeant amplius tribulatio seu mors seu millia circumdantis populi, tamen sine dubio affectus hujusmodi in ipso regnat et triumphat, quem in eo prophetari futurum oportuit. Hoc totum non propter Christum, qui non indiguit, sed propter nos, quibus, etiamsi aliquas vicerimus tribulationes, plurimae tamen supersunt vincendae. Ideo exhortandi sumus, ut gustata semel gratia adjuvantis Dei firmemur ad multo majora ferenda, exemplo Christi maxime confortati. Atque hac ratione mihi videtur ita variare propheta in temporibus verborum, ut jam in praeterito dicat: „Voce mea clamavi ad dominum, et exaudivit me," et: „Dormivi, et somnum cepi, et exsurrexi." Jam in futuro: „Non timebo millia populi." Jam in praesenti: „Exsurge domine, salvum me fac." Ac rursum in praeterito: „Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi etc.," ut in persona Christi patientis quidem haec dicat, simul tamen hoc Christi exemplo nos erudiat, facta et facienda nobis esse eadem.

Sic et Joh. 12. pro hora passionis dixit: „Nunc

anima turbata est. Et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam etc." Breviter huic tropo assuescendum est, quod in prophetis et Psalmis simul multa dicuntur velut pro eodem tempore, quae diverso tempore geruntur, et quaedam pro posteriore tempore, quae priore facta sunt, ut hic in Christi persona: „Exsurge domine, salvum me fac," pertinet ante passionem. Illud vero, quod praecedit: „Voce mea ad dominum clamavi, et exaudivit me," et: „Exsurrexi etc." pertinet post passionem. Ceterum pro membris suis intelliguntur, ut dixi, ex jactabundo et tentationes futuras animosius exspectante corde dicta, fiducia divinae virtutis sese armante et exhortante.

Illud notius est, quam ut egeat ostendi, quod Deo non dormienti aut jacenti dicatur: „Exsurge," sed vel, ut Aug. hic dicit, Deo tribuitur, quod in nobis ipse facit, ut exsurgat, dum nos exsurgere facit, sicut in prophetis locutus dicitur, quando prophetas loqui fecit, et apostolus 2 Corin. 13.: „An experimentum quaeritis ejus, qui loquitur in me Christus?" vel quod tunc exsurgere et vigilare dicitur, quando effectu praesente ostendit se nobis adesse, qui tropus est vulgatior priore, quo tunc fieri a Deo in scripturis aliqua dicuntur, quando fieri a nobis aut sentiuntur aut cognoscuntur, ut Gen. 20. [22.]: „Nunc cognovi, quod timeas dominum," et Lucae 7., ubi de Maria dixerat: „Remissa sunt ei peccata multa," postea idem ad eam revelans dicit: „Remittuntur tibi peccata tua." Ita cum nunquam Deus non adjuvet, tamen invocatur, ut adjuvet, quin ut invocaretur dedit et adjuvit, et ne deficiatur interim adjuvat, donec adjuvet.

Videtur autem et hic versus oppositus primis duo-

bus, ut contra multitudinem tribulantium dicat: „Non timebo millia populi circumdantis me," contra potentiam insurgentium: „Exsurge domine," et contra desperationem jactantes: „Salvum me fac Deus meus," aut melius, hic versus contra multitudinem tribulantium ponatur, sequens contra insurgentium vim, quia dicit: „Quoniam tu percussisti omnium inimicorum meorum maxillam," et ultimus contra suggestores desperationis dicentes: „Non est salus ipsi in Deo," „utique domini est salus, et super populum tuum benedictio tua."

Epitasis est in verbis illis: „Non timebo millia populi circumdantis me," acsi prae magnitudine affectus in Deum fidentis dicat: Non timebo, etiamsi non modo potens quispiam in populo, sed ipsemet populus quicunque, deinde etiamsi multa essent millia populi, atque ut addam, si me unicum et solitarium ita cepissent, ut penitus circumdatus nulla parte exitum haberem, nec sic timebo, imo securus ero, non meis viribus, sed quia tu exsurges domine etc. Sic, inquam, Spiritus sanctus ubique nos ad fidei et spei in Deum magnanimitatem benigniter provocat.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti.

Praeteritum pro futuro ponitur, si in Christi persona ante passionem accipiatur, sin post resurrectionem, est prosecutio epinicii et laudis Dei pro nostra exhortatione, ut dictum est satis.

Ex heb. pro: „sine causa" Hiero. transtulit: maxillas, hoc modo: Quia percussisti omnium inimicorum meorum maxillas, et huic tum recte concinit, quod

sequitur: „Dentes peccatorum contrivisti.“ Atque ita tautologia esse videtur.

Est autem ordo. Non timebo, inquam, millia, nec mei fideles timebunt ullam multitudinem quantumlibet malorum et potentium, quoniam exploratum jam habeo, quam soleas percutere consumtores et devoratores meos, dum et me suscitas a mortuis, ut me deinceps vorare non possint, et fideles meos per spiritum confortas, ut eis nocere nequeant. Quanquam ista percussio intelligi queat de vastatione populi judaici per Titum et Vespasianum. Nam et si adhuc sint mordaces et maledici in Christum et christianos, tamen contriti et percussi sunt, ut neminem verare possint. Itaque dentes et maxillas habent, sed percussos et contritos, sicut alibi, Ps. 58.: „Deus conteret dentes in ore ipsorum, malas leonum confringet dominus.“

Utitur autem hac metaphora maxillae et dentium pro verbis mordacibus, detractionibus, calumniis et hujus generis noxiis, quibus innocentes opprimuntur, juxta illud Proverb. 30.: „Generatio, quae habet pro dentibus gladios, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus.“ His enim Christus devoratus est, quando coram Pilato ad crucem eorum vocibus et accusationibus adjudicatus est. Sic apostolus Gal. 5.: „Si invicem mordetis et comeditis, videte, ne ab invicem consumamini,“ et multis aliis scripturae locis celebris est haec dentium et maxillarum metaphora, ac per se ipsam satis manifesta.

Contra et sponsa Christi dentes quoque habet, Can. 4. et 6.: „Dentes tui sicut greges tonsarum, quae adscendunt de lavacro,“ hoc est, increpationes, quibus ecclesia mordet et arguit peccatores, morsosque convertit et sibi incorporat, sunt sicut oves

detonsae, mites, scilicet arguentes sine furia et zelo, tum tonsae, id est, rerum cura inanes, non quaerentes lucra et lanam ovium. Neque enim verbum praedicare potuerunt etiam apostoli, et simul servire mensis, ut Act. 6. scribitur. Sed haec alias.

Hi dentes figurati sunt in maxilla, quam Samson levavit, et percussit in ea mille viros, Judicum 15. Unde et mitiore intelligentia percutit et conterit Deus dentes peccatorum misericorditer, quando per gratiam conversionis ex maledicis facit benevolos, et ex criminatoribus ac detractoribus justorum praedicatores et laudatores eorum, sicut sanctum Paulum, lupum voracissimum, robustissimis dentibus praevalidum, contrivit, et apostolum fecit, devoratorem omnium gentium usque in hodiernum diem. Quo sensu et Isa. 2. dicit: „Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces," quasi dicat: Mutabunt linguas noxias in salutares, et cultrices terrenorum hominum, ut sint vomeres corripiendo, et falces colligendo populos ad Christum.

Possunt item dentes intelligi allegorice juxta b. Aug. principes peccatorum, quorum auctoritate quisque de societate recte viventium praeciditur, et quasi incorporatur male viventibus, quibus contrarii sint principes justorum, ut sacerdotes, qui exemplo et verbo bono commovent homines, ut credant, et separati a saeculo in ecclesiae membra transeant. Et ad hoc aptatur illud Can. 4. et 6. de dentibus positum. Verum cuivis in promtu est, dentium ejusmodi allegoriis abundare, pluribus non agam.

Erit autem Psalmus non inutilis pro consolandis pusillis conscientiis, si ad tropologiam trahatur, et per tribulatores dentesque peccatorum intelligantur molestissimi illi insultus criminum et conscientiae male-

actae vitae. Nam hic vere laborat cor peccatoris solitarium, infirmum, desperatum, et nisi contra impetum suorum peccatorum assuescat oculos sursum levare et contra conscientiam Deum invocare, periculum est, ne maligni spiritus, qui in hoc negotio in tenebris perambulante animam capere anhelant, tandem absorbeant per tristitiam in desperationem. Ideo fortissime firmandum est cor, et cum Christo sive contra peccata conscientiam persequentia sive contra poenas salutem impetentes dicendum cum fiducia:

Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua. Sela.

Pulcherrima conclusio et velut summa omnium affectuum praedictorum. Est autem sensus: Dominus solus est, qui salvet et benedicat, atque etiamsi omnium malorum in unum conveniat chaos, adhuc dominus est, qui salvum faciat. In manu ejus salus et benedictio, quid ergo timeam? quid non praesumam? qui sciam Deo volente neminem perdi, neminem maledici, etiamsi omnes perdant et maledicant, Deo volente neminem illorum servari et benedici, quantumlibet se servent et benedicant, atque ut Grego. Nazan.: Deo dante nihil potest livor, et Deo non dante nihil potest labor. In qua sententia et Paulus dicit Ro. 8.: „Si Deus pro nobis, quis contra nos?“ Ita rursum: Si Deus contra illos, quis pro eis? Quare? Quia domini est salus, non illorum, neque nostra, vana enim salus hominum. Inde Apo. 7.: „Benedictio, et caritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo nostro etc.“ Item ibidem: „Salus Deo nostro et agno;“ et Ps. 109.: „Maledicent illi,

tu vero benedices;" et Malach. 2.: „Maledicam benedictionibus vestris, et benedicam maledictionibus vestris."

Dicat ergo felix Christus, dicat et christiana anima in mediis tribulationibus: Nihil refert, quod illi me perdunt et maledicunt, non illorum, sed domini est servare et benedicere. Nec prodest, quod se ipsos viribus suis servant, se invicem benedicunt, non ipsorum, sed domini est salus et benedictio, quo non servante et benedicente videntur ad horam servari et benedici, sed perdentur et maledicentur, rursum illo servante et benedicente videntur nos ad horam perdere et maledicere, sed revera servamur et benedicimur. Hoc vult Ps. 147.: „Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus."

Et in hujus fiduciae solatium olim in lege Mosi prohibitum est, ne homo hominem benediceret, dicente Deo, Nu. 6.: „Sic benedicetis filiis Israel, et sic dicetis eis: Benedicat tibi dominus, et ego benedicam eis." O praeceptum salutare et necessarium! Cur putas nolit Deus benedici ullum ab homine? nisi quia jam tum illud praecogitabat, Matth. 5.: „Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me." Sic enim apud homines agitur, ut Ps. 10. scribitur: „Quoniam laudatur peccator in desideriis suis, et iniquus benedicitur," nimirum, quod contra justus vituperatur et maledicitur. Recte ergo et pientissime dicit dominus: „Ego benedicam eis," quod hic versus velut repetens dicit: „Super populum tuum benedictio tua."

Quare hic versus legendus est, ut emphasis et epithasis cum elevatione sit in genitivo „domini" et in pronomine „tua," ut sic per antithesin intelligamus simul affectum, jucundissima fiducia plenum qui con-

tus adversariorum malos, quasi rideat, et fiduciam ipsorum subsannet, hoc modo: „Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua," ut discamus maledictionem hominum contemnere, et benedictionem eorum non quaerere, quando scimus solius Dei esse salvare et benedicere. In eadem sententia insultat eis Isaiae 41.: „Benefacere quoque aut malefacere, si potestis, facite," quasi dicat: Nec nobis nocere, nec vobis prodesse potestis.

Primum vide, quod salutem ante benedictionem locat, recto scilicet ordine, quod benedictio in sacris literis sonat profectum et multiplicationem, juxta illud Gen. 1.: „Benedixit eis, d.: Crescite et multiplicamini," quae fieri non potest, nisi primum servetur, ne pereat, qui benedicendus est. Et apte opponit haec duo primis versibus duobus, salutem domini tribulantibus et insurgentibus, hi enim perdunt, benedictionem vero domini maledicentibus et dicentibus: „Non est salus ei in Deo." Haec est enim maledictio gravissima. Postquam enim impii non habent, quod faciant justis a se perditis, unum est reliquum, ut eis detrahant, maledicant, blasphement, sicut in cruce Christus nobis monstravit, ubi nituntur et opinionem illorum exstinguere tam apud Deum et homines, apud homines infamando, apud Deum fiduciam conscientiae impetendo, ne in Deo glorientur, sed utrobique sint confusi.

Simul hic gravis illa tentatio blasphemiae tangitur, qua homo per daemones urgetur ad desperationem, ut maledictionem Dei super se putet ferri, ac sic Deum pro Deo non habeat, dum nihil boni de eo sentit. Hoc enim est Deum blasphemare, de quo omnia optima praecipimur sperare et praesumere, dum fide et spe et caritate colere eum jubemur in prae-

cepto primo, ut Sap. 1.: „Sentite de Deo in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum.“

Atque hoc forte est, quod tam subito mutat personam. Nam cum in tertia persona dixisset: „Domini est salus,“ velut Deum apud alios commendans, mox in secundam personam redit, d.: „Benedictio tua.“ Nam cum haec blasphemia omnium longissime rapiat a Deo, et tanquam fugiens maledictorem alium quaerat benedictorem, cum alius non sit benedictor, monet nos, ut tum quam maxime omnium ad Deum convertamur, quando maxime omnium avertimur tentati. Et haec affectio, quia est insignis et vehementissima, forte non frustra signatur per dictionem sela, de qua supra satis.

Exposuimus Ps. totum de Christo. Si cui ista interpretatio non placet, nulla erit difficultas ipsum de David intelligi, tanquam exemplari ejusdem passionis et eorundem affectuum, quos in Christo et quolibet christiano descriptos vidimus, nisi quod quintus versus nonnihil negotii solus dabit in hac expositione. Demus tamen occasionem meliora valentibus, et breviter ita exponamus.

„Domine, quid multiplicati sunt tribulatores mei?“ Absalom scilicet, Achitophel et totus populus, ut 2. Reg. 15. „Multi insurgunt adversum me, multi dicunt animae meae: Non est salus ipsi in Deo ejus.“ Hoc prae ceteris faciebat Semei, 2. Re. 16. maledicens David, et dicens: „Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial,“ mittebatque lapides contra David, d.: „Reddidit tibi dominus, ecce premunt te mala tua etc.“

„Tu autem domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.“ Dixit enim ibidem:

Dimittite eum, ut maledicat juxta praeceptum domini, si forte respiciat dominus afflictionem meam, et reddat mihi dominus bonum pro maledictione hodierna." His verbis indicat se nondum desperasse, quia fortiter in Deum confisum fuisse, ut cujus praeceptum et voluntatem agnosceret et justificaret.

„Voce mea ad dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo." Hoc fecit, cum diceret: „Infatua, quaeso, domine, consilium Achitophel," et forte alias quoque, quod non est scriptum. Nam, ut dixi, non in tribulatione sed post tribulationem Ps. fecisse credendus est. O fortis fides ad iratum Deum loqui, clamare ad percutientem se, confugere ad expellentem se, laudare susceptorem, gloriam, exaltatorem, quem derelictorem, confundentem et opprimentem senseris, dignissimum plane exemplum christianae fidei. „Ego, inquit, vadam, quo iturus sum," quasi diceret: Nescio, quo vadam, hoc est credere, committere se in tantas tenebras, ubi quid de te futurum sit penitus ignores, et tamen bene speres, atque exauditum te non diffidas.

„Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi, quoniam dominus suscepit me." Quod pro mea temeritate intelligam in hunc modum: Talis tunc eram, ut de mea vita, gloria omnibusque meis rebus fuerit desperatum, similis eram mortuo ac descendenti in lacum, quantum erat in re et specie coram hominibus, neque sane in me praeter fidem quidquam vivebat, nec aliud mihi visum est, si restituerer in regnum, quam si de somno mortis ac e sepulchro resuscitarer. Nam ad hanc rerum sortem et ad has portas inferi solet dominus deducere eos, quorum fidem tentare volet, neque enim multum a mortuo differt ista patiens.

Aut si hec non placet, age sit affectus iste: Fui

submersus in hac tribulatione, et sicut profundo somno pressi non sentiunt se vivere, suntque mortuis simillimi, ita ego prae nimia afflictione in ecstasi fidei positus externae hujus vitae nulla fruebar consolatione, eramque jam vere mortuus, quemodo Gen. 45. de Jacob dicitur, cum audisset filium suum Joseph regnare in Aegypto, quasi de gravi somno evigilans, non tamen credebat eis, adeo scilicet in desperationem Joseph apud eum venerat. Cum autem vidisset plaustra et omnia, quae miserat Joseph, revixit spiritus ejus.

Ita et hic David sese revixisse et exsurrexisse dicit de profundo somno cordis ac velut morte. Nam de naturali somno et quiete ego fateor me non posse intelligere, sed et ipse David 2. Re. 19., cum reverteretur, ait: „An ignoro me hodie factum regem super Israel?" in quo manifeste indicat affectum, quem diximus desperati regni, quantum erat in re praesente.

„Non timebo millia populi circumdantis me. Exsurge domine, salvum me fac Deus meus." Haec jam revocatus dicit. Deinceps non timebo mala, si tu mecum sis, ut Ps. 23. Exsurge modo tu, et salvum me fac, sicut modo fecisti, estoque Deus meus, tum nihil erit, quod metuam.

„Quoniam tu percussisti omnium inimicorum meorum maxillas, dentes peccatorum contrivisti." Caesus est enim populus cum Absalom, factaque plaga magna in die illa viginti millium, 2. Re. 18., et ita percussi ac contriti, qui eum jam devorabant et conterebant.

„Domini salus, et super populum tuum benedictio tua, sela," quasi diceret: Etsi Semei cum suis dentes maledicos in me fixerint, dicentes: „Non est salus ei in Deo, premunt te mala tua etc." tamen solius domini

est benedicere et servare, cui soli gloria in saecula, amen.

PSALMUS QUARTUS.

Ad victoriam in organis Psalmus David.

Obscurissimus plane psalmus ante faciem meam, et vix alius tam varie expositus, quae varietas argumentum est nondum revelatae intelligentiae.

Primum titulum, quem deinceps quoque saepius habebimus, semel videamus. לַמְנַצֵּחַ ante d. Hieronymi translationem versum est ab antiquioribus: In finem, quod vere unanimiter exposuerunt: In Christum, quem apostolus vocat finem legis, Ro. 10. dicens: „Finis legis Christus ad justitiam omni credenti." Quem finem rursus dupliciter accipiunt, quod Christus et a lege tanquam finis et summa sit intentus, et legem ipse finierit, ut amplius nos ei nihil debeamus, seu, ut philosophi peripatetici dicunt, finis quo et gratia cujus. Verum quid haec ad titulum psalmi faciant, non video, nisi multa violentia haec distrahas, et alia contrahas. Non enim omnes Ps., qui hanc inscriptionem habent, de Christo loquuntur, nisi hoc de Christo sit loqui, quod est de quolibet opere gratiae Dei loqui, quod sine Christo nec magnum nec parvum habemus. At tum oportuit in omni Psalmo hanc inscriptionem inscribi.

Hierony. deinde transtulit: Victori, tum secutum est: Ad victoriam, quod Lyranus e Rabbi Sal. sic putat intelligendum esse, videlicet Psalmum ad hoc factum, ut Levitae cantores alternis choris cantantes niterentur

se invicem superare, mensus forte divinam illam Davidis melodiam ad laudem Dei institutam ritu clamosissimorum hominum, qui in templis nostris cathedralibus chorales vocantur, qui cui cantent, ignoro, lapidibus et lignis eos boare audio. Atque tum concordans illud, quod alii in finem inscripserunt, dicit hunc esse finem, victoriam, scilicet clamoris, quam chorus victor futurus hoc Psalmo cantando, jubente scilicet propheta quaesierit. Etiam ista ludicra possunt tanto serio doceri?

Legimus autem li. 1. Paralip. 15. fuisse instituta a David tria genera cantorum, unum quod nablis, hoc est, psalteriis caneret, alterum, quod cytharis, seu, ut variare solet interpres, lyris, tertium, quod cymbalis aeneis concreparet. His pro tempore addebantur buccina et tubae. Atque tertium illud genus ibidem scribitur institutum, ut caneret in cytharis super octavam lenazeach, quod transtulerunt epinicion, id est, carmen victoriale. Inde forte venit, quod lamnazeach transfertur: Ad victoriam, quod Psalmus ejusmodi titulo insignis sit epinicion.

Hic meam confiteor ignorantiam. Nam si haec ita habent, nescio, quare non et omnes alii Psalmi epinicia inscribantur, qui vel eadem vel majora in hanc sententiam, quam hic Ps. et sui similes, continent. Tum quae sit illa victoria in Psalmo cantata, iterum varium erit, aliis Christi victoriam celebrantibus, aliis vero cujuslibet christiani in passione seu tentatione positi.

Johannes Reuchlin in sua septena transfert: Ad invitatorium, quod velit, ejus generis Psalmos esse quaedam incitabula ad expergefaciendum exhortandum-

que spiritum hominis, atque huic origo vocabuli mire quadrat. Nam נָצַח, institit, sollicitavit, coegit, urgebat significare dicit, ut Esdrae 4: „Ut instarent super eos, qui faciebant opus domini,“ et iterum: „Ut urgerent opus domini.“ Sed et res ipsa Psalmi non abhorret, quod meo judicio hic Psalmus sit more exhortatorius ad opus domini, id est, ad crucis et mortis tolerantiam. Verum an constans et perpetua sit haec tituli ratio per omnes Psalmos, lectoris relinquo et curae et judicio.

Ego hoc libens accepto, esse idem epinicion et invitatorium, quandoquidem solent id genus carmina triumphalia mire accendere et exstimulare animos ad bellum, ita et Psalmi ad crucis tum bella tum trophaea fortiter animant fideles Christi. Atque ita et ego possum omnia conciliare, ad victoriam, victori, ad invitatorium, in finem, quod omnia huc spectent, ut animati hoc spiritus incitabulo vincamus, et finem obtineamus hostium et omnium peccatorum, quo non supersit, nisi triumphus gloriae.

„In organis,“ non est dubium genus pro specie, id est, cytharis, accipi. Dictum est enim, quod epinicia in cytharis canerentur. 1. Paral. 15. Est enim organum hoc loco nomen commune in hebraeo ad omne musicum instrumentum.

De laude et virtute musicae sileo, quae ab aliis abunde tractantur, nisi quod hic apparet usum musicae fuisse olim sacrum et divinis rebus accommodatum, successu temporum (ut omnia) in luxus et libidinis servitutem redactum. Nam hinc et spiritus malus Saul pellebatur, 1. Re. 16., et Helisaeo spiritus propheticus dabatur, 2. Re. 3.

Varie (ut dixi) hic obscurissimus Psalmus expo-

situs est. Aug. aut verba Christi post resurrectionem, aut hominis in ecclesia credentis et sperantis in Christo esse credit. Lyram et Burgen. omitto, quorum ille de David contra Saulitas, hic contra idololatras eum accipit. Hieronymus arbitratur nonnisi de Christo intelligendum. Singulae horum interpretationes extra captum meum sunt, sequar spiritum meum, et abundabo in sensu meo, citra cujusque praejudicium.

Ego somniavi mihi, hunc Psalmum esse generalem quandam exhortationem ad totum populum Dei, praesertim eos, qui operum et viarum Dei ignari crucis sapientiam exhorrent. Inter quos primi fuerunt et sunt Judaei, filii Israel, quos maxime oportuit in hac re esse peritos. Nam ut Ro. 3. apostolus dicit, scimus, quaecunque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur. Quare David una suarum tentationum vel multis potius probatus exemplo suo docet, quid agendum sit, et quomodo habendum in quacunque tribulatione, et sic juxta titulum erit Ps. exhortatorius ad victoriam, quod et ipsa verba indicant, quibus sese doctorem illorum ostendit, d.: „Filii viri scitote, irascimini, sacrificate, sperate etc."

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae.

Statim ab initio molliculos et querulosos erudit, suo exemplo docens, non alio currendum, sed dominum invocandum in tribulationibus quibuscunque. Quoties, inquit, invocavi, (invocavi autem, quoties tribularer, ut Ps. 120.: „Ad dominum, cum tribularer, clamavi") toties me exaudivit, adeo videlicet clemens et promtus est misereri dominus clamantium ad se, ut quid ergo vos molliculi omnia repletis querimoniis, vana solatia quae-

ritis, ad hominem confugitis, et hoc unum remedium nescitis nec quaeritis?

Observa divinum artificem et rhetorem incomparabilem. Eodem exordio tria facit: Primo, ad filios hominum versus ac fraterna caritate pro eis sollicitus docet, quo fugiendum sit tribulatis, atque id proprio exemplo et modestissima jactantia. Ego, inquit, sic solitus sum facere, quod et vobis faciendum arbitror. Secundo, ut reddat eos benevolos et obsequentes, divinam simul commendat clementiam. „Exaudivit me," inquit, quasi dicat: Persuasum habeo, quod et vos sit quam clementissime exauditurus, modo vos audeatis et invocetis. Tertio, quod principale erat, sicut optimus orator a gratitudine et laude incipit, qui est apud Deum et homines optimus benevolentiae captandae modus. Sic enim jubemur et dominicam orationem ordiri: „Pater noster," eo verbo omnia beneficia Dei affectu dulcissimo comprehensa repetentes.

Hoc est nimirum, quod verbum ad filios hominum vertit, quod tamen debuerat ad Deum vertere: verum noluit illos relictos, et solus et vacuus venire ad conspectum Dei. Ideo et benevolentiam gratus captat, simul et fraternae salutis cupidus erudit infirmos. Nam sequenti parte mox ad solum Deum vertit verbum dicens: „Dilatasti mihi," ubi jam quos allocutus est parte priore, secum ad Dei conspectum perduxerit, ut jam non solum audiant, quid fecerit in praeteritis tribulationibus, sed etiam videant exemplum, quo soleat ad Deum confugere praesenti tribulatione, ita verbo et exemplo eos suavissime confortans.

Jam illud: „Deus justitiae meae," quod sine periculo dici quoque potest: Deus justitia mea. Quanquam non negem significare, justitiam esse a Deo, et

quod solus Deus justificet, tamen videtur mihi propheta tangere summam quaestionis seu querelae, quam solent infirmiores praetexere, scilicet, quod sibi injuriam fieri arbitrentur ab adversariis, ideoque juste se indignari et irasci. Quos propheta non acerbe exagitans, sed suo exemplo (ut dixi) suaviter erudiens monet oblivisci suam justitiam, eamque cum tota causa tradere Deo juste judicanti, nec plus sibi arrogare de justitia, quam Deo visum fuerit, sicut de Christo dicit Petrus. 1. Pe. 2.: „Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem juste judicanti" (id est, rem Deo commendabat, qui judicat juste). Ita hic dicit: Quoties ego injurias patior, invoco Deum justitiae meae, hoc paratus habere pro justitia, quidquid ille judicaverit, quare aliam justitiam meam ignoro, nisi ipsum Deum ejusque sanctam voluntatem.

Nonne iste est artificiosissimus modus consolandi infirmos, non damnare quidem eorum causam, nec justificare, sed ab eis tollere, et in Deum transferre, simul ipsos cum causa in Deum rapere, ut justitiam suam id ducant, quidquid Deus fecerit, atque ita Dei voluntatem patienter ferant?

Hunc sensum eo libentius sequor, quod justitia mea mihi usu scripturae magis causam propriam significet, quam gratiam illam justificantem, quam potius justitiam Dei appellat. Ro. 1.: „Justitia Dei revelatur in illo ex fide," et Ps. 31.: „In justitia tua libera me" (non utique in mea). Contra Gen. 30.: „Respondebit que mihi cras justitia mea," et Ps. 7.: „Judica me, domine, secundum justitiam meam et secundum innocentiam meam super me." Haec est enim justitia inter homines, quam et ipsam vindicat Deus, licet nulli satis sit

coram Deo, et fit, ut inique aliquando malum inferatur, quod tamen non inique sustinetur. Recte ergo eos revocat a fiducia justitiae suae, et in Deum transfert, ne forte multo majora digni sint pati coram Deo, quantumlibet justi sint apud homines.

Et sane est haec doctrina utilissima, hominibus semper neglecta. Nam si haec servaretur, tot fora, jurgia, jura, lites, causae non essent. Omnium enim hominum ore jactatur justitia, justitia, jus et jus. Rarus est, qui ad exemplum et verbum hujus prophetae justitiam suam Deo commendet, sinatque eum esse Deum justitiae suae, seu potius justitiam suam. Hinc totus orbis pro justitia et jure tumultuatur bellis, caedibus, litibus et infinitis peccatorum et malorum monstris, et fit, ut justitia sit causa fere sola omnium injustitiarum. Sic enim excaecat eos error, quod statim etiam apud Deum justitiam esse putent, quidquid suis dictaminibus, consiliis et hominum decretis justitiam esse didicerunt, de qua re, nisi alia nunc agerentur, multa essent necessario dicenda.

In tribulatione dilatasti mihi.

Tautologia est, nam idem est exaudiri et dilatari in tribulatione, sicut Ps. 118.: „De tribulatione invocavi dominum, et exaudivit me in latitudine dominus."

Est autem „dilatasti mihi" seu „latitudo ista" hebraismus et metaphora vel metonymia propria scripturae, quam nos sine figura consolationem dicimus, sicut econtra angustiam tristitiam et afflictionem dicimus. Sicut enim cor et omnes sensus contrahuntur, dum fugiunt et horrent tristia, quod si ex omni parte urgeat malum, jam fere fit angustia et undique in arctum contractio, ita dilatantur et distenduntur, dum

ablato malo rursum bona et jucunda conferuntur. Et sane quam proprie eo verbo exprimitur natura tristitiae et laetitiae. Nam et in fronte et vultu toto videmus, quam contrahantur tristibus, et dilatentur jucundis rebus. Ideo de impiis Ps. 18. dicitur: „Et contrahentur in angustiis suis." Unde et apostolus, Ro. 2. duo illa componit, tribulationem et angustiam, malum scilicet, et fugam mali, sic tamen ut fugi non possit.

Dilatasti me potius, quam „dilatasti mihi" dicendum fuisse videtur, sed idiotismus hebraicorum verborum est, quod saepius absolute ponuntur, et sui nominis accusativum abstractum includunt, vel in nomen suum verbale resolvuntur, ut „dilatasti mihi," id est, latitudinem fecisti mihi, fuisti dilatator meus, hoc est, consolationem mihi fecisti, quoties invocavi in tribulationibus meis.

Et sic captata est benevolentia, simul et eruditi infirmiores, imo si voles, hunc verum velut argumentum hujus totius Psalmi habere poteris, proponit enim erudire infirmos, ut invocent Deum et causam suam Deo commendent, Dei justitiam laudent, consolationem alibi non quaerant, sed certissimam et magno fructu a Deo exspectent, atque id efficacissime suo proprio exemplo, se velut sociam eis jungens, et eorum casus sibi communes faciens.

Miserere mei, et exaudi orationem meam.

Confiteor, inquit, quod me exaudisti, quoties invocavi, de quo non modo gratias ago, sed et securus sum, quod, sicut deinceps et semper abundabunt passiones in nobis, ita semper sis nos exauditurus clamantes ad te. Qua fiducia etiam nunc tribulatus iterum invoco, ut iterum exaudias.

Quando autem in Hebraeo hic versus posterior pars est primi versus, voluit mea cogitatio totum hunc versum intelligi tanquam formam praescriptam infirmioribus, qua se gererent inique tribulati, et hanc particulam esse velut praemansum cibum, quo propheta eos, velut pueros, doceret, quibus verbis uti debeant invocaturi Deum, nempe istis: „Miserere mei, et exaudi orationem meam,“ ut primo misericordiam Dei super se et pro peccatis suis implorent, quibus forte longe pejora meruissent, ac sic interim vindictae obliti causam Deo committerent, tum exaudiri peterent. Nam justus in principio accusator est sui, Prover. 18.: „Et placens Deo miseretur primum animae suae,“ Ecclesia. 30. Ideo primum pro se gratiam implorat, tum demum a poena liberari petit. Verum haec non ausim asserere.

Proinde esto, quod sit in nova tribulatione nova invocatio, in qua nihilominus id, quod dixi, observandum est, ut non tam pro poena quam peccato solliciti simus, primum, misericordiam Dei impetrantes, ne forte more stultorum perversissimo nostram culpam, quae poenam meruit, obliti, alienam culpam, quae nostram poenam operatur, solam videamus, trabem in oculo nostro relinquentes, et festucam e fraterno oculo ejicere conantes. Nam primum deprecanda est causa tribulationis (quae peccatum est), non tribulatio. Ideo primum Deus misereatur nostri oportet, tum quorum misertus fuerit, exaudiat.

Vides ergo Psalmos in hoc esse per Spiritum sanctum editos, ut sint tribulatorum solatia, ideoque qui tribulari nolunt, quid eis cum Psalmis? At qui hodie minus tribulari volunt, quam ii, qui Psalmos die et nocte versant, aut versare debent? Nonne illud Amos 6. eis convenit: „Sicut David putabant se ha-

bere vasa cantici?" Quomodo psallent, qui pro divitiis, privilegiis, juribus orbem caedibus involvunt, non contenti fulminibus suis propriis? Ideo Psalterii hodie nullus usus, nisi quem patitur a vocibus et murmurationibus, satis indignum et tamen assiduum.

Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?

S. Hierony. sic transfert: Filii viri, usquequo incliti mei, ignominiose diligitis vanitatem et quaeritis mendacium. Certe vim verborum hebraicorum recte tangit hic s. vir, nihil enim de corde habet hic versus. Proinde perspicuum est interpretem nostrum, quisquis fuerit, errasse, et beth pro caph legisse, et quod amplius est, dictionem unam in duas divisisse, pro לִכְלִמָּה (quod ad ignominiam sonat) legisse לֵב לָמָּה (quod cor, ut quid, significat). Ideo ubi Hiero. ignominiose, una dictione, „ibi corde, ut quid" ille duabus transtulit, et quod Heb. כְבוֹדִי, noster graves, Hiero. gloriosi mei, seu incliti mei reddidit, nam gloria Hebraeis eodem paene verbo significatur, quo gravitas.

Nec „filii hominum" Hebraeus habet, sed filii אִישׁ, hoc est, filii herois, et qualis Ps. 1. dicitur: „Beatus vir," non enim hic filii Adam habetur, quo significatur carnis generatio. Quare non filios carnis videtur indicare, aut non ut carnis filios eos alloqui, sed quomodo magister, praeceptor, aut quocunque homine major filios vocat suos minores.

Primum ego spiritum meum effundam, deinde alia videbimus. Versum ergo sic transfero: „Filii viri, usquequo gloria mea ad ignominiam, diligitis vanitatem et quaeritis mendacium? Sela." Ita mihi verba prophetae in persona Dei seu Christi esse videntur, pri-

mum, Judaeos appellaatis, deinde et gentes, ut apostolus solet loqui, ut sit sensus: O filii Israel, quousque nomen meum apud vos polluitur? Quamdiu mea gloria per vos ignominiae patet, dum me deserto, qui sum veritas et vita, diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? Quae quo modo fiant, nunc videamus.

Dixi, Psalmum esse exhortatorium ad eos, qui fidei defectu in cruce et injuriis scandalisantur, et animo dejiciuntur. Quod vitium infidelitatis est, et crimen spiritualis idololatriae, quales accusantur filii Israel in deserto fuisse, Ps. 78.: „Generatio prava et exasperans, generatio, quae non direxit cor suum, nec est creditus cum Deo spiritus ejus.“ Hic manifeste arguitur vitium cordis, quod erat diffidentia, ignorantia crucis, et insipientia in via Dei, quia ibidem dicit: „Non sustinuerunt consilium Dei,“ quo vitio per totum vetus arguuntur testamentum. Ab hoc crimine mox venit exterior illa et varia idololatria pro diversitate infinitorum affectuum, ut alius illum, alius istum Deum quaesierit, et unusquisque gloriam Deo debitam in creaturam, ex qua vel esset consecutus vel speraret solatium, transferret.

Quando ergo gloria et cultus Dei consistit in sincera fide, robusta spe et perfecta caritate in Deum, necesse est, ut qui in Deum non confidit, non credit, non diligit, sed in quacunque creatura sese solatur, gloriam Dei ad ignominiam vertit, et nomen ac opus, quae Deo debuerat, in creatura quaerat. At ita faciunt plane omnes, quotquot in tempore tentationis recedunt (nam de iis potissimum hic loquitur). Quare ab initio sui ad finem usque mundus plenus est idololatria. Quamvis non semper imagines adorent creaturarum, tamen habent affectum illum, qui omnium idolo-

latriarum fons et caput est. Hic autem est (ut dixi) rebus et creaturis fidere, frui, delectari, qui soli Deo debetur, id est, infidelitas et diffidentia, ac per hoc et contemtus odiumque Dei.

Sic Ps. 77. [106.]: „Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.“ Quo versu pulcherrime vim idololatriae describit. Gloriam eorum vocat gloriam Dei, quia apud eos solos erat gloria Dei (id est, recta fides et cultus Dei), qua gloria Dei et ipsi gloriam apud Deum et homines habebant. Ita et 1. Reg. 4.: „Translata est gloria Dei ab Israel,“ et Ro. 1.: „Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis hominis.“ Quid est enim gloriam Dei mutari, nisi cultum Dei mutari? Nam cultus Dei brevissimo compendio aliud nihil est, quam gloria Dei, gloria Dei nihil aliud est, quam ei credere, in eum sperare, eum diligere, quia qui ei credit, veracem eum ducit, ac per hoc veritatem ei tribuit. Qui sperat in eum, potentem et sapientem et bonum arbitratur, ut a quo possit juvari et salvari, ac per hoc ei potentiam, qua possit, sapientiam, qua novit, bonitatem, qua velit juvare, tribuit, hoc autem est, vere Deum esse, vere Deum habere. Tunc mox amor sequitur in eum, sua sponte sibi placens in tali Deo, ac pretiosissimam opinionem de eo concipiens.

Qui autem non credit, mendacem facit, qui non sperat, vel impotentem vel nescientem vel nolentem facit, quae sunt horrenda. Tum sequi necesse est contemtum Dei. Ex quo deinde translatus ad creaturam (cum necesse sit humanum cor credere, sperare, diligere aliquid) fidit vel in divitias, vel favorem, vel vires suas, vel alia quaecunque, vel in stultam opinionem, sive de vero sive falso Deo praedicatam. Ubi

si aliquando (permittente Deo) senserit solatium, toto corde et amore huc fertur. Et sic potentia, bonitas et omnia, quae ad gloriam Dei pertinent, ad ignominiam versa sunt, et tributa ei, cui non debentur.

Sic in Isa. 24. [42.]: „Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus," omnia, scilicet, bona tribuit etiam hostibus suis, sed gloriam sibi soli servat, quia non sunt tribuenda bona, quaecunque accipiuntur aut quaeruntur, quam uni soli Deo, quo praedicatur ejus solius bonitas ac vera divinitas. Istis sic cognitis credo versum hunc esse facilem, quod ignari crucis et vacui fidei gloriam Dei, mox ut coeperint pulsari, prostituunt, et ad quodlibet aliud confugiunt, quam ad Deum, consilium, auxilium, salutem non ab eo, cujus sunt, sed a se ipsis vel creaturis (in quibus non sunt) quaerentes, non credentes ultimum versum Ps. praecedentis: „Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua."

Videamus ergo affectus et emphases hujus versus. Primum, ut sit acris et vehemens exhortatio, dignissimo titulo eos alloquitur. „Filii (inquit) viri." Qui vir, sive Abrahae, sive Israel, sive Christus intelligatur, idem erit, quanquam magis proprie Abraham ego intelligerem, cum de Judaeis primum intelligo. Hic enim pater multarum gentium vocatus est, quia non hoc tantum loco, sed et Isa. 51. simili exhortatione dicitur: „Attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quae peperit vos, unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum," quasi diceret: Attendite non quomodo carnaliter ex illo nati estis, sed quomodo illum vocavi, et non ex carne justificatus est, sed per fidem in me.

Ita et vos facere oportet, si filii ejus esse volueritis. Sicut Johann. 8.: „Si Abrahae filii essetis, opera Abrahae faceretis.“

Ita hic, ut Abraham eis proponat patrem non carnis, et eos moneat fieri filios ejus spirituales, potius dicit: „Filii viri,“ quam filii hominis, et cum potius sint adulterini et spurii coram Deo, qui carnem Abrahae sine fide ejusdem jactant, tamen dignatur eos tali honore, quo blandius et efficacius tales faciat, quales appellat, sicut Paulus Galatarum ecclesias vocat, cum jam essent seducti et extra ecclesiae fidem exturbati. Verum nihilominus oblique eis opprobrat degenerem animum, quod cum tanti herois sint filii, nihil tamen minus praestent, quam filios ejusdem.

Deinde et illa quaestio: „Usquequo?“ miram habet energiam, insignem simul divinae longanimitatis suavitatem commendans, simul gravissimum ac diuturnum salutis eorum dispendium commiserans, quasi diceret: Cum sitis, imo esse debeatis filii tanti viri, de quo unice gloriamini, usquequo gravissimo vestro salutis periculo et divinae patientiae abusu tales vos exhibetis, et ita degeneratis, ut solo nomine sitis filii tanti viri? Hoc autem facitis, dum nec creditis nec speratis in Deo, in quem ille credidit, quin hanc in me fiduciae gloriam in meam et vestram confusionem et ignominiam alio vertitis. Ignoratis enim in adversitatibus nonnisi ad me currendum esse. Ego enim (ut Isa. 46.) feci, ego feram, ego portabo, ego salvabo. Cur alius hac gloria potitur, qui non potest eam implere? Cur mihi non datur, qui solus haec possum et volo, cui soli debetur? Vides, quam suavis quidem sit, sed ardens valde haec expostulatio.

Jam et hoc suum pondus habet, quod gravissima antithesi gloriam ad ignominiam trahi, non quamvis gloriam, sed suam propriam, expostulat, quo solo auditu pia mens penitus debeat contremiscere. Horribile enim auditu est, gloriam Dei in ignominiam, et laudem Dei in blasphemiam verti, quam omnis creatura summis viribus studet venerari*).

Atque ipsemet hanc rem tanti facit momenti, ut ecliptica oratione utatur per reticentiam, seu aposiopesin, verbum omittens d.: „Usquequo gloria mea in ignominiam," scilicet, mutatur et vertitur? sicut Paulus Ro. 1.: „Mutaverunt gloriam Dei etc." Hac enim aposiopesi indicat, tantum esse hoc flagitium, ut fas non sit nominari prae horrore nimiae impietatis. Longe enim mitior fuisset culpa, si rebus creatis abuteremini in ignominiam, et gloriam operis mei ad contumeliam traheretis, sicut fit, si ex auro fiat vasculum auro indignum, si homo nobilis sit sine honore. Sed gloriam meam non modo mihi non dari, verumetiam auferri, nec simpliciter auferri, sed etiam in ignominiam mutari, hoc scelus est, a quo coeli stupescant, quod aures non ferant, et lingua timeat proferre. Ecce quanta vi verborum cogit nos Deus noster ad fidem sui, id est, ad salutem nostram.

Nunc facile erat alias translationes huic meae conciliare, licet sensum non adeo reddant expressum. Filii hominum etc., quasi diceret: Vere filii hominum estis, magis quam filii viri, quem referre debetis, sed carnem ejus et patrum vestrorum, non fidem eorum, sapitis. Usquequo gravi corde, usquequo increduli estis corde et pondere infidelitatis deorsum ruentes in

*) Hoc. voc. deest in edit. princip.

fiducia rerum incumbitis, ac gloriam, quam mihi debetis, creaturis tribuitis? sicut jam satis est dictum.

Ita et illud Hiero.: Filii viri, usquequo ignominiose diligitis vanitatem, quasi diceret: Cedit hoc ad gloriae meae ignominiam et vestrae, quod deserta fiducia mei diligitis alia quam me, qui sum veritas etc.

Pulchre ordine primum vanitatem diligi, deinde mendacium quaeri dicit. Primum est enim omnium affectus ipse, seu amor, seu voluntas, seu studium, qui si perversus et impius est, mox opiniones parit impias, falsas et mendaces. Ex his autem duobus (ut Ps. primo dictum est) pendet universa cujuslibet hominis vita. Ita fit, ut contra Mosen Deutr. 12. unusquisque faciat, quod sibi rectum videtur. Hoc studium, hoc consilium impiorum, has cogitationes hominum vanas hoc loco per mendacium taxat spiritus, et fere per totam scripturam, ut per Psalterium videbimus. Igitur amor vanitatis avertit affectum, quo averso mox inficitur mens malis opinionibus, ut, sicut res male amat, ita de rebus male judicet, et excaecata per malitiam mente in errore et mendaciis suis, tanquam in veritate, sapientia et omnino in luce se ambulare putet.

Singula verba epitasin habent. Vanitas est, ut Eccle. per totum copiosissime definit, quidquid Deus non est. Nam si vana salus hominis, quanto magis omnium aliarum rerum? Est ergo ista vanitas, quod homo crucis gratiam ignorans non in Deo, sed quovis alio quaerit auxilium et solatium, nec enim inveniri potest salus aut ullum bonum, nisi in Deo. Cetera omnia sunt afflictio spiritus, et irritatio ac titillatio ad consolationem verius quam consolatio, et salutis ac boni potius incitabulum quam salus et bonum.

Porro, vanitatem habere, non perinde summum malorum est. Est enim omnis homo vanitas, et nihil novum sub sole, aut si malum est, tolerabile est. Nullus etiam sanctorum est, qui non speret, fidat, cupiat, metuat, amet, odiat, plus, minus quam debeat. Verum hoc corpus mortis, has leges peccati, has vanitates odisse oportet, non diligere, non in illis placere. Creaturae solatio et auxilio uti malum non est, sed amare et in eis haerere, prae amore earum in Deum non fidere, impietatis est.

Mendacium etiam mitius malum est, quam quaerere mendacium, siquidem potest quispiam seduci, et vanitatem pro veritate amplecti, sed quaerere impium est. Cum enim omnis homo sit mendax, non id quaerendum est, ut nostris opinionibus, nostris judiciis, seu, ut dicunt, nostris dictaminibus obtemperemus, et vitam agamus, sed maxime conandum, ut ab iis temperemus, et divinae sententiae cedamus, ejusque judicio agamur et agamus.

Proinde nihil potest christiano homini pestilentius tradi, quam philosophia moralis, et decreta hominum, si ita tradantur, ut credat in his se recte incedere coram Deo. Nam sic fiet, ut consiliis his innixus, quidquid contra se geri viderit, judicet, damnet, persequatur, ac per hoc crucem Christi repudiet, et viam Dei penitus contemnat, quae tunc optime et prosperrime habet, quando sine ductu et consilio nostro vivimus, ac velut per desertum et invium Christum in columna ignis sequimur. Hoc enim est non vanitatem, sed soliditatem diligere, nec mendacium, sed veritatem quaerere, quae omnia in tempore passionis et adversitatis melius sentiri possunt, quam verbis dici aut corde cogitari, nam experientia opus est (ut saepe diximus)

ad intelligenda verba Dei. Non enim dici aut sciri, sed vivi volunt et sentiri, sicut ille, qui dixit Ps. 116.: „Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax." Cur mendax? Quia in ecstasi passionis positus, et sola Dei fide vivens, et fiducia rerum exutus, in qua omnes homines mersos vidit, secure pronuntiat, eorum affectus esse vanos, et universa consilia ac studia eorum mendacia, quia sine fide Dei sunt, si autem sine fide, jam sine verbo Dei, si sine verbo Dei, jam sine veritate; atque ita vere mendacia et vana omnia, quae extra fidem sunt, quae veritas est propter verbum veritatis, in quod creditur, et credendo haeretur.

Habemus ergo hujus versus sententiam, esse omnes impios, idololatras, divinae gloriae violatores, qui in tribulatione quacunque a fide, spe et caritate cadunt in fiduciam et solatium rerum, atque his studiis sese tuentur et regunt.

De dictiuncula „sela" satis dictum est. Nam et hic signandi affectus gratia mihi poni videtur, quod revera magni aestimandum sit, universum hominum genus adeo vitiosis affectibus et opinionibus esse implicitum, ut vanitatem diligat et mendacium quaerat, ita ut res pro dignitate non queat satis dici et inculcari.

Et scitote, quoniam mirificavit dominus sanctum suum; dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Saluberrima eruditio, nam hoc est, cur filii hominum exhorreant crucem, quae via est veritatis et soliditatis, potius vanitatem et mendacium sectantes, in rerum fiducia, quod ignorantiam Dei habent (ut apostolus dicit ad Corinthios), ignorant, inquam, quid agat, quid velit, quid cogitet Deus, quando nos tribu-

lationibus tentat. Judicant enim sicut equus et mulus secundum id, quod patet et sentitur. Patet autem tunc aliud nihil quam ignominia, inopia, mors et omnia, quae in Christo nobis passo monstrantur, quae si sola intuearis, et non cognoscas in iis divinam voluntatem, eamque feras et laudes, necesse est, ut in cruce ista scandaliseris, et ad tua confugias, ubi mox idololatra fias, et gloriam Deo debitam creaturae tribuas.

Joh. 16., cum rationem redderet, quare Judaei essent persecuturi apostolos, et extra synagogam facturi, dixit: „Haec facient vobis, quia non noverunt patrem neque me.“ Quomodo non noverunt, qui tam multa cum Christo pro Deo contenderunt? Sed Christum nosse, est crucem nosse, et Deum sub carne crucifixa intelligere. Hoc enim vult Deus, haec voluntas Dei, imo hoc Deus est. Ideo quod crucem crucisque verbum suis affectibus et opinionibus, tanquam vanitati et mendacio contrarium odiunt et persequuntur, in causa est, quod ignorant Deum, seu (quod idem est) voluntatem Dei non noverunt.

Ita et Joha. 6., quando dixit: „Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis.“ Durus hic sermo erat, ita ut multi discipulorum quoque scandalisati abierint retrorsum. Quare durus sermo? Quia manducare hanc carnem, et bibere hunc sanguinem, est Christo per fidem incorporari, et passionibus ejus communicare. At hoc summe horret pravus affectus et perversis opinionibus vitiatum cor. Hoc est, quod hic dicit: Nolite timere neque putetis vos perire, si affectus et sensus vester occumbat, si quaecunque patiamini, contra opiniones vestras sunt, sed estote prudentes, cognoscite dominum, intelligite voluntatem ejus, avertite oculos,

ne videant vanitatem, quoniam mirabilis est dominus in sanctis suis. Aliud agitur, et aliud longe apparet, occidere videtur, sed revera vivificat, percutit, sed vere potius sanat, confundit, sed vere tunc glorificat, deducit ad inferos, sed vere reducit potius ab inferis, et his similia, de quibus multa diximus in praecedentibus.

Quid ergo mirabilius divina hac voluntate? Habitat quidem in altis, sed humilia respicit, stultos facit, ut sapientes fiant, infirmos facit, ut potentes reddat. Verum prius quidem apparet et sentitur, at posterius, nisi fidem habeas, non assequeris. Sic enim et Petrus, 1. Pe. 1. dicit in prophetis esse praenuntiatas priores passiones et posteriores glorias. Ideo monitorio et exhortatorio egemus, quo elevemur ad cognoscendum Deum in ejusmodi casibus. „Scitote, inquit, quoniam mirificavit," quasi dicat: Quid fluctuatis? quid quaeritis hic et hic consilium et auxilium? quid diligitis hoc et hoc solatium? Vana sunt haec omnia, non modo non juvantia, sed et mendacia, vos misere fallentia. Scitote et certi estote, audite et credite, fixa est et immutabilis sententia, quod quicunque sanctus Dei esse voluerit, quicunque gratiam ejus obtinere et gratus ac placitus esse cupierit, hunc necesse est pati, ut Deus sit in ipso mirabilis. Mirabilis autem esse non poterit, si consilium et auxilium vestrum aut ullius creaturae vos juvare poterit. Nam haec, quia supra captum vestrum non sunt, mirabilia non sunt. At ubi desperatum fuerit tam in vobis quam in omnibus aliis, et soli divinae voluntati causa commendata, ecce, tum erumpet quasi lumen justitia vestra, Ps. 30. [37.], et educet tanquam meridiem judicium vestrum, via et tempore prorsus incogitabili tam vobis quam omnibus.

Sanctus hoc loco heb. חָסִיד dicitur, quia is pro-

prie sanctus est, qui misericordiam consecutus est, quem nos gratia justificatum vocamus. Atque orationem distributivam intelligi oportet, seu numerum pro numero in hunc modum: „Scitote, quoniam mirificavit dominus sanctum suum,“ id est, sanctos suos, quod est dicere: Scitote, quod Deus mirabiliter regit et agit hominem, quemcunque justificat et gratia induit, ut discatis, qui Deo placere voluerit, hunc (ut dixi) oporteat scire hoc domini consilium et voluntatem bonam, placentem et perfectam. Nam et Ro. 12. dicit probari hanc voluntatem non posse nisi renovatione mentis, qua semper occidit affectus et opinio nostra.

„Dominus exaudiet me etc.“ Iterum et verbo et exemplo docet infirmos, nam poterat ad sanctum mirificatum retulisse et dixisse: Dominus exaudiet eum, cum clamaverit ad eum, aut priorem partem posteriori sic comparasse: Scitote, quoniam mirificavit dominus me. Sed, ut dixi, istae personarum subitae mutationes affectuum significant varietates et miras translationes. Formanda ergo est persona prophetae nimia caritate pro filiis hominum solliciti, et nunc se inter sanctos, nunc inter peccatores numerantis, quo omnes lucrifaciat. „Dominus, inquit, exaudiet sanctum suum,“ quod si hoc parum movet, dico, quod exaudiet me, qui et ipse unus sum sanctorum, id est, eorum, qui gratiam ejus consequuntur.

Et adverte affectum, quod filiis hominum suadet quidem, ut sustineant manum Dei. Verum quia res ista in fide geritur, ostendere non potest, quod dicit, non apparet Deus (ut dixi). Ideo quod extremum habet et potest, facit, promittit, scilicet, auxilium Dei, quasi dicat: Hoc unum habeo, quod possum pro vestro solatio, quia promittere vobis cum fiducia possum ex-

audiendos vos esse, ideoque confidite, ne diligite vanitatem, ne mutetis gloriam Dei, sed exspectate, atque ad hoc meo exemplo quoque confortamini, quia ego certissimus sum, quod dominus exaudiet me, non modo hac hora, sed quoties clamavero.

Ita videmus piissimam sollicitudinem spiritualis animae pro fratribus suis. Nam iactare se non audet, et tamen pro necessitate fraterna cogitur se ipsum in exemplum proponere, sicut apostolus Paulus quoque facit in multis locis: „Imitatores mei estote, sicut et ego Christi,“ et 2. Cor. 7. capite: „Nos neminem laesimus etc.“ Ad hanc enim iactantiam vitandam videtur priore parte versus in tertia persona sanctum dixisse, ne vane gloriaretur se esse, cum quo Deus mirabiliter ageret, quod in posteriore parte omisit, quod clamare ad Deum, non sit magnae iactantiae fomentum, sed potius afflictionis indicium. Igitur docet nos spiritus benignus in mirificatione nostri (id est, tribulatione) aliud fieri non debere, quam sustinere mirificatorem dominum et clamare ad ipsum, non fugere passiones, non quaerere mendacia, et quae nobis bona ac recta videntur, quae est species omnium nocentissima.

Irascimini, et nolite peccare, quae dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini. Sela.

Hebraeus ita habet auctore Hierony.: Irascimini et nolite peccare, loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete. Ubi patet pronomen „quae“ et coniunctionem „et“ in nostris superfluere. Verbum etiam „compungimini“ coegit interpretes alium sensum sequi, quam textus praebeat. Quare Hebraeum primo videamus.

Propheta cum filios hominum versu tertio a vani-

mento occidere per mortalem consensum putant, intelligi oporteat. Ego, ubi non cogit necessitas inevitabilis, mysticas intelligentias in scriptura et fugio et fugiendas suadeo, quod sint mire periculosae. Solem hunc Paulinum mihi non patior alium, quam visibilem significari, etsi diversam illam non damno sententiam.

Ad haec scio, nullam esse temeritatem periculosiorem, quam velle discernere inter veniale et mortale peccatum, praesertim in hora commotionis et tentationis. Illud peccatum (inquam), quod motibus animi aestuantis patratur, cum soleat vel libido vel indignatio aut quaevis alia passio non una tantum, verum multis quoque horis hominem quandoque occupare, ita ut, an consenserit nec ne, ipse incertus sit. Quin non raro divina dispositione mera et involuntaria passio est boni et sinceri animi, adeo abscondita, ut metuat, imo paene credat sese consensisse, quo remedio solet divina misericordia conservare in humilitate dilectos suos, quos insignibus donis prae ceteris ornavit, ne iis inflati prae ceteris superbiant et pereant.

Proinde mihi apostoli dogma tutissimum et sapientissimum est, ut saltem vesperi quisque ad se redeat, et iracundiam, si quam concepit, dormitum iturus ponat, fratrique concilietur. Neque enim potest ullum tempus aptius huic rei definiri, quam solis occasus et finis diei, ubi et negotia omnia et opera finiuntur, et animus jam quietior est, aptusque ad deponendam hanc et omnem malitiam, sive in eam consenserit, sive minus. Nam delicta quis intelligit? Atque in omni opere metuendum est judicium Dei strictissimum.

Sequitur: „Loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete." Satis patet idem esse, super cubilia, in cubilia, in cubilibus, nam in hebraeo paene sonat

motum ad locum, quo tropo Christus utitur Matth. 6.: „Tu cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio etc."

Cogor hic pessimum (ut dicitur) magistrum, hoc est, me ipsum, sequi, quod hebraeum hunc textum a nemine viderim expositum, imo quantum possum, sequar spiritum. Quia mos est eorum, qui patiuntur injuriam, erumpere, clamare, et auras questibus implere, adeo, ut et apostolus Ephe. 4. clamorem inter affectus irae numerarit, dicens: „Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis etc." propheta filios hominum cohibiturus, ne erumpant, sicut permisit, ut irascerentur primo motu, ne tamen peccarent, ita nunc docet, ut nihil tumultuentur, sed in cordibus loquantur, in cubilibus, eo ipso exprimens, quid faciant, ne peccent ira commoti, nempe, ut loquantur apud se ipsos, et taceant. Quod non intelligo, nisi ad sensum Isaiae prophetae 30.: „In silentio et spe erit fortitudo vestra." Silentium enim hic dicitur non tantum, quod ore servatur, sed ipsa omnino patientia et quies contraria tumultui, quomodo Psal. 37. dicit: „Sile domino, et ora eum," et Psal. 94. [65.]: „Tibi silet laus in Zion;" et Isaiae 41.: „Taceant ad me insulae, et gentes mutent fortitudinem."

Omnino autem silere tropo isto scripturae significat id, quod ponere impetum, mitigare furorem, frenare animum, quod et nostra vernacula dicimus iracundiis compescendis: Still, still, halt inne. Unde et Hebraeis sepulchrum דּוּמָה ab hoc vero silentio vocatur, quod ibi homo desinat et totus in silentium eat. Nam et eodem loco Isaias praemiserat, dicens: „Sperastis in calumniam et tumultum?" Iratis enim et offensis fervet animus ad calumniam et ad tumultum, quibus praesumunt vindicare et superare. Sed hunc refrenans dicit: Si revertamini et

quiescatis, salvi eritis, quia non tumultuando, sed silendo vincetis. Tunc sequitur: „In silentio et spe erit fortitudo vestra," hoc est, si sileatis, quiescatis, impetum frenaritis, tumultu abstinueritis, vindictam non quaesieritis, sed meam manum exspectaveritis, mihi vindictam reliqueritis, mihi causam tradideritis, ecce, tum eritis fortes et vincetis. Quia ego pro vobis pugnabo, vos silebitis.

Sic Moses Exo. 14.: „Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis." Quid est „Tacebitis"? Id est, quieti eritis, nihil ad rem facietis, sed agetis, quasi negotium nihil ad vos pertineat. Hoc tacere est nihil aliud, quam quietam patientiam habere, qui tropus frequens est in sacris literis.

Unde et ibidem Isaias, cum huic monitioni silentii servandi nollent obtemperare, dicit: „Et dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus, et ad veloces adscendemus." Quid enim hoc est, nisi quod per tumultum se ipsos defendere voluerunt, non in silentio et spe salvi et fortes fieri? Ideo sequitur ibidem: „Ideo fugietis (fugabimini) et velociores erunt, qui persequentur vos, mille homines a facie terroris unius, et a facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini, quasi malus navis in vertice montis, et quasi signum super collem." His verbis clarere puto, quid sit tacere et tumultuari, nempe alterum pati et quiescere, alterum moveri et movere omnia, et, ut dicitur, caelum et terram miscere. Hoc tacere hic versus docet.

Est ergo sensus: „Loquimini in cordibus vestris, in cubilibus vestris, et tacete," id est, (quod dicitur) pensate, deliberate, nolite praecipites esse, nec statim proferatis, quae ira commota suggerit. Primum consulite vobiscum, quia ira viri justitiam Dei non opera-

tur, et ut gentilis quoque dixit: Ne quidquam facias aut dicas iratus. Sed et divus Gregorius ait: Melius est iram tacendo fugere, quam respondendo superare. Hunc sensum germanice solemus dicere: Bedenk dich, und halt inne.

Nunc videamus verba. Primum est: „Loquimini in cordibus vestris," hoc est, secum bene meditentur, nec irae obtemperent, quae praeceps est, et verbum habet in lingua, non in corde, juxta illud Ecclesiastici 21.: „In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum." Pulchra et egregia conversio sententiae. Hoc idem et hic versus monet, ut os ad cor vertamus, non effundamus statim, quidquid tentatio suggerit. Hoc enim est cor in ore habere, imprudenter loqui, quod maxime faciunt irati, os in corde habere, prudenter loqui, quod faciunt quieti et mites.

Quare possumus eandem conversionem aemulari hoc loco, et dicere, loqui in cordibus et cogitare in oribus (ut sic dixerim) esse contraria, illud sapientium, hoc stultorum. Ut autem in cordibus aptius loquantur, addit, ut hoc in cubilibus suis faciant, solitudinem, scilicet, quaerant, turbam irritatricem fugiant. Sedato enim corpore et externis tumultibus animus quoque facilius sedatur, ut secum possit loqui et rem ponderare. Atque ut huic tentationi utilis est fuga et solitudo, sic aliis quibusdam tentationibus est periculosa. Haec meo sensu, citra cujusque praejudicium.

Nunc qua ratione concinnemus nostram translationem? Necesse est, ut verbum aliud subintelligatur, ut etiam Aug. docet, qui in hunc modum ordinat: Quae dicitis, in cordibus vestris, subaudi, dicite; quod Aug. alio ducit, ad nostrum sensum ita formabitur: Quandoquidem irati, promti estis dicere, quidquid in buccam

venerit, quae vultis dicere, non foris praecipitate, sed in cordibus dicite, hoc est, prudenter dicite, quae dicere vultis. Nam hoc tropo et Christus ad Judam dixit: „Quod facis, fac cito, id est, quod vis facere, seu jam proposuisti facere. Ita hic: Quae dicitis, id est, quae vultis dicere, in cordibus vestris dicite. Quae impatientia irae stulte vultis dicere, curate, ut meditatione cordis prudenter dicatis.

Jam quid illud: „Et in cubilibus vestris compungimini?“ Quae tacendi et compungendi concordia? Meo judicio haec est, quod redeundo ad cor iratus compungitur, sibique displicet, quod commotus sit, atque ita ad silentium praedictum per compunctionis vim proxime accedit. Itaque dum loquitur cum corde suo, videt (praesertim in cubili suo, et seorsum positus), quam stulta fuerit commotio et impatientia irae suae, quam si fuisset secutus, turpiter cecidisset, atque hac sui compunctione mutatus abstinet a tumultu, ad quem motus fuerat, et jam tacet vindictae flamma non parum sedata. Qui meliora habet, sine invidia communicet. Hoc ego potui.

„Sela“ in fine versus quid significet, satis diximus. Insigne enim est gratiae donum, hunc posse affectum praestari ab eo, qui fuerit injuria et tentatione ad iram et impatientiam provocatus, ut frenata lingua seorsum se recipiat et taceat. Nam in hunc scopum tractat hunc Psal. Paulus (ut dixi) Ephe. 4., ubi in fine dicit: „Sed estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.“

Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in domino.

Mira doctrina, quid nam est sacrificium justitiae? Quis offerre Deo potest justitiam, quam potius a Deo

quibusque sacrificiis impetrare oporteat? Breviter, distinguit sacrificium justitiae ab omnibus sacrificiis peccorum et quarumcunque rerum, quod haec duo sacrificia maxime pugnent, sacrificium justitiae facit peccatores, sacrificium rerum justos. In hoc dare Deo aliquid videmur, et justitiam operari, in illo nonnisi recipere volumus a Deo, et peccatum confiteri. Ita fit, ut sacrificium rerum, dum justitiis et operibus inflat, impatientes reddat injuriae, tanquam conscios sibi longe meliorum meritorum, unde et ad vindictam acrius accenduntur, tanquàm justitiam suam tutati *).

Est ergo sacrificium justitiae, Deum justificare et laudare, se ipsum peccatorem accusare, dignumque omnibus his, quae patitur, pronuntiare, cum Ps. 119. dicendo: „Justus es domine, et rectum judicium tuum." Quale pulcherrimo exemplo describitur Dan. 3.: „Omnia quae induxisti super nos, et quaecunque fecisti nobis, in vero judicio fecisti, et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum," et infra: „In anima contrita et spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum et taurorum et sicut in millibus agnorum pinguium. Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, quoniam non est confusio confidentibus in te." Idem Baruch 1. docet captivos in Babylone, et „dicetis, inquit, domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostrae, sicut est dies haec."

Hoc autem sacrificium fiat oportet ex vero corde, ore et opere, corde peccatum veraciter agnoscendo, ore sine fictione confitendo, opere poenas peccatore

---

*) In edit. princip. leg.: tutari.

dignes volenter ferendo. Multi sane dicunt ore, se esse peccatores, sed neque corde neque opere, quod probant, dum neque dici ab aliis neque haberi peccatores volunt, neque injurias pati. Si peccator es, cur poenas fugis? Si non meritus tibi videris, cur te peccatorem dicis? Justorum est haec gloria propria, ut sit eis honor et pax, Ro. 2. Peccatoris autem propria sunt tribulatio et angustia.

Igitur qui Deo justitiam, sibi peccatum vero corde tribuunt, hi sunt, qui sacrificant deo illa sacrificia justitiae, in scripturis commendata. Quorum unum potest dici matutinum, de quo dicit Psal. 50.: „Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.“ Alterum vespertinum, de quo Psal. 51.: „Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies.“ Atque hoc forte versus hic indicat, qui in hebraeo plurali numero dicit: „Sacrificate sacrificia justitiae,“ ut ambo includat sacrificia.

Est ergo in quacunque tentatione et injuria non nobis justitia arroganda et retinenda, sed prorsus removenda et Deo offerenda. Quod qui non faciunt, excusationibus sui, accusationibus adversariorum, justificationibus sui, et omnino judiciis, detractionibus, litibus, jurgiis, contentionibus ac rixis, aliisque operibus carnis involvuntur, quae Gal. 5. apostolus recenset, et fit, ut invicem mordendo consummentur non tantum in spiritu amissa caritate, sed non raro et in corpore caedibus mutuis, et substantia litigando profusa.

Verum si his sacrificiis justitiae inservirent christiani, ubi relinquerentur jura et leges? At ideo docemur haec sacrificia, ne sit opus juribus et legibus. Rex Babylonis inique fecit filios Israel captivando, sicut

dicunt Dan. 3.: „Tradidisti nos regi iniquo, et pessimo ultra omnem terram," et tamen Zedechias rex, et qui reliqui erant Hierosolymis resistendo et justitiam expostulando magis Deum offenderunt. Qui vero volenter, posita justitiae jactantia, se tradiderunt, Deo optime placuerunt, ita, ut hi in media Babylone et inimicorum servarentur, honorarentur, multiplicarentur, illi vero in media Hierusalem inter amicos perirent, confunderentur, minorarentur, quia hi sacrificia justitiae sacrificaverunt sine pecudibus aut aliis rebus, illi vero sacrificia pecudum et rerum sine justitia obtulerunt, quia justi esse voluerunt, et peccatum non agnoverunt, hi vero peccatum agnoverunt, et Deo justitiam tribuerunt.

Ex quibus intelligimus chaos illud et tartarum forensium causarum et Romanarum artium cum universis libris, stylis, moribus, usibus, juribus justitiisque suis esse rem peregrinam christiano homini, et ab ecclesiasticae vitae sinceritate alienam solaque permissione toleratam pro infirmorum salute, ne deteriora facerent vindictae propriae studio aut impatientiae mole victi. In quam tamen hodie sic incumbitur Romae et episcopalibus curiis, ut non modo justitiam ibi regnare arbitrentur, sed etiam pro augenda justitia ejusmodi etiam lites litibus emant, omnium jurgia et rixas ex omnibus mundi angulis ad se advocent, ut nulla fuerit unquam cujusvis profani aut gentilis imperatoris curia tot confusa negotiis, iisque profanissimis, simul tamen (quod mireris) nonnisi de sacris ac divinis turpissime emtis, redemtis, venditis, revenditis, raptis, voratis, perditis rebus. Fontem Justitiae appellant juristae Ro. curiam hodiernam, cum rectius cataclysmum iniquitatis appellare eam conveniat, quod inde mundet vastitas

et oblivio horum sacrificiorum, justitiae et scientiae Christi indicibili vi, et impetu in totum orbem terrarum. Breviter, regnum inferorum propius simulat hodie Roma, quam regnum coelorum.

Sed esto, justitiam obtulerimus, peccatores nos esse confessi, peccatorumque merita amplexi. Quid inde? num pereundum nobis est, et in peccatis moriendum? Nonne Deus odit peccatores? In quod periculum nos trahis hac tua doctrina? Respondet: Bono estote animo, solum sperate in domino. Sic enim socii Danielis, Dan. 3. fecerunt, cum dixissent: „Peccavimus et inique egimus," mox tamen in spem erecti, dicunt: „Quoniam non est confusio confidentibus in te," hoc est, quod supra ex Isaia satis dixi: „In silentio et spe erit fortitudo vestra," ut nos ipsos non vindicemus tanquam justi, sed sine tumultu et in silentio patientes peccatum nostrum confiteamur, commendata causa Deo, et exspectata ejus miseratione cum fiducia. Veniens enim veniet, et judicium faciet injuriam patientibus, et vindictam pauperum. Ita Deus erit fortitudo nostra in infirmitate nostra. Nisi enim ablata fuerit fiducia justitiae nostrae et dignos nos tanquam peccatores omnibus malis confiteamur, spes et salus locum habere non potest, quod Deus humiles solum respiciat.

Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, domine.

Hic versus apud nos discerptus est, priore sua parte ad praecedentem, posteriore ad sequentem versum copulata. Hebraeus Hierony. translatione sic habet: Multi dicunt: Quis ostendit nobis bonum? Leva super nos lumen vultus tui, domine. Mihi vero sic vertendus

videtur atque distinguendus: Multi dicunt: Quis ostendit nobis bonum: signum super nos? lumen vultus tui domine.

Vertit autem sermonem ad Deum querulans, sed mira verecundia et modestia, de incredulis et impersuasibilibus (quales praecipue erant Judaei, populus durae cervicis), quod nolint credere bene monentibus, nisi (ut Christus ait) prodigia et signa viderint. Ita et apostolus 1. Cor. 1. dicit: „Judaei signum quaerunt, Graeci sapientiam." Ita fit, ut in verbo crucis et doctrina fidei semper scandalisentur. Hoc est, quod hic dicit. Cum monuisset, ut oblata justitia in Deum sperarent, et ab ipso exspectarent bonum, offendit eos sibi incredulos et ad spem non idoneos, petentes signum bonum, quo videlicet certi fierent de bono futuro, quod sperare jussi sunt. Quis, inquiunt, ostendit nobis bonum signum super nos? Quis nos certos facit, ventura super nos esse bona? Quo indicio id capiemus? ac si dicerent: Omnia longe contraria parent, et pessimarum rerum indicia super nos undique circumstant. Hoc genus hominum late patet, qui hac diffidentia tentant dominum, sicut filii Israel in deserto.

Videas hinc manare pelagus superstitionum et stultissimorum votorum, etiam apud christianos, dum vel aura non satis arridet, vel fruges periclitantur, vel etiam crus dolet, aut quovis damno temporali quisquis vel afficitur vel affici timet. In his omnibus quam anxii sumus, signo bono cognoscere, non esse haec ventura, vel amovenda, si venerint. Curritur hic ad magos, ad divinos, ad daemones quoque. Sed et infinita sunt consilia, quibus id unice curamus, ne quando in Deum speremus, aut ne sine signo bono et certo speremus.

Sperat avarus in Deum, sed donec turget marsupium, et onustum frumento crepat laquear. Sperat robustus viribus, donec sanus est. Sperat potens et gloriosus, donec opinio sui et tyrannis valet. His signis certi sibi videntur se Deum habere propitium. Quodsi haec vel aliquid eorum ruit, simul et spes ruit, nisi aliud vel majus signum suffulciat.

Ita et in spiritualibus rebus agitur, in remissionibus peccati, et quietae conscientiae, ubi non pauci, neque fide neque spe parant sibi securitatem, sed operum fiducia aut alienis suffragiis. Et omnino in omni tentatione hi signum bonum quaerunt spei suae fulcrum, sine quo non sperant, ac per hoc nec in Deum sperant, quia non pure sperant. Spes enim, quae videtur, non est spes.

Hos cum suis nominibus, tentatores Dei, incredulos diffidentiae filios, infideles, rebelles, durae cervicis posset appellare, tacitis his, opus eorum simplicissimis et modestissimis verbis tantum recitat. „Multi dicunt, inquit, quis ostendit etc.,“ judicium operis Deo relinquens et quibus oportet, quia pio affectu eorum potius miseretur, casumque eorum dolet, quam ut eos atrociter accuset.

Damnat igitur eorum errorem, non esse scilicet hoc signum bonum super nos, quod illi quaerunt. Non enim Deus propitius est iis, quibus haec largitur bona, imo quia pessimum et fallacissimum signum id est, melius et fidelius signum aufert, nempe, „lumen vultus tui domine,“ quasi dicat: Nullum nosse signum, est optimum signum, sed sola fide et spe niti. Fides enim ostendit nobis bona, et est bonum signum super nos. Qui enim credit in illum, non confundetur, sicut ex Dan. 3. dictum est: „Non est confusio confidentibus

in te." Certi sunt de omnibus bonis, qui firmiter credunt Deo sine signo, sine qua fide nulla opera, nulla signa, nulla miracula certum faciunt.

Optime autem vocatur fides lumen vultus Dei, quod sit illuminatio mentis nostrae divinitus inspirata et radius quidam divinitatis in cor credentis infusus, quo dirigitur et servatur, quicunque servatur, qualiter Ps. 32. describitur: „Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua ambulabis, firmabo super te oculos meos," et Ps. 44.: „Non enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui." Item Ps. 89.: „Domine, in lumine vultus tui ambulabant." Hinc gaudet *) Ps. 27.: „Dominus illuminatio mea et salus mea."

Hoc figuratum est in columna ignis et nubis, quibus filii Israel regebantur et ducebantur per desertum. Sic enim sola fide ducimur per vias ignotas ac desertas omnium hominum auxilio, hoc est, passiones et tribulationes. Atque, ut illic columna praesens ante faciem eorum ibat, ita hic fides praesentem Deum habet, ut velut a vultu praesentis Dei illuminatio cordis procedat, ita ut rectissime et propriissime lumen vultus Dei (id est, agnitio et fiducia praesentis Dei) sit. Qui enim praesentem sibi Deum non novit aut non sentit, nondum credit, nondum habet lumen vultus Dei.

Nihil ergo refert, sive lumen vultus Dei intelligatur active, quo nos ipse praesentia sua illuminat, fidem accendens, sive passive ipsum lumen fidei, quo nos cum fiducia vultum et praesentiam ejus sentimus et credimus (nam facies seu vultus in sacris literis

---

*) In edit. princip. leg.: audet.

praesentiam significat, ut notum est). Idem enim est, et utrumque simul est, Deus illuminans et cor illuminatum, Deus visus a nobis et Deus praesens.

Hoc est vocabulum Israel, quo, ubi Jacob dominum viderat facie ad faciem, appellatus est. Nam facie sua faciem Dei vidit, hoc est, fide praesens Deo factus, tanquam in faciem ejus positus, rursus Deum praesentem ac juvare paratum, tanquam in faciem suam positum, cernebat. Ideo Israel directus Dei dicitur, hoc est, qui regitur, seu recto itinere a solo Deo ducitur. Hoc enim fit per fidem, quare Israel idem est, quod fidelis seu credulus, nisi quod vim et modum fidei mira proprietate exprimit.

Beatus ergo (ut alio Psalmo quodam dicit), quem tu erudieris domine, et de lege tua docueris eum. Nam apud Hiere. minatur Judaeis, sese ostensurum dorsum et non faciem, relicturus scilicet eos in incredulitate et ignorantia Dei. Videmus, quod sit signum bonum super nos, seu quis ostendat nobis bonum, fides, inquam, haec, quia est lumen, quod praesentem et vultum ipsum Dei ostendit, omne bonum nimirum ostendit, quod Deus est, dum ipsum ante nos statuit, et fiduciam in ipsum format. Itaque non est hominis erudire hominem.

Jam facile erit concinnare alias interpretationes. Communis proxima est huic sensui: „Signatum est super nos lumen vultus tui domine.“ Dum illi quaerunt, quis ostendat eis bona, volentes ea praesenter videre potius quam credere, hic non optat ostendi, sed gloriatur lumen vultus Dei (id est, notitiam et fiduciam praesentis Dei, ut dictum est) signatum et impressum esse super ipsos, et satis patet intelligentia ex dictis.

Hierony.: Multi dicunt: Quis ostendit nobis bonum? Leva super nos lumen vultus tui domine. Idem per modum petitionis dicit. Levat vero lumen super nos, dum nos lumine eo levat. Est enim fides lux supra omnem captum nostrum. Quare hoc levare est aliud nihil, quam lumen fidei, quod se ipso altissimum est, super nos effundere, quo ipsi elevemur. Unde et signatum dici potest, quia clausum et incomprehensibile nobis, comprehendens autem nos et in obsequium sui captivans.

Quo fit, ut hic versus nequeat intelligi de naturali ratione synderesi, sicut multorum habet opinio dicentium, principia prima in moralibus esse per se nota sicut in speculabilibus. Falsa sunt haec. Fides est primum principium omnium bonorum operum, atque haec adeo incognita, ut omnis ratio summe eam exhorreat. Ratio in summis suis viribus constituta dicit: Quis ostendit nobis bona? Multi enim sic dicunt (id est, omnes qui ratione ducuntur).

Dedisti laetitiam in corde meo, a fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.

Et hujus versus prior pars apud nos raptus est ad praecedentem, quae cum sequente in hebraeo unum versum absolvit, quem divus Hiero. sic reddit: Dedisti laetitiam in corde meo, a tempore frumentum eorum et vinum eorum multiplicata sunt.

Mihi hic versus incredulorum et credulorum judicium facere videtur, quod illis sit Deus venter, his Deus verus. Fides enim in Deum, seu lumen vultus Dei, laetificat cor, et intima hominis stabili et vera laetitia imbuit, dum pacem remissis peccatis et securam fiduciam in Deum facit, etiam in mediis passioni-

bus. Neque enim ullum est gaudium, ulla pax, nisi conscientia pura. Ita et Gala. 5. fructum spiritus gaudium signat apostolus, et supra dixit: „In tribulatione dilatasti mihi." Atque ita fit, ut, sicut abundant passiones Christi in nobis, sic abundet et consolatio Christi in nobis, propter fidem, qua in eum fiditur, ut 2. Cor. 1.: „Benedictus Deus, et pater domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra." Quis enim non gaudeat insultans etiam universis malis mundi et inferni, cum apostolo Ro. 8. dicens: „Si Deus pro nobis, quis contra nos?" si credat Deum esse secum et pro se? At quando credat firmiter Deum esse pro se, nisi tentationibus variis probatus fide exercitata didicerit Deum esse pro se? Non ergo potest fieri, quin gaudeat in toto corde, qui lumen vultus Dei habet. Hic enim, quia justus est, pacem habet, quia pacem habet, gaudet, quia gaudet, neminem timet, et omnibus insultat, etiam morti et inferno, certus de praesentia Dei sui. Ideo recte sequitur post „lumen vultus tui domine:" „Dedisti laetitiam in corde meo," sicut et Ps. 68.: „Exsultent justi in conspectu Dei et delectentur in laetitia."

De aliis incredulis quid? Numquid cordis laetitiam unquam habent? Non, quia non est pax impiis, nec est gaudium impiis, dicit Isaias, quia juxta Paulum sicut fuistis socii passionum, ita et consolationis eritis. Hi vero passionum socii non fuerunt, ideo neque consolationis erunt. Et Prover. 14.: „Cor quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio ejus non miscebitur extraneus." Quid ergo habent? Hoc quod quaerunt. „Dimisi eos secundum desideria sua," (inquit) Ps. 81., sicut et Ps. 78., tentationi eorum satisfecisse

legitur, cum peterent escas animantibus suis, pluens super eos, sicut pulverem, carnes, ubi sequitur: „Adhuc escae erant in ore ipsorum, et ira Dei adscendit super eos.“ Quod et apostolus repetit Ephe. 5. appellans filios diffidentiae, super quos ira Dei adscendit.

His pro laetitia cordis dat olentia gaudia ventris, quia quaerunt, quis ostendat eis bona, tantum praesentia et sensualia sapientes, lumen vultus Dei non habentes. Ideo hic dicit frumentum eorum et vinum eorum multiplicata, sicut voluerunt, mitibus quidem verbis eorum miseriam describens, et quanta sit, ex sua laetitia suisque bonis contrariis judicandum relinquens. Quae enim bona habet, qui Deum non habet? Quale gaudium est, ubi cor in Deo non gaudet? Quae delectatio, ubi conscientia perturbata semper contrarium sibi Deum sentit?

Emphatica ergo tapinosis est haec oratio et epitatica comparatio. Justis est laetitia cordis in Deo. Incredulis quid est? Abundantia, inquit, temporalium, atque aliud nihil. O miseram possessionem, o vilem hereditatem, et plane dignam incredulis! Quid enim porcis debeatur aliud quam fallaces et inanes siliquae, excrementa scilicet, et quisquiliae verorum bonorum? Habent bona, quae sibi ostendi voluerunt, habent bona, quibus, ut lumen vultus Dei signarentur, carere noluerunt. Data sunt illis munera, sicut filiis concubinarum Abrahae, et separati sunt ab herede Isaac, cui tota hereditas relicta est. Sicut discreti sunt in merito, ita et in fructu ac praemio. Voluerunt ostensilia bona increduli, jam habent, voluerunt invisibilia creduli, jam in laetitia cordis ea habent. Ita quales in versu praecedente ostendit operarios, tales in hoc ostendit fructus

consecutos, utrimque diversissimos, imo contrarios. Vides, quam insigni contemtu pompam et rus hujus mundi brevi verbo vituperarit, dum incredulis ea data narrat, comparatione suorúm bonorum inaestimabilium.

Jam concordia facilis est. Non enim differt dicere: Multiplicati sunt frumento et vino suo (id est, ditati, aucti, incrassati, dilatati, temporalibus ac terrenis bonis), et frumentum eorum et vinum eorum multiplicata sunt, ut quivis grammaticus intelligit. Est enim brevis descriptio felicitatis eorum, quam latius Job. 21. et Psal. 144. descripsit.

Loqui autem prophetam hoc loco non de sacramento eucharistiae, ut multi putant, Augustinus ex eo probat, quod signanter addit: „Eorum frumentum," „eorum vinum," non absolute, frumentum et vinum, cum manifestum sit, hoc pronomine „eorum" loqui de multis illis, qui dicunt: „Quis ostendit nobis bona?" Hos enim impios et incredulos refert, quibus cum eucharistia nihil, cum sint porci et canes nescientes saturitatem, ut Isaias dicit. Deinde absurdum est, si subito rumpat sententiam et aliena misceat, solo relativo nomine, quorum nihil prius meminisset.

Ad haec, quod in hebraeo et Augustino, a tempore, dicitur, ubi nos „a fructu" dicimus, ubi quantum occasionis tribuit nostris „a fructu," ut de eucharistia intelligerent, tantum in hebraeo dat indicii, se loqui de frumento eorum, quod ex tempore habent, id est, de temporali. A tempore, inquit, habent, quod habent, ea quae tempus dare suevit corporalibus necessitatibus et voluptatibus. Quod et ipsum mihi per tapinosin dictum videtur, scilicet, quod et ab aeternitate vultus Dei nihil, sed a tempore tantum habent sua bona.

Ad nostrum autem sensum illud „a fructu" potest

ita intelligi: A copia et abundantia frumenti et vini sui ditati sunt, quasi dicat: Prospere et multo fructu proveniunt eis temporalia sua. Quod iterum obstat, quominus de eucharistia apte intelligi possit, cum non a fructu eucharistiae multiplicentur fideles Christi, sed ipsi multiplicati sint fructus et effectus eucharistiae, ut hoc sensu potius dicere debuerit: A frumento et vino eorum multiplicati sunt fructus.

Sed et hoc obliquae accusationis nota est, quod „frumentum eorum,“ „vinum eorum“ dicit, vitium scilicet cupiditatis infidelium mordens, quasi dicat: Eorum sunt haec propria, haec enim quaerunt, haec amant, his solis bonis frui noverunt.

Jam illud levioris momenti est, quod „olei sui“ in hebraeo non est, nihil enim refert, si addatur sive minus. Certum est tropo isto scripturae significari temporalium abundantiam. Gen. 27.: „Frumento et vino et oleo stabilivi eum,“ et post haec: „Quid tibi faciam, fili mi?“ quanquam suspicer ordinante spiritu dedita opera fuisse ab interprete adjectum, ut moneretur lecturus, ne intelligeret, nisi temporalia, cum oleum ad eucharistiam nullam habeat etiam conjecturam.

Per haec tamen nihil detraxisse volo eorum sensui, qui haec de sacramento intellexerunt. Abundandum est unicuique in sensu suo, salva fide et pace. Nec hoc agimus, ut aliorum labores confutemus, sed ut, quantum possumus, propius ad germanam intelligentiam accedamus. Non est reprobatum bonum, ubi melius et optimum laudatur prae bono.

In pace in id ipsum dormiam et requiescam, quoniam tu domine singulariter in spe constituisti me.

Hi duo versus sunt in heb. unus. Hierony. ita

reddidit: In pace simul requiescam, et dormiam, quia tu domine specialiter securum habitare facisti me.

Ista duo verba „dormiam et requiescam" utcunque dicta sunt Psalmo praecedente, quod his significetur mors naturalis et sepultura, quanquam scio b. Aug. alia tropologizantem de oblivione rerum temporalium, quamvis et ipse fateatur id in hac vita non teneri.

Dictio „in id ipsum" idem quod adverbium simul significat et concordiam sonat, ut Psal. 133.: „Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum," id est, simul seu in id ipsum, et Psal. 121. [122.]: „Cujus participatio ejus in id ipsum," id est, simul.

Est ergo sensus: Lumine vultus tui firmatus et certus, quod mecum et pro me es, plenus sum gaudio, id est, in pace moriar, et libenter hanc vitam desero, quia (ut Psal. 23.), si ambulem in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Itaque meo judicio simul dormiam et simul requiescam id dicitur, quod condormire et correquiescere nobis dicitur, videlicet, quod cum patribus suis simul dormiturum sese pronuntiat. Quomodo in lib. Regum frequenter dicitur: „Dormivit cum patribus suis," et in libris Mosi: „Congregor ad populum meum," et: „Appositus est ad populum suum," et ad Mosen: „Et ibis ad populum tuum, et Aaron vadat ad populum suum," et his similia.

Hoc ergo praestat fides variis passionibus exercitata, ut mors pro somno pacis acceptetur, incredulis dira et dura vexatio. Nam quid aliud putas hac suae mortis magnifica jactantia et commendatione velit,

quam ut non modo exemplum praebeat, quo ad quietam et suavem mortem perveniatur (nempe via crucis et passionum); verum etiam ut simul a contrario descriptam relinquat uniuscujusque judicio aestimandam mortem incredulorum: pessimam, pavore, horrore, turbatione confusissimam, in qua non est quiescere et dormire, sed juxta Psal.: „Virum injustum mala capient in interitu," et iterum: „Mors peccatorum pessima," „quia viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos." „Cum dixerint: Pax et securitas, repentinus eis supervenit interitus." Modestissime ergo et occulte eos terret mala morte eorum, dum suam optimam commendat, quia magis cupit eos exemplo suo movere suaviter, quam terrore urgere ad crucis et fidei vitam, dum fructum ejus vitae mortem tam gloriosam ob oculos ponit.

„Quoniam tu domine singulariter in spe constituisti me." Haec sententia sumta est ex Deutro. 33. et frequenter iterata per scripturas. Quare ad fontem ejus accedamus. Dicit Moses: „Israel habitabit confidenter et solus." Ibidem: „Amantissimus domini habitabit confidenter," et Hiere. 32.: „Et habitare faciam eos confidenter." Perspicuum itaque fit, quod Moses dixit „confidenter et solus," hoc David „singulariter in spe" dixit, cum sint eadem utrobique verba eademque sententia. Unde cum interpres Deutro. 33. interposuerit conjunctionem et, quae non est in textu, etiam in hoc versu ponenda erat, ut, singulariter et in spe. Nam et frequens est in biblia conjunctionem omitti, quam tamen transferendo poni oportet, ut Johelis 2.: „Sol, luna steterunt," pro: Sol et luna. Ita et hic: Confidenter et solitarie, vel confidenter et solus, vel

singulariter et in spe, ac si David dicat: Vere hoc mihi praestitisti, singulariter et confidenter me habitare faciendo, quod in Mose promisisti, dicendo: „Israel habitabit confidenter et solus."

Atque ita generali et authentica sententia Mosi Psalmum suum concludit, simul optime contra carnalem Judaeorum sensum exponens, quid Moses eo verbo proprie intelligi voluerit, et ad rem suam adaptans. Nam cum Moses dicat Israelem habitare confidenter et solum, atque Israel in hoc Psal. pulchre sit descriptus, quod exemplo Jacob facie ad faciem Deum viderit, et lumen vultus ejus habuerit (hoc est, in Deum crediderit), recte ad se promissionem et plenitudinem Israeli datam pertinere dicit, sese confidenter et singulariter habitare factum. Sed et Jacob eandem de se fiduciam pronuntiavit, dicens: „Et salva facta est anima mea." Quid enim hoc aliud erat, quam quod singulariter et confidenter habitaret, securus de sua salute? Salva enim facta erat anima ejus, sed in spe et securitate. Haec itaque securitas et certissima spes salutis est ipsa confidens et solitaria habitatio spiritualis, scilicet in Deo ipso, ipsaque salus animae.

Ideo propheta mortem non timet, sed in pace dormiturum se cum patribus suis dicit, quia factus est securus et certus de salute. Atque ita videmus vestigium lectionis Mosaicae, qua David sese exercitavit eruens spiritualem ejus sententiam, promotus in hanc variis tentationibus.

Sed quid est, solum seu singulariter habitare seu constitui? Nam in spe seu confidenter habitare per se notum esse videtur. Meae temeritati videtur esse idem, quod libere et secure habitare, ut solitudo sit

libertas, quemodo Ps. 88.: „Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber," id est, solus et securus. Et magis ad rem, Judicum 18.: „Viderunt populum habitantem absque ullo timore securum et quietum, nullo eis resistente, magnarumque opum et procul a Sidone, atque a cunctis hominibus separatum." Hic solitudo eorum patet esse securitas, ut qui fuga hominum in hoc se separarint, quo secure haberent, quomodo habere non possent, si inter homines mixti fuissent. Unde et nunc, qui secure et quiete degere volunt, separatum *) et solitarium locum quaerunt, a quo proposito venit monachorum (id est, solitariorum) institutum propter securitatem, pericula mundi et hominum fugientium in solitudines.

Quare idem est singulariter, quod secure, nisi quod singulariter naturam securitatis exprimit, scilicet, remotionem periculorum. Verum nisi haec simul in spiritu fiant, monachos hypocritas facient, ut qui externa pericula tantum vitent. Magis hic de spirituali securitate loquitur, quae tanta est, ut in mediis etiam mundi periculis, in morte, in inferno secura sit, et non magis metuat, quam si sola esset, atque eo magis est sola, quo pluribus involvitur periculis. Haec est gratia fidei et virtus bonae in Deum conscientiae. Et vide, an non Hiero. hanc securitatem hoc versu senserit, quando dicit: Quoniam tu domine specialiter securum habitare fecisti me.

Summa summarum, singulariter in spe habitare, est securum et confidentem esse de salute sua in misericordia Dei, qua fit, ut mortem velut gratissimum

---

*) In edit. princip. leg.: separatim.

somnum exspectet. Haec, ut dixi, fides praestat passionibus exercitata, quae fructum hunc pacatissimum (ut Paulus Heb. dicit) affert. Contraria vero impiis contingent omnia.

Quapropter sunt vehementer detestandi et damnandi quidam theologiae (ut vocant) doctores, qui nos docent dubios et incertos esse debere, an simus in gratia Dei, ac per hoc an sit Deus noster, et nos populus ejus, et invenerunt nobis distinctiones suas, quod sacramenta quoad auctoritatem et virtutem Dei operantis in illis certum effectum gratiae operantur, sed quoad suscipientem incertum operantur et hanc dubitationem asserunt esse piam. O pestilentes! Si enim hoc verum est, et quilibet christianus ita debet pie dubitare, jam periit articulus ille fidei certissimus: Credo ecclesiam sanctam, sanctorum communionem, quia de me non debeo asserere, quod sum sanctus, nec tu de te, nec ullus de se, ergo omnes sumus incerti. Atque ita omnes incerti sumus, an Deum habeamus, ac periit tota ecclesia.

Sed facessant stultissimae et impiissimae istae haereses! Unusquisque id curare debet, ut nullo modo dubitet se habere Deum, hoc est, patrem, creatorem, salvatorem et omnium bonorum largitorem, ut possit singulariter et in spe habitare, et non sicut mare inconstantissimum fervere (quod de impiis Isaias dixit). Si enim de sanctis id credis, quod sint securi et fidentes, cur non etiam de te ipso idem credis, qui sanctorum similis esse cupis, qui idem baptisma, eandem fidem, eundem Christum et omnia eadem accepisti? Imo impiissime credis aliud de te, et aliud de sanctis, qui doces oportere eos dubitare, sicut tu dubitas. Aut ergo male doces piam dubitationem, aut

impia credidi esse certum, quod dubitare jussisti, quia fides in dubiam rem non nititur. Neque ego credidissem has impias fabulas et pestilentissimas opiniones in ecclesia Christi vel occulte serpere, nisi et legissem et audissem magnos theologos eas pro articulis fidei certissimis statuere et tueri, contrariamque catholicam sententiam pro haeretica damnare. Tanta est caecitas optimatum ecclesiae, tantus furor domini. Sed haec alias et cum aliis.

PSALMUS QUINTUS.

Ad victoriam, pro hereditatibus Psalmus David.

Quid „ad victoriam" significet, Ps. praecedente semel pro omnibus dictum est.

De hereditatibus multa lego, sed nihil, quod meae hebetudini satisfaceret. Nam quod Lyra et sui hoc loco sapiunt, ego non sapio nec capio. Mihi quod videtur, dicam. Certum est hoc Psalmo non agi de passionibus et tribulationibus, nec enim persona psallentis ullo verbo in hoc sonat, sed universa querela est super iniquis et injustis et malis. Quare scopus est meo judicio talis, quod propheta orat contra hypocritas, operarios subdolos, falsos prophetas, qui populum Dei et hereditatem Christi humanis et suis traditionibus seducunt, quales Christus Matth. 7. et Joh. 10. lupos rapaces, apostolus Tit. 1. vaniloquos et mentium deceptores vocant.

Et ut ad nostra saecula veniamus, sicut Psalmo praecedente juris, ita in hoc theologiae impiam professionem et abusum persequitur. Cum vero omnium

sit nocentissima persecutio, quae sub specie veritatis et pietatis grassatur (ut quae nomen Dei semper praetexit) et hereditates Dei maxime omnium vastat, ideo vehementissimis aestuat affectibus, tot repetitis verbis orat, tot nominibus impios accusat, totusque ardet zelo, ut de se ipso possit dicere illud Ps. 69.: „Zelus domus tuae comedit me.“ Nam nec in ullam rem Christus quoque Petrus et Paulus aeque ardent et sollíciti sunt, atque in hos φρεναπάτας et operarios mercedum, in quos et prophetae toti insurgunt.

Igitur falsos prophetas, hypocritas, haereticos, superstitiosos et omne illud hominum genus, quod verbo Dei adulterato et falsa operum specie populum Dei devorat, hoc Ps. taxari videbimus.

Recte ergo titulus „pro hereditatibus“ seu ad hereditates dicit, quod cupiat populum Dei domino suo servare. Populus enim Dei est hereditas domini, ut Ps. 33.: „Beata gens, cujus dominus Deus ejus, populus, quem elegit in hereditatem sibi,“ et Ps. 47.: „Elegit nobis hereditatem suam speciem Jacob, quem dilexit,“ quod et Ps. 2. dictum est: „Dabo tibi gentes in hereditatem,“ et multis aliis locis.

Dicit vero plurali numero hereditates, cum sit una hereditas Christi, quod necesse sit eam distribui in diversa loca propter multitudinem, quam nequit unus docere ac regere. Proinde, ut multi sunt pastores et dispensatores unius hereditatis Dei, ita et multae hereditates illis concreditae. Quo fit, ut et multi in diversis oriantur deceptores et dissipatores ejusdem.

Sed et hoc indicat magnum affectum prophetae, quod populum Dei vocabulo magis hereditatis, quam ecclesiae, populi aut synagogae appellat, ut magis et

invidiam dissipatoribus, et gratiam sibi pastoribusque similibus comparet. Cum unicuique maxime dilecta sit hereditas naturali zelo, quanto magis Deo, qui Exo. 19. dicit: „Et eritis mihi in peculium," unde et infra dicit: „Quoniam irritaverunt te domine."

Simul eo ipso scopum totius Psalmi subindicat pulchra metaphora. Nam hereditates oportet excolere, exercere et operari, ut fructificent et meliores reddantur. Quibus ob hoc multae sunt insidiae, deinde hostes et vastatores. Ita populus Dei indiget operariis, doctoribus et rectoribus, quorum industria Deo colitur, et exercetur per verbum Dei, rursus malis magistris perditur et vastatur. Ideo pro hereditatibus et de earundem cultoribus hic canitur.

Illud addendum, quod non tantum de ecclesia Christi Psal. intelligendus est, sed de omni omnium saeculorum populo Dei, qui semper habuit suos seductores et persecutores, ita, ut juxta titulum sit generalis sententia Psalmi, „pro hereditatibus." Nihil etiam repugnarim, imo maxime accesserim, si hereditates quispiam intelligat duas et contrarias hominum genera, quorum altera suis viribus, altera gratiae Dei nititur, quanquam in idem omnia cadunt.

Verba mea auribus percipe domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meae, rex meus et Deus meus, quoniam ad te orabo.

Sic Hebraeus hos duos versus distinguit. Ultimam autem secundi versus particulam noster textus ad sequentem versum nectit, dicens: Quoniam ad te orabo domine etc. Parum quoque differt Hiero. translatio, nisi quod pro „clamorem meum" rugitum meum, quod

lyra cogitationem meam," et pro „voci orationis meae" voci clamoris mei dicit.

Et hic meo sensu primum cogor periclitari. Dixi enim hunc Psalmum maxime pugnare adversus justitiarios et theologos impios, quorum officium omnium summum, superbiam cordis alere, sicut et b. virgo eos describit: „Dispersit superbos mente cordis sui." Omnes enim impietatis doctrinae de superbiae radice veniunt, ita ut et haeresium matrem appellet sanctus Augustin. in multis locis superbiam, siquidem sola humilitas recte docet, ut Proverb. 11.: „Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia, ubi autem humilitas, ibi et sapientia." Impossibile est enim, ut superbus non sit contumeliosus, omnes vituperet et judicet, ut in pharisaeo evangelico contra publicanum humilem peccatorem, et Simone leproso contra mulierem peccatricem monstratum est.

Quare propheta in sui temporis hypocritas intentus, qui justitia operum miro modo inflati magna juxta peccata invidiae, superbiae, avaritiae, et similia nihil ducebant, nec gratiam Dei sibi necessariam credebant, secure in via sua ambulantes, sine timore Dei, sicut semper faciunt, fecerunt, facient omnes, qui sunt hujusmodi, incipit Psalmum ab oratione humiliter Dei gratiam quaerens, ipso facto primum eorum arguens superbiam, ac si dicat: Impii isti saturi sunt, sancti sunt, justi sunt, sani sunt, medico non egent, nec gratiam tuam, qua justi fiant, quaerunt. Ego autem pauperculus plenus omni peccato, qui de me meisque operibus et viribus despero, nihil habeo, quod agam, nisi quod orem et implorem misericordiam tuam.

Unde hic signanda est pulcherrima differentia legis et fidei, seu spiritus et literae, quam b. Aug. de

spiritu et lit. tradit, dicens: Lex factorum dicit homini: Fac, quod jubeo, lex autem fidei dicit Deo: Da, quod jubes. Et iterum: Quod lex factorum minando imperat, hoc lex fidei credendo impetrat. Hinc populus legis (theologi justitiarii) dicit: Ego feci, et superbit velut operibus legis et suis justificatus, populus fidei dicit: Oro, ut facere possim. Ille confidens operibus Dei misericordiam non quaerit, hic justitiam suam pro stercore ducens solam misericordiam Dei suspirat. Sic et apostolus Ro. 10.: „Ignorantes justitiam Dei et suam quaerentes statuere justitiae Dei non sunt subjecti." Ita litera semper inflat et occidit, spiritus humiliat et vivificat, quia humilibus dat Deus gratiam, et superbis resistit.

Magno autem affectu orat, qui triplicata oratione orat, nec tamen aliam causam orandi assignat, quam quod sit oraturus et exaudiendus. „Quoniam ad te, inquit, orabo mane, et exaudies." Quare autem orabis et exaudieris? „Quia (inquit) non volens iniquitatem Deus tu es." Quid hoc? Nempe quod Deus humiles misericordiae suae oratores amat, fastidiosos justitiae praesumtores odit. Ideo, ecce orabo, quia scio tibi placere, scio ista velle te, scio ita praecepisse te, ut homo de se desperans tuam misericordiam justificantem petat. Vis, inquam, ut homo se peccatorem agnoscat, et totam vitam suam aliud nihil esse ducat, quam orationem, desiderium, gemitum, suspirium ad misericordiam tuam; sicut Lucae 18.: „Oportet sine intermissione orare," et Psal. 105.: „Quaerite faciem ejus semper." Hoc cum impii praesumtores non faciant, vel ad momentum aliquando faciant, imo simulent se facere, cum revera sibi saturi sint, merito eos odisti, ut qui nec sua nec tua agnoscant.

Ordinem vide et vim verborum, „verba, clamorem vocem orationis." Item, „auribus percipe, intellige, intende." Urgentissimum orantis affectum haec verba probant. Primum, „auribus percipe," id est, audi. Sed parum sit audisse verba, nisi et intelligas clamorem seu rugitum seu cogitationem, ac si more vulgari diceret: Infacundus et anxius loquor quidem, sed non possum quantum velim intelligi. Ideo quod minus dico verbis, tu abundantius intellige sensu. Ideo addo clamorem, ut, quod verba non exprimunt audienti, clamor significet intelligenti. Ubi autem et intellexeris, tunc, o domine, intende et adverte ad vocem orationis meae, ne despicias audita et intellecta.

Non quod in Deo aliud sit audire, intelligere, intendere, quemadmodum apud homines, sed quod affectus noster in Deum hoc modo augendus est, ut primum desideremus audiri, deinde audita intelligi, et intellecta intendi, seu non negligi. Et in his tribus paene absolvuntur tres illae orationis partes prooemiales, quae sunt, reddere benevolum, docilem, attentum, quod hic causam suam Deo dignam, facilem honorificamque, sibi vero necessariam esse commendat.

„Rex meus et Deus meus." Hic plane percutit impios justitiarios, ut qui sine rege, sine Deo agunt, sibimet sufficientes. Atque hoc unum est verborum, quo scopus hujus Psalmi tangitur. Habere enim regem et Deum est de se nihil praesumere, regendum sese praebere Deo, ac ductilem esse, deinde omnia Deo accepta et accipienda referre. Quod illi nequaquam faciunt, aut simulate faciunt, quia non parum et sibi ipsis tribuunt, imo dum non omnia Deo *) tribuunt,

*) Hoc vocab. deest in edit. princip.

nihil tribuunt. Qui enim aliquid sibi tribuit, jam gloriam quoque sibi tribuit. At qui gloriam sibi tribuit, omnia sibi, nihil Deo tribuit, cui aut tota aut nulla gloria tribuitur, nec enim dividit eam aut communicat, sicut dicit: „Gloriam meam alteri non dabo,“ Isa. 48. Proinde ipsi regnant, sed non ex Deo, sibi ipsis reges sunt, sibi ipsis idola.

„Quoniam ad te orabo.“ Paupertatem suam confitetur, nihil habet, nisi quod oraturus sperat accipere, ut sit orator, non operator. Atque in his duobus iterum summa totius vitae nostrae exprimitur, habere regem et Deum. Regit, dum nos a nobis aufert et ad se ducit, Deus est, dum nos venientes suscipit, et se ipso, id est, divinis bonis replet. Prior conditio est crux, phase, transitus, ductus a mundo, a vitiis, et omnino mortificatio nostri, posterior susceptio et glorificatio nostri. Unde et b. Aug. hoc loco dicit, scripturas solere regem appellare filium magis quam patrem. Christus enim gemina natura utrumque horum efficit. Humanitatis seu (ut apostolus loquitur) carnis regno, quod in fide agitur, nos sibi conformes facit et crucifigit, faciens ex infelicibus et superbis Diis homines veros, id est, miseros et peccatores. Quia enim adscendimus in Adam ad similitudinem Dei, ideo descendit ille in similitudinem nostram, ut reduceret nos ad nostri cognitionem. Atque hoc agitur sacramento incarnationis. Hoc est regnum fidei, in quo crux Christi dominatur, divinitatem perverse petitam dejiciens, et humanitatem carnisque contemtam infirmitatem perverse desertam revocans.

At regno divinitatis et gloriae configurabit nos corpori claritatis suae, ubi similes ei erimus, jam nec peccatores nec infirmi, nec ductiles aut rectiles, sed

ipsi reges et filii Dei, sicut angeli. Tunc dicetur „Deus meus“ in re, quod nunc in spe dicitur. Quare non inepte prius dicit: „Rex meus,“ et postea: „Deus meus,“ sicut et Thomas apost. Johann. ultimo: „Dominus meus et Deus meus,“ quod prior sit Christus homo, quam Deus apprehendendus, prior humanitatis ejus crux, quam divinitatis ejus gloria petenda. Christus homo habitus Christum Deum sponte sua adducet.

Dura sunt haec carni nostrae, quae mallet Christum Deum quam hominem, gloriam enim prae cruce petit, gloriam per crucem quaerere horret, sicut Mose a serpente fugit, cujus tamen caudam cum apprehendisset in virgam verso colubro, gloriosus fuit in miraculis, et Deus Pharaonis constitutus. Exodi 1.

Domine mane exaudies vocem meam, mane adstabo tibi, et videbo.

Labor est ante, donec intrem in sanctuarium hujus versus et intelligam eum. Duo scio, unum, quod „mane“ in scripturis mystice significat tempus gratiae, quod Christus sol justitiae gratiose oriens illuminat, quoties hominem visitat, alterum, quod tempori matutino ad literam potissimum tribuuntur opera sacra et divina, ut orare et docere, quo figuratur mane illud mysticum. Hinc est, quod in vigilia matutina respexit dominus super castra Aegyptiorum et subvertit eos, et Psal. 46.: „Adjuvabit eam Deus vultu suo mane,“ et Psal. 63.: „In matutinis meditabor in te.“ Sed et de impiis doctoribus dicit Psal.: „Vanum est vobis ante lucem surgere, qui manducatis panem doloris.“

Apertius in idem Micheas 2.: „Vae qui cogitatis inutile (heb. אָוֶן, id est, iniquitatem) et operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina fa-

ciunt istud, et contra dominum manus eorum." Hoc faciebant, quando (ut Isaias 10, scribit) falsas leges legisque interpretationes a se excogitatas populum docebant, quibus populum devorabant, tam in anima quam corpore, ita ut guttur eorum recte sepulchrum patens appelletur. Unde sequitur ibidem: „Et concupierunt agros, et rapuerunt domos, et calumniabantur virum et domum ejus, virum et hereditatem ejus." Amos 4.: „Offerte mane victimas vestras etc." His satis sit matutinum tempus datum fuisse olim sacrificiis, justificationibus, doctrinis, lectionibus, et omnino rebus divinis, sicut hodie quoque in ecclesia servatur idem.

Seposito ergo interim mystico matutino temporale sequar, quantum possum, nescius an recta sim divinaturus. Mane enim semper est tributum divinis, licet non semper sit recte tributum. Videtur mihi propheta se cum hereditatibus Dei secernere, si non loco et tempore, certe affectu et voto tam ab impiis doctoribus et auditoribus, quam ut impiis operatoribus. Utrosque enim hoc loco accusat, ut cui cum reliquis conveniendum quidem sit mane ad rem divinam et legem Dei audiendam. Verum cum *) illi legem Dei depravent suis traditionibus, aut non recte doceant, ac per hoc impie quoque vivant et agant etiam sacra et bona, loquantur autem fabulas suas, quo placeant vulgo, et pinguescant, sicut in prophetis multipliciter arguuntur, et hodie quoque in ecclesiis passim videmus et audimus pro foedissimo quaestu nihil non tentari in templis et concionibus, optat et orat propheta, ut exau

*) Hoc. vocab. deest in edit. princip.

diri mereatur, et ut Deum suum audire, non verbum hominis, sed verbum Dei, dignus fiat. Nam illi faciunt, ut Isaias 30. scribitur: „Populus ad iracundiam provocatus est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus: Nolite videre, et adspicientibus: Nolite adspicere nobis ea, quae recta sunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel." Quos et Paulus ad Timoth. describit, dicens: „Et a veritate quidem avertent auditum, ad fabulas autem convertentur."

Est ergo sensus: Infelix ego, qui in populo sum, qui vera audire nolit, qui verbum crucis exhorreat, amet *) autem magistros prurientes auribus, et ut Isa. 6. dicit: In medio populi polluta labia (propter impias eorum doctrinas) habentis ego habito. Convenio quidem mane cum iis auditurus te, et ecce non audio te, sed homines docent vias suas et opera hominum. Idcirco, o rex meus et Deus meus, mane illo me exaudias, quia eo tempore non illis adsto, nec in eos intendo, sed ad te patet os cordis mei, tibi adsto, tibi offero me, ut tu erudias me, ut videam et doctus fiam, juxta illud: „Erunt omnes docibiles Deo."

Et ita vides omnem aestum hujus prophetae in hoc aestuare, quod vidit populum Dei et hereditates Christi seduci et vastari, dum non recta docentur, et sunt omnia plena pseudomagistris et vaniloquis mentium deceptoribus, quod ut est malum omnium nocentissimum, ita vehementissime omnium affligit piam animam. Quod enim tristius spectrum? quae miserabilior

*) In edit. princip. leg.: ament.

imago, quam videre lupum in gregem innoxium ovium saevientem, ita ut nec unam relinquat vivam? Ita impius doctor in simplices animas Christi grassatur. Nam et hoc ipsum cum lacrymis Paulus Act. 20. praemonet, d. „Scio, quod post discessionem meam intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi etc."

Et propter hunc affectum et sensum certe paene revoco interpretationem versuum praecedentium duorum, propterea mihi videntur rectius intelligi quidem exuberantissimi motus cordis, quibus cogatur dolens propheta multitudinem (ut infra dicit) impietatum earum intutus, toties repetitis orationibus regem suum invocare adversus tyrannos hos legum, et Deum suum contra haec idola cathedras occupantia. Nam hic sensus magis ad scopum quadrat, quanquam nec ille multum abhorreat.

Sed et hic tertius eidem scopo apte concinit, quod non hominum, sed Dei verbum et opus, doceri petit, atque cum praecedentibus ita cohaeret: „Verba mea, o rex meus et Deus meus, auribus percipe, intellige rugitum meum, intende voci orationis meae, quoniam ad te orabo." Quid oras? Hoc scilicet summe necessarium donum, ut coercitis impiis magistris mane et tempus locumque docendi impie occupantibus me exaudias, quod pro eo tempore peto. Quid autem petis pro eo tempore? Nempe, ut adstem tibi, tuus sim auditor, te docente erudiar, te illuminante videam, non illis prurientibus cum ceteris seducar, cum tu sis et rex meus, qui regat, et Deus meus, qui servat. Atque ita absoluta est oratio contra prava dogmata et opera.

Mane, inquit, exaudies vocem meam, mane aliquid orabo, hoc rogo, ut exaudias, hoc autem est, quod

pro omnibus doctoribus et auditoribus verbi, quod mane tractari solet, oro. Qua oratione sicut vix ulla alia in Psalterio vehementior est, et tot iterata verbis, ita nec alia omnibus nobis quoque hodie magis necessaria et salutaris, nec fuit nec erit alia pro quovis tempore magis necessaria. Discat ob id pius christianus primo sollicitudinis loco habere, ut Deum pro hereditatibus (exemplo prophetae hujus) aestuantissime hunc Psalmum oret, quo verbum Dei floreat in populo Dei. Nam populus Dei aliunde non vivit, pascitur, servatur, quam verbo Dei, sicut Matth. 4. Christus: „Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.“ Florente enim verbo Dei omnia florent in ecclesia. Nam quae causa est, quod hodie ecclesia laxa et pompa non modo marcescit, sed paene vastata est, nisi quod posthabito verbo Dei leges hominum et Romanas artes discimus?

Ad energiam verborum Hierony. sic transfert: Domine mane audies vocem meam, mane praeparabor ad te, et contemplabor. Nonne hoc verbum praeparabor apte facit ad sensum praedictum? Quid enim est aliud praeparari Deo, quam docibilem et ductibilem fieri Deo? Quo simul ostendit se nolle hominibus praeparari. Huic non dissentit, quod Johann. Reuchlin Hebraeorum sententia dicit: Mane ordinabo, ut sit verbum activum, quo in sacrificiis ponendis et ordinandis scriptura utitur, ut omnino significet animum promtum, paratum, abnegatum et (ut dicitur) resignatum Deo in omnes voluntates ejus. Nam hoc demum est verum sacrificium Deo oblatum, esse in hunc modum ordinare, offerre, praeparare, adstare, ductilem praebere. Patet autem, quod hebraeo idiotismo verbum nominale seu absolutum est „adstabo,“ seu ordinabo, id est, ordinationem, oblationem

factum, scilicet mei ipsius. Quare non inepte translatum est: „Adstabo.“ Simul docemur, quod in audiendo verbo Dei non in hominem loquentem, sed in Deum docentem intendi oporteat.

Sic et verbum „videbo“ absolutum est, pro eo quod est: Ero videns, id est, illuminabor, erudiar, speculator fiam, puta, veritatis et justitiae. Mich. 7.: „Educet me in lucem, videbo justitiam ejus.“ Neque enim justitiam Dei novit, nisi quem Deus erudierit. Ceteri omnes sunt vaniloqui, qui ex suo capite loquuntur. Ideo Christus dedit apostolis spiritum sanctum et ecclesiae, ut loqueretur ipse in nobis, non nos ipsi, hoc est, quod hic quaeritur. Si adstaret hominibus, non videret, sed caecus fieret, juxta illud Christi: „Caecus caecum ducit.“ Nunc quia adstabit, ordinabit se et praeparabitur Deo, videbit et illuminabitur.

Quodsi cui mane illud mysticum magis placet, quod est initium temporis gratiae, quo coepit ecclesia adstare Deo et videre, non repugno. Ego mysteria lentus sequor, ubi literam habere possum. Nec hoc refutarim, si quis mane adstare et videre, intelligat, se ipsum offerre, non in justitiis sacrificiorum propriis, tanquam Deo datis, gloriari, sed a Deo accipiendam justitiam exspectare.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur dominus.

Septem nominibus accusat malos magistros et eorum discipulos operarios. Tantus illi est aestus

pro sincera pietatis vita et doctrina. Unde haec verba in spiritu ac fide audire oportet, sicut omnia verba Dei. Nam hi, de quibus hic loquitur, si larvam et faciem rerum spectes, nihil minus erunt, quam quod hic de eis dicitur. Adeo vestiuntur vestimentis ovium et nomine Christi. Denique horum opinio est, ea, quae hic de eis dicuntur, ad alios pertinere, quos sibi adversarios ducunt. Quare nec nomina nec opera hic descripta agnoscunt, sed potius ita vertunt: Quoniam Deus volens aequitatem nostram tu es, et habitabimus juxta te benigni, permanebimus justi ante oculos tuos. Amasti nos, operantes aequitatem, servabis loquentes veritatem, viros mites et sinceros magnipendes. Has enim glorias de se ipsis hi impii somniant, contraria, quae hic dicuntur, ablegant ad vere pios, justos et amabiles Deo. Et haec concertatio durat usque in mundi finem.

Sic Esau et Jacob colliduntur in utero Rebeccae. Sic duae meretrices coram rege Salomone de vivo filio contendunt. Haeretici et pseudodidascali semper sibi ecclesiae, veritatis, justitiae titulum arrogant et vincunt specie et pompa coram hominibus, coram Deo victi. Catholici vero soli habent, et sine pompa vincunt tandem, quia coram Deo justi sunt.

Videamus ergo vocabula septem, „iniquitatem, malignus, injusti, iniquitatis operatores, loquentes mendacium, virum sanguinum, dolosum.“ Quibus sex mala praedicit, non volentem Deum, non habitaturos coram Deo, non permansuros ante oculos Dei, odiendos, perdendos, abominandos.

Primum est iniquitas, pro quo rectius fuisset versum impietas, ut enim Psalmo primo dictum est, רשע impietas dicitur, unde consilium impiorum, haec autem

est (ut dixi) ipsa incredulitas perversaque opinio de Deo divinisque verbis et operibus, etsi pulchra specie foris simulet pietatem. Quare Deus noster, cum sit justus et rectus, non volet impietatem (id est, non desiderat, non placebit sibi in ea). Est enim hoc loco verbum חָפֵץ, a quo חֶפְצוֹ, Psal. 1. venit, id est, voluntas ejus, scilicet in lege domini, seu desiderium seu concupiscentia. Et hujus versus sententiam prope exponit Ps. 51.: „Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem, utique holocaustis non delectaberis.“ Cur non vult? cur non delectatur? Quia sacrificium spiritus contribulati (quod est sacrificium pietatis) deest, ideo adest impietas, quae facit, ut (juxta Proverb. 15.) sint victimae impiorum abominabiles domino.

Est ergo sensus: Ideo orabo ad te, ideo peto me exaudias mane, ideo adstabo tibi et videbo, quod sciam tibi prorsus non placere impiorum vota, opera et sacrificia, sicut frustra praesumunt caeci ipsi et alios secum seducentes, dum operibus et sacrificiis impietatem abscondunt, ne eam agnoscant et humilientur, contenti, ac si omnia bene habeant, quod opera fecerint.

Hoc modo et Isaias 1. eos arguit: „Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum?“ Et infra: „Lavamini, mundi estote,“ quasi dicat: Opera ipsa, donec vos immundi et impii estis, sine fide et spe in misericordia mea (quae sola justificat et impietatem tollit), non possunt placere, quantumvis sint speciosa. Vos in opera intenditis, et secundum faciem judicatis, atque ita pii et justi videmini vobis, ego autem in cor vestrum video, et secundum veritatem judico, atque ita vos impios invenio, sicut et Christus pharisaeis dicit: „Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus,

Deus autem novit corda vestra." Hoc vult hic versus d.: „Non volens impietatem, Deus tu es," non falleris operum specie, ut impietatem cordis suscipias. Falluntur potius ipsi, qui hac operum larva decepti impietatem hanc nunquam agnoscunt, et dum se maxime tibi placere putant, minime omnium placent.

Ita et illud: „Neque habitabit juxta te malignus." Heb. רע, id est, malus vel malum, ut vel impium vel impietatem referre possit. Ubi enim impietas, infidelitas, incredulitas regnat, simul malitia seu malignitas regnat. Desertus enim a gratia bona Dei, ad quid valet, nisi ad malum? Itaque malignitatem hoc loco convenit intelligi ipsam radicem et totum fermentum vetus malitiae et nequitiae, quo inclinati sumus, (fidei gratia vacui) in omne facinus ruere, data occasione, sicut Christus ad apostolos ait: „Vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris."

Haec sane malitia pulchre se abscondit sub sanctis et piis in specie operibus, donec occasione irritata se ipsum prodat. Multos videas mites, humiles, benignos in verbis et signis et factis, quos, si digito tangas, mox crudelissimos et inflatissimos, omnia mala facere promtos reddas, qui hodie titulo honestissimo passionati vocantur, quod propter speciem bonae conversationis malignos non licet appellare, interim secure pereuntes ipsi et perdentes simul, si quis eorum exemplo securus hanc malignitatem negligat mortificare. Passiones enim malitiae ejusmodi indicium sunt*) deficientis ibi pietatis (id est, fidei in Deum) et regnantis impietatis. Non ergo hi morabuntur apud Deum, nec habitabunt juxta eum.

*) In edit. princip. leg.: sunt, id est cet.

Tertio sequuntur injusti, sive iidem sive alii, quos Hebraeus vocat הוֹלְלִים, quod proprie eorum est, qui foras erumpunt in opus et praevaricantur et malum faciunt in verbo et opere. Impietas sane, et malignitas frequentius latent, nisi cui lex spiritualis manifestata est, qua se malum cum apostolo Ro. 7. agnoscit, faciuntque arborem malam, sed fructus ejus proferunt הוֹלְלִים, sequentes malitiam cordis impii sui. De quibus Ecclesia. 10.: „Initium verborum oris ejus stultitia, et novissimum oris illius הוֹלֵלוּת רָעָה," quod errorem pessimum transtulerunt. Patet ergo adhuc ordo pulcher verborum, primum impietas, qua fit, ut sine gratia Dei adjuvante simus nobis relicti, quam secunda mox sequitur malitia, quo proni sumus facere, quod in nobis est, id est, omne malum, tertia injustitia, praevaricatio ipsa fructus hujus impietatis et malignitatis,

Verum nec hi permanebunt ante oculos tuos, seu, ut Hebraeus habet, non statuent הוֹלְלִים in conspectu oculorum tuorum. Est autem verbum statuent idem omnino, quod Psal. 2. in praeterito transtulerunt: Adstiterunt reges terrae, pro: Assistent vel statuent, id est (ut absoluti verbi pateat significatio), assistentiam sui facient. Ita hic: Non assistent, non sistent se coram domino, non apparebunt etc. Quod tamen quam maxime credunt, falsis suis opinionibus et operibus, nec enim se male facere credunt, etiam dum male faciunt.

Quarto, „odisti omnes, qui operantur iniquitatem." Hanc oratiunculam frequenter in veteri testamento legimus, quae per verbum פָּעַל, quod Ps. primo posuimus significare id, quod agere vel operari apud nos, et per nomen אָוֶן, quod varie et inconstanter translatum

est (ut vidimus), scribitur. Video autem prophetas, praesertim Oseam 10. velut alludentes pro Bethel Bethaven appellare locum, in quo Hieroboam, primus rex Israel, vitulos aureos constituit adorandos, ne populus Israel in Hierusalem immolaturus iret, tandem a se deficeret ad regem Juda, ut legitur 1. Reg. 12. Atque ubi Bethel, id est, domus Dei dicendum fuit, Bethaven dicunt, quod alii domum idoli (scilicet, a contraria significatione), rectius autem domum iniquitatis seu idololatriae transferunt.

Horum secuti sensum, placet per אָוֶן iniquitatem et idololatriam intelligere, idololatriam vero non eam solum, qua idolis ligneis et lapidibus servitur, sed multo maxime eam, quam Samuel 1. Regum 15. magna auctoritate contra Saulem diffinit et pronuntiat in hunc modum: „Numquid vult dominus holocausta et victimas, et non potius, ut obediatur voci domini? Melior est enim obedientia, quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere." Haec igitur religio Saulitica, furens inobedientia, perversa superstitio, infelix אָוֶן, sicut in scripturis ubique acerrime arguitur in veteri testamento regnasse, ita et hodie nulla pestis atrocius bacchatur, dum quisque officio, in quod vocatus est, deserto alio et a se invento studio servire Deo conatur.

Ita episcopi, qui sunt optimi, officio verbi et curandi populi vel indignissimis et indoctissimis relicto suis peculiis aut aedificiis ac reditibus splendoribusque suae ecclesiae augendis incumbunt, obsequium Deo praebere se arbitrantes, quod sunt inobedientes. Sacerdotes quoque et religiosi quique sanctissimi, quodvis

pro Deo faciunt potius quam suum officium. Nam de malis hic nihil dicimus: Romana curia vero extra hanc etiam aleam posita est. Denique latius haec infelicia inobedientiae studia invaluerunt, quam ullus prosequi possit. In omni enim genere vitae apud christianos hoc invenias, quod posthabita praeceptorum Dei observantia in suis traditionibus et opinionibus Deum colunt. Haec est אָוֶן, inquam, species illa operum, qua supra dixi, velut umbra Behemoth, tegunt impietatem, malignitatem, et quamvis transgressionem. Omnino *) haec vestis luporum et pestilens hypocrisis sinceram pietatem et christianam religionem atrociore vastitate populatur **), quam ullus gladius, fames, pestis etc.

Vide ergo, quam incenditur et propheta adversus impiam hanc pietatem et irreligiosissimam religionem, quod nullam acrius detestetur dicens: „Odisti omnes, qui operantur iniquitatem." „Omnes", inquit, et „odisti", in ceteris non addidit omnes, hic, ne maledicta superstitione falsi se placere putent, pronuntiat odio Dei dignos, et omnes nullo excepto. Nam vere et apud homines displicent perversa ista obsequia, quae praetermissa obedientia fiunt. Quis enim ferat, ut pastor, cui commissae sunt oves, ovibus relictis incipiat domino in cubili ministrare? Et ut erudite habet fabula Aesopi de asino, qui caniculae blanditias imitari volens fustibus caesus est, quod suum officium deserens alieno se miscuerit. Haec eadem pestis facit, ut multos poeniteat sui ordinis, sui status, suae vocationis, dum in aliena officia intenti velut meliora sua fastidiunt. Hic

*) Edit. princip.: omnia.

**) Edit. princip.: populans.

a sacerdotio in *) carthusiam, ille de hac in illam migrat conditionem. Hoc est juxta Job. 6.: „Timent pruinam, et ruit super eos nix," evadunt pluviam, et cadunt in aquam.

Sed satis haec modica de maxima ista et plurima pravitate, quam deinceps semper appellabimus inobedientiam, seu idololatriam, hoc est, sanctam impiorum latriam, ut quae non aperte Dei praecepta violet, (ceu publicani et meretrices,) sed per speciem magnorum operum et eximiae pietatis, et ut Bern. Psal. 91. vocat, per daemonium meridianum, cum apostolo Paulo angelum Satanae in angelum lucis transformatum intelligens. Horum exemplar egregie monstratum et descriptum est in Saule, 1. Regum 15. Vide ibi.

Unde אָוֶן recte interpretatur a multis non solum iniquitas, sed et dolor et labor, quod revera laboris et doloris multum habet haec inobedientia, et, ut vulgo dicitur, difficilius est infernum mereri, quam coelum. Nam martyres hos suos diabolus vehementer urget, nunquam tamen recreat, ita ut dominus quoque per Mosen praedixerit se traditurum populum Israel in manus hostium, ut ibi servirent Diis alienis, qui non dent eis requiem, nec die nec nocte. Sic Eccle. 10.: „Labor stultorum affliget eos," et ut in eodem libro saepius dicitur: „Vanitas et afflictio spiritus." Christus autem etsi premat, tamen suave est jugum ejus, et onus leve, quia reficit laeta fiducia cordis omnes, qui laborant et onerati sunt, modo veniant ad eum. Illi vero dicent illud Sap. 2.: „Ambulavimus vias difficiles."

---

*) Hoc vocab. deest in edit. princip.

Qui latius ista velit prosequi, Paulum Ro. 12. et 1. Cor. 12. legat, ubi id omni studio agit, ut unusquisque in sua mensura incedat, ne membrorum fiat confusio, ubi oculus officio pedum, aut pedes officio oculorum fungi coeperint, sed regulam illam Prover. 4. servent: „Palpebrae tuae praecedant gressus tuos, et oculi tui recta videant.“ Sich für dich, und wart auf dich selb. In hanc pravitatem et apud gentiles edita sunt proverbia: Eam quam quisque didicit, exerceat artem, et: Ne sutor ultra crepidam, et: Intra pellem quisque suam. Recte ergo et mira emphasi dicit: „Odisti omnes,“ quod revera plurimum odibilis sit ista iniquitas, quae ita irritat, exasperat et provocat, ut inde synagoga gens asperatrix, amaricatrix, provocatrix in prophetis appelletur, quam amaritudinem Deus sentire dicitur, quando in cordibus sanctorum suorum eam sentiri facit, quo sensu (ut dixi) plenus est hic Psalmus, sicut videmus et videbimus.

Quinto „perdes qui loquuntur mendacium.“ Hic magistros et doctrinam iniquitatis taxat. Nam heb. verbum דִּבֵּר ferme videtur mihi significare id genus sermonis, quo aliquid docetur vel enarratur seu recitatur. Unde et דָּבָר rem gestam seu potius narratam significat, quem tropum et Lucas quoque servavit, Lucae 2.: „Transeamus usque Bethlehem, et videamus verbum hoc (rem gestam et dictam). Nempe in Levitico satis clare distinguit inter אָמַר et דִּבֵּר, quorum utrumque loqui vel dicere significat, ubi toties scribitur: „Locutus est dominus ad Mosen dicens,“ ubi primum est דִּבֵּר, id est, locutus est. Hinc in prophetis usitatissimum: „Et factum est verbum domini ad me dicens.“ Quare דִּבֵּר generaliter significat per modum doctrinae aliquid nuntiare, quod per verbum

אֹמֶר specialiter determinatur. Atque si haec significatio et differentia rata non fuerit perpetuo, tamen interim sic ea utemur, donec meliora viderimus. Certum est in multis locis pro docere accipi, quod hic „loquuntur" positum est, ut Psal. 119.: „Loquebar in testimoniis tuis," et Psal. 60.: „Deus locutus est in sancto suo."

Igitur qualis est impiorum vita, talis et doctrina, sicut agunt, ita et loquuntur, impia ergo et mala et iniqua, quae omnia sub nomine mendacii comprehendit. Hoc mendacium supra Psal. 1. consilium impiorum, imo cathedram pestilentiae et illusionis appellavit. Horum furor et hodie quoque regnat, de quibus apostolus 2. Timo. 3.: „Semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes." Hi sunt, qui docendis bonis operibus (ut putant) fortiter instant, cum necdum sciant, quae sunt bona opera fidei, enim scientia carent. Ita fit, ut miserrime crucifigant et excarnificent populum mendacibus suis et impiis fabulis, ex moralibus philosophorum, ex juribus hominum, ex statutis ac traditionibus suis acceptis, de quibus supra satis, et infra saepius dicemus.

Sexto „virum sanguinum et dolosum abominabitur dominus." Brevi compendio absolvit, quales sint in moribus et conversatione erga proximos suos, hoc est, ex corde neminem diligunt. Cum enim sint pietatis gratia vacui et in malitia sua relicti, necesse est tantum affectu et opinione sui sint infecti a planta pedis usque ad verticem. Omnia quidem simulant, multis corrident, amicissimos mutuo se appellant, scribunt, dicunt, apparent esse humani et suaves, et viros sanguinum his operculis pulchre abscondunt, verum dolosa sunt haec omnia. Quod patet, ubi coeperint offendi, aut

ubi casus venerit benevolentiae exhibendae, tum repente apparet dolus et prodit sanguinaria ira, invidia, et ea, quae sequuntur. Neque enim dilexerunt ullum, nisi propriae utilitatis gratia, non ut bene facerent, sed ut bene haberent. Ideo verba haec spiritus sunt, non faciem respicientia, sed renes et corda scrutantia. Verba enim fidei contra speciem pugnant, et ad tempora crucis respiciunt. Ibi invenientur, qui ejusmodi sunt, quam omnem hominem odiant, et neminem sincere diligant, quia diligunt solum se ipsos. Et hoc morbo omnium maxime laborant martyres illi diaboli, sanctissimi et religiosissimi, quos jam diximus impios operarios iniquitatis, filios inobedientiae, sub veste et specie pietatis, cujus virtutem maxime abnegant.

Si haec non credis aut non nosti, experientiam consule. Totus mundus querela hac plenus est, non esse fidem in hominibus, omnia ficta et simulata fieri et dici, ita ut Micheae verbum, quod non legerunt, tamen experientia docti allegent (quod ejusdem 7. scribitur): „Nolite credere amico et nolite confidere in duce, ab ea, quae dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui, quia filius facit contumeliam patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus.“ Ideo Christus cavendum docet ab hominibus, si enim eis palpes aut utilis sis, habebis dolosos amicos, si offendas aut dissentias, praesertim propter Deum et veritatem, habebis sanguinolentissimos hostes, ita ut non aptiore nec breviore elogio hominum ingenium describi possit, quam quod sit sanguinarium et dolosum.

Adeo scilicet rarum est, non agere dolose cum proximo, ac fidelem amicum esse. Vivit tecum dulciter, salutat, arridet, at si petas juvari 10. florenis de

abundantia illius, jam amicum perdidisti. Breviter, nisi sic egeris, ut te utendum praebeas in omnia ejus desideria, et illo nullo pacto utaris, cum homine non conversaberis diu. Haec experientia magistra docemur, ideo facilis iste versus intellectu.

Nec sic tamen suam miseriam agnoscunt, omnia enim haec contemnunt, nihil minus quam sanguinarios et dolosos sese esse credentes, primum propter opera illa speciosa, quorum fiducia inflati et excaecati se ipsos non vident, deinde quod se ipsos amant, suisque vitiis blanditer indulgent, non quanta mala, sed quanta bona faciant, in oculis semper versantes. Cui major caecitatis occasio accedit, quod zelum arbitrentur esse, si odiant eos, a quibus vel laesi sunt vel laesi sibi potius videntur, ut ad quos prae insigni justitia pertineat iniquos odio habere. Quo furore subversi eo procedunt, ut trabe in oculis suis neglecta et festuca in alterius oculo observata sese humanos et fideles haberi velint, illos potius viros sanguinum et dolosos judicent, atque ita abominationem divinam, quae super ipsos definitur, perpetua insania a se in alios rejiciant. Quo fit, ut scripturas, si legant, non intelligant, si audiant, non accipiant, tanquam ad se nihil pertinentes, fiantque plane incorrigibiles illi, Matth. 11. quibus si cantes, non saltant, si lamenteris, non plorant. In solis his perdit Deus et verba et opera sua.

Est et hoc non leve operculum hujus nequitiae, quod, si aliquos amicos amittunt, alios vel inveniunt vel habent, quibus eodem dolo conversantur, quorum mutua (etsi dolosa) concordia capti, non quantos odiant et contemnant, sed quantis benevoli sint (etiamsi sit vix millies millesima proportio), considerant, nihil

morati, quod Christus praeceperit ne unum quidem ex pusillis contemnendum.

Ecce fructum, quem parit fiducia operum et propriae justitiae, scilicet, ignorantiam sui, pertinaciam et incorrigibilitatem in tantis malis impietatis, malitiae, inobedientiae, et omnium peccatorum. Tot monstra tam levi velamine et exigua specie celari, ali et servari possunt. Deinde in tantis abominationibus mane coram Deo apparere et sacrificare, se Deo placitum credere, nec misericordiam implorare, sed cum impio pharisaeo gratias agere, quod non sit sicut ceteri hominum, nonne horrendum est et videre et audire? Nonne justissima est prophetae hujus commotio in eas insanias?

Nunc epilogum istorum trium versuum faciamus. Duo priores peccata describunt ea, quibus contra Deum peccant, quae sunt quatuor, duo in versu primo, scilicet impietas et malignitas, quarum prior aversio est a Deo, id est, sani affectus atque rectae opinionis inopia, posterior conversio ad se ipsum, pronitas scilicet ipsa ad mala opera, et rebellio ad bona, id est, affectus et opinio perversa. His duobus peccatis persona ipsa describitur, et arbor mala, quales sunt coram Deo.

Duo in versu secundo, scilicet, injustitia et operatio iniquitatis, quarum prior est praevaricatio et affectus *) malignitatis, et omissio colendi Dei, posterior vero species cultus Dei, sed inobedientia ac idololatria. In his enim duabus universitas malorum fructuum et operum comprehenditur, quae circa divina facimus quod unum sit contraria facere operibus et cultui divino, hi sunt הוֹלְלִים, alterum simulata facere, et

*) In edit. princip. leg.: effectus.

specie bona, contra obedientiam Dei, hi sunt operatores iniquitatis.

Tertius versus peccata describit, quibus contra homines peccant, quorum sunt tria. Primum mendacium, ubi alios verbo, exemplo et more suo seducunt a vero cultu Dei in suas impias idololatrias, facientes eos similes sibi in his, quae ad Deum pertinent. Secundum odium et omnia, quae ex odio sequuntur, unde viri sanguinum dicuntur. Tertium dolus et omnia, quae hinc sequuntur, dum nonnisi pro suo commodo, usu, voluptate hominibus utuntur, in quo omnia peccata perversi amoris includuntur. Nam etiam dolus et fraus est in amore sexus carnalis *), ut patet. Cum enim odium et amor sint principes omnium affectuum et operum, satis patet in his duobus, dum et odium sanguinarium est, et amor dolosus est, universam lernam vitiosae conversationis et morum comprehensam esse. Odium enim candidum contra vitia pugnat, et amor sincerus quaerit ea, quae sunt aliorum, non sua.

Concludamus ergo totam sententiam: Illi (inquit) mane venientes non quidem orant, nec tui egent, nec exaudiri curant, saturi sunt, tot vitiorum repleti sordibus (id est, justitiis suis), nec adstant tibi, nec offeruntur tibi, ut formentur a te, ut illuminentur, ut videant, sed contra te potius formant, et idolo cordis sui (ut Isa. 46. dicit) assimulant, de te secundum suas opiniones judicantes, ut non videant, sed magis excaecentur et indurentur. Quod ideo fiet, quoniam tu non, ut putant, diligis impietatem, sed odis iniquitates, et abominaris eos omnino. Ego vero venio et adsto

*) In edit. princip.: carnali.

et offeror, ut former a te, ut sapiam de te secundum te, ut videam et illuminer. Illi veniunt allaturi sua tibi bona et merita, ablaturi vero secum majora sua peccata et mala. Ego venio postulaturus tua bona, et confessurus mea mala. Quia illi sani sunt, medico non egent. Ego infirmus et male habens medicum quaero. Hoc est, quod sequens versus prosequitur.

Ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Egregius versus, egregia sententia, verba antithesim habent, habet et ipse sensus. Duo enim sunt, quibus haec vita exercetur, timor et spes, velut duo irrigua illa, Judicum 1. Alterum superius, alterum inferius. Timor provenit ex intuitu minarum et metuendorum judiciorum Dei, ut in cujus conspectu nemo mundus, nemo non peccator, nemo non damnabilis. Spes provenit ex intuitu promissionis et suavissimarum misericordiarum Dei, sicut Psal. 25.: „Reminiscere miserationum tuarum et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt," ut in cujus conspectu nemo non mundus, nemo non justus, nemo non salvus esse possit.

Atque in his duobus, tanquam inter molam inferiorem et superiorem, semper oportet versari, nec aliquando declinare, sive ad dexteram sive ad sinistram. Hoc enim impiorum est, qui contrariis duobus exercentur, securitate et praesumtione. Securitate declinant ad sinistram, postbabito Dei timore, ut Ps. 14.: „Non est timor Dei ante oculos eorum," praesumtione declinant ad dexteram, dum omnia sua Deo placere praesumunt, sine timore Dei, quia, cum sese peccatores esse non agnoscant, necesse est, ut Deum non timeant, cujus judicium non considerant, juxta Ps. 10.:

„Auferuntur judicia tua a facie ejus." Ita pro judiciis Dei ignaviam quandam Dei sibi ipsis objiciunt; pro misericordia Dei justitiam suam propriam. Ita fit, ut timere et sperare non possint. Haec est ergo antithesis, quam ponit. Illi sine timore tui, postpositis judiciis tuis tremendis, secure adorant te, sicut pharisaeus in evangelio, Lucae 18. Deinde in multitudine justitiae suae intrant templum, et veniunt in conspectum tuum misericordia non egentes.

Ego vero, cum mihi sim conscius, esse me non posse coram te tuisque judiciis tutum, de me ipso desperans, ita accedo ad templum tuum coram te sistendus, ut misericordiam tuam mihi ante oculos solam habeam, quae multa, imo infinita est. Hac sola inspecta audeo et tutus sum, sicut Ps. 26.: „Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua," veniens autem hac fiducia adorabo te in templo tuo, sed in timore tui, non praesumens, quod ex me tibi sim placiturus, imo timebo, ne meum obsequium et adoratio reprehensionem mereantur. Quo timore tibi tuum servabo honorem, et meam custodiam humilitatem, dum non me ipsum justifico, sed humiliter tuum tremendum judicium, in spe misericordiae tuae ignoscentis, exspecto.

Vides ergo clare hujus Psalmi scopum esse de diversa religione piorum et impiorum, humilium et superborum. Comparat enim illos sibi in matutino isto opere, quod est intrare domum domini, et adorare ad templum sanctum ejus. Ibi enim et opera et dogmata omnium et maxima et prima celebrantur.

Pulchra est etiam verborum antithesis, sed permutata. Nam misericordiam Dei, quae spei objectum est, sine spei nomine ponit. Rursus, timorem, cujus

objectum est judicium Dei, sine judicii nomine ponit, cum potius misericordiam et judicium aut spem et timorem videatur opponere debuisse. Verum spei natura et ejus objectum exprimendum erat, scilicet misericordia, imo multitudo misericordiae Dei, quod pii homines plus satis timent, et magna reverentia ad Deum divinaque opera accedunt. Atque haec duo, spes et timor, sunt omnium longe gratissima sacrificia et pia opera, quae impii illi justitiarii, ut nec docent, hac intelligunt, ita nec faciunt nec facere possunt. Plenus est (ut dixi) etiam hodie totus mundus eorundem impietate, qui homines in operum et justitiae propriae fiduciam tractos non sinunt ad Dei timorem et misericordiae spem pervenire, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, et ut Christus ait Matth. 23., tulerunt clavem scientiae (id est, potestatem docendi scientiam Dei), ipsi non introeunt, et introeuntes prohibent.

Hos impios praesumtores judiciorum et misericordiarum Dei securissimos contemtores etiam Isa 1. copiose taxat, d.: „Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam etc.“ Quare sequitur: „Quia manus vestrae sanguine plenae sunt. Lavamini, mundi estote etc.“ Ita nihil Deo placere potest, nisi quod in humilitate geritur. Humilitas autem esse non potest, nisi in omni opere quantumlibet bono Dei judicium formidetur, et de sola ejus gratuita misericordia praesumatur. Cui pietati omnium maxime repugnabat quadam naturali ac ingenita praesumtione populus Israel, de lege et legis operibus miro tumore superbiens.

Quaeras, quomodo ad domum domini et templum Dei se intraturum promittat David, cum suo tempore

nec ulla domus Dei aut ullum templum staret, sed arca testamenti in tabernaculo Mosi, tunc vice templi erat. Sed et alio loco de domo domini dicit, Ps. 122.: „In domum domini ibimus, stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem," et Ps. 134.: „Qui statis in domo domini, in atriis domus Dei nostri," ut auspicari possis, hos Psalmos non esse Davidis, aut per Esdram postea immutatos.

Verum mea temeritate videtur quemlibet locum, in quo Deus colitur, pro domo Dei accipere. Nam et illud notum est, locum illum, in quo Abraham sacrificavit, Bethel, (id est, domum Dei) vocatum esse, quem postea vitulis aureis Hieroboam conspurcans Bethaven (id est, domum iniquitatis) fecit. Sed et Jacob Gen. 28., cum in monte Moria, id est, visionis, in quo postea templum Salomonis aedificatum est, dormisset, erecto lapide dixit: „Hic lapis vocabitur domus Dei."

Quare mysticas interpretationes interim differens volo domum et templum Dei omnino locum corporalem intelligere, scilicet eum, in quo convenitur ad colendum Deum et audiendum verbum ejus, qualis fuit ille, in quo Cain et Abel obtulerunt et verbum Dei audierunt, qualia fuerunt postea omnium patrum, Noae, Abrahae, Isaac, Jacob, Job, altaria in diversis locis, donec ad Mosi tabernaculum et templum Salomonis ventum est, et nunc in plurimas easdemque magnificas ecclesiarum fabricas. Sicut enim verbum *) Dei nunquam defuit in mundo, ita nec cultus **) Dei. Ideo in omni saeculo opus est ut loca fuisse concedamus, in quibus res divinae fierent, quae temporum successu in eas,

---

*) In edit. princip.: cultus.

**) In edit. princip.: verbum.

quam videmus, gloriam et multitudinis et magnitudinis creverunt. Quid enim aliud egit Jacob Gen. 35., quando oblaturus praecepit, ut idola tollerent, nisi quod nostro ritu praedicavit verbum Dei?

Cum ergo in cultu Dei maxime regnet tum hypocrisis tum falsa doctrina, (cum semper optima simulet et contaminet) ita, ut et in duobus primis fratribus Cain et Abel pugnarint sincera pietas et speciosa hypocrisis, ideo Psal. iste contra hanc impietatis pietatem falsam ac ejus doctrinam in cultu Dei, qui mane agitur, maxime pugnat. Quid enim sincere agat cum hominibus in operibus inferioribus, qui in sublimi isto et primo opere, Dei cultu, perverse et impie agit? ubi et species tanto nocentior est, quo speciosior et praestantiori opere similior est. Breviter, nihil periculosius in mundo falsa religione seu idolelatria. Haec enim fons est malorum sub nomine totius bonitatis.

Est ergo domus Dei et templum cuique saeculo et quibuslibet hominibus piis suus locus, in quo Deus colitur. Nam ibi vere habitare dicetur, ubi vere colitur, praesertim communi conventu fidelium suorum. Quare nec propter magnitudinem vel pretii vel spatii vel aedificii vel multitudinem populi unus locus plus altero Dei domus vel templum dicetur, sed (ut dixi) propter conventum multorum ad orandum, ad serviendum Deo, et verbum ejus audiendum, juxta illud Psal. 10. [102.]: „In conveniendo populos in unum et reges, ut serviant domino," ita ut locus propter populum (qui vere est domus Dei) domus Dei vocetur, et non populus propter locum.

Dominatur vero mirum in modum potens superstitio in templis hujusmodi aedificandis, sacrandis, or-

vandis per orbem, in quibus non tam curatur, ut pia sit ejus loci plebs, et sincerus cultus, ac purum verbum Dei, quam quomodo ditione, divitiis, splendore, pompa, sumtu aedificii, et id genus mundanarum vanitatum superbiant, et (ut cum Ps. isto breviter dicam) quodlibet potius agitur (proh dolor) in locis cultus divini, quam ut in multitudine misericordiae Dei intretur, et adoretur in timore Dei, aut intrari et adorari doceatur, cum in has res solas instituantur. Unde non mirum, quod saepius fulmine feriantur, quam domus profanae, quod nulla loca pateant foedioribus abusionibus, iniquitatibus, simulationibus, quam haec, quae sincerissimis et plane divinis duntaxat officiis dicata sunt. Ut enim in ceteris mala fiant, nomen Dei tamen non perinde polluitur, quod in his non invocatum est. At in sacris locis semper duplex malum est, quidquid etiam simplex alibi est.

Domine, deduc me in justitia tua, propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam.

Hebraeus sic habet apud Hierony.: Domine, deduc me in justitia tua, propter insidiatores meos dirige ante faciem meam viam tuam. Dixi, ab initio mundi semper fuisse et falsos operarios et mendaces magistros, sicut et Petrus docet. 2. Pe. 2. Ideo nunquam mundus caruit falsa religione et idolelatria. Hos vocat insidiatores, quia revera nihil insidiosius hac nequitia serpentis, de qua multum apostolus Corinthiis timuit scribens: „Timeo ne, sicut Evam serpens corrupit, ita et sensus quoque vestri corrumpantur a simplicitate, quae est in Christo Jesu.“

Nempe dictio heb. שׁוֹרְרַי inimicos quidem significare potest, ut nostra habet translatio, sed proprie,

qui mala arte machinantur malum, hoc est, per insidias, sub specie scilicet bona, quos apostolus φρεναπάτας, id est, deceptores mentium vocat, eos puta, qui falsis opinionibus imbuunt hominem, praesertim in iis, quae ad Deum pertinent. Et haec significatio mire alludit ad scopum hujus Psalmi, quod piis ac sinceris hominibus nulla sit pestis aeque metuenda, ac subdola machina falsae religionis et eruditionis, ita, ut oratione sola eam curare moneat hic versus. Hic est enim serpens, qui insidiatur calcaneo nostro, ut viam purae pietatis nobis depravet. Quare non inepte transferretur, propter seductores, depravatores, corruptores meos.

Justitiam Dei, quam infra saepius habebimus, oportet ut assuescamus vere canonica significatione intelligere, non eam, qua Deus justus est ipse, qua et impios damnat, ut vulgatissime accipitur, sed, ut b. Aug. de spi. et lit. dicit, qua induit hominem, dum eum justificat, ipsam scilicet misericordiam seu gratiam justificantem, qua apud Deum justi reputamur, de qua apostolus Ro. 1.: „Justitia Dei revelatur in evangelio, sicut scriptum est: Justus ex fide vivit," et Ro. 3.: „Nunc autem sine lege manifestata est justitia Dei, testificata per legem et prophetas."

Vocatur autem justitia Dei et nostra, quod illius gratia nobis donata sit, sicut opus Dei, quod in nobis operatur, sicut verbum Dei, quod in nobis loquitur, sicut virtutes Dei, quas in nobis operatur, et multa alia. Sic Psal. 31.: „In justitia tua libera me," et Ro. 10.: „Ignorantes justitiam Dei, et suam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti." Unde Psal. 24. non inepte transtulit: „Hic accipiet benedictionem a domino, et misericordiam a Deo salutari suo," cum pro misericordia Hebraeus justitiam habeat, quod

benedictio Dei et justitia Dei sint idem, scilicet ipsa misericordia et gratia Dei nobis collata in Christo.

Atque hic tropus loquendi de justitia Dei, quia alius est ab usitato humanae locutionis modo, multas multis difficultates peperit, quanquam non sit penitus rejiciendum, justitiam Dei etiam tropo jam dicto esse justitiam, qua Deus justus est, ut eadem justitia Deus et nos justi simus, sicut eodem verbo Deus facit et nos sumus, quod ipse est, ut in ipso simus, et suum esse nostrum esse sit. Sed haec sublimiora, quam locus nunc patiatur, et alio sensu dicta, quam illi sentiunt, etsi utilia et necessaria, pro alio tamen tempore dicenda.

Illud quoque aptissime dictum, quod Heb.: Ante faciem meam viam tuam, ubi nos: „In conspectu tuo viam meam," habemus, prorsus contraria sententia, et Hebraeus cum parte praecedente velut tautologice consentit, quod justitia tua et via tua idem ferme sint. Via enim Dei est justitia Dei, in qua vivendum et ambulandum est, non in via nostra aut justitia nostra. Haec via Dei est et via justorum, de qua Psal. 1. dictum est: „Quoniam novit dominus viam justorum," quam et Johannes baptista voluit, quando dixit: „Praeparate viam domini." Est autem via Dei, quia sicut dicit Levitici 26.: „Ambulat in nobis," hoc est, operatur in nobis, vivit in nobis, loquitur in nobis. „Non enim vos estis, inquit, qui loquimini." Non tamen falso dicit nostra translatio: „Viam meam," quia operante Deo in nobis et nos operari recte dicimur, quanquam hoc operari magis sit rapi, duci et pati operatorem Deum, sicut hic versus indicat, dicens: „Deduc me," „dirige viam tuam," quo significat se non ex se agere, sed a Deo duci et agi.

Nec illa pugnant sibi „ante faciem meam" et „in conspectu tuo." Utrumque enim tropus est sacrae linguae usitatus, quod omnia in conspectu Dei, tanquam praesente Deo, et in lumine vultus ejus agenda sunt a nobis, quod non est nostri arbitrii nec nostrae justitiae, sed divinae gratiae officium. Et sic hoc verbo nostra translatio ostendit „viam meam" intelligi viam Dei, quod Hebraeus ostendit per „viam tuam." Rursus per „faciem meam" ostendit Hebraeus viam Dei esse nostram, quod noster ostendit per „viam meam", quod nostrum sit, faciem ad viam Dei vertere, et viam nostram in conspectu Dei ambulare. Eadem ergo est via Dei ante faciem nostram et via nostra ante faciem Dei, utrumque simul fieri necesse.

Accusat autem impios hic tropus, et perversitatem eorum percutit, ut qui versa in suam viam facie sua et verso ad viam Dei dorso suo incedant, sicut Levit. 26. d.: „Si ambulaveritis contra me, incedam et ego adversum vos in furore contrario etc." Viam suam suaque opera considerant et sequuntur, viam Dei et opera Dei negligunt, ut Isaiae 2.: „Opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum." Idem 5.: „Et opus domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis." Hoc totum (ut saepe diximus) fit, quia viam crucis et vitam fidei, quae cogit eos ponere, quod sunt et sapiunt, exhorrent, colentes frustra Deum mandatis et doctrinis hominum, ut idem Isaias dicit 19. [29.] et Matth. 15. repetitur.

Verbum „dirigere" in scriptura celeberrimum est, in quo commendatur rectitudo seu directio cordis, ut Ps. 119.: „Confitebor tibi in directione cordis," et Ps. 73.: „Quam bonus Deus Israel iis, qui recto sunt corde," et Canticorum. 1.: „Recte diligunt te," adeo,

ut etiam absolute quandoque ponatur directio, sicut Ps. 99.: „Tu parasti directiones," id est, tu solus fecisti rectitudines, quidquid usquam recti cordis est, tui muneris est. Hi enim soli diligunt Deum, et placent. Est autem haec rectitudo sana opinio et sensus de Deo, cui contraria est pravitas cordis, quam jam saepius diximus esse mentem cordis superborum, consilium impiorum, sapientiam carnis, et id genus similia, vocaturque rectum cor, quod non quaerit, quae sua sunt, sed quae Dei, et simplici oculo directoque prospectu in voluntatem Dei figitur, hanc per omnia et prospera et adversa observat solam, nec aliud nosse vult aut observare.

Pravum autem cor, quod quaerit, quae sua sunt, ad se ipsum intentum oculo duplici videns, simulans sese Dei voluntatem quaerere, cum revera in hoc ipso quaerat suam. Quae pravitas tam alte inhaeret vitiosae naturae, ut soli Deo sit perscrutabilis. Hierem. 17.: „Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis scrutabitur illud? Ego dominus scrutans renes et corda." In hanc pravitatem sese abduci timens propheta pro hereditatibus orat, ut dirigatur via Dei ante faciem ejus, id est, ut in rectitudine cordis perseveranter ambulet et vivat semper, quod fit pura et plena fide spiritus.

Igitur contra impios et iniquitatis operarios, qui derelicta obedientia Dei suis operibus Deum colunt, ponit justitiam Dei et viam Dei, id est, obedientiam Dei, in qua se velut ovem deduci et dirigi petit propter inimicos, insidiatores, subdolos et nocentissimos depravatores hereditatum Dei, atque id maxime in primo omnium opere, quod latriae vocant, quo nullum magis patet impiis abusionibus, superstitionibus, haeresibus, hypocrisi, mendacio et vanitati, quorum omnium

nequitia est, sese optimi operis specie vestire et vendere, ita, ut satis inculcari nequeat ista cautela.

Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.

Sic habet in hebraeo distinctio versus, qui apud nos in duos paene divisus est. Hiero. sic: Quoniam non est in ore eorum rectum, interiora eorum insidiae, sepulchrum patens guttur eorum, linguam suam laevificant. Atque omnia quidem recte, nisi quod insidias rectius putant vanitates hebraice dici, quod parum refert.

Claret autem loqui prophetam de verbo doctrinae eorum, quod accusat primum mendacii, deinde vanitatis, tertio nocentiae, quarto falliciae, qua faciunt, ut specie bona vestitum sit insanabiliter noxium. Aperta autem et plana sunt omnia ex praedictis.

„Mendaces" inquit. Hi magistri prompti omnes docere os habent et loquuntur, sed (ut 1. Timo. 1. dicitur) non intelligunt, neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant, id est, neque verba neque rem intelligunt. Ideo non est in ore eorum rectum, etsi videantur omnium rectissima et verissima docere. Denique sicut Jamres et Mambres restiterunt Mosi, ita et hi resistunt veritati, 2. Timo. 3. ausi cum omnibus contendere, etiam persequi alios meliora sapientes. Eadem sententia dicitur Job. 42.: Non enim locuti estis rectum coram me, sicut servus Job."

Quod autem non loquuntur rectum seu verum, in causa est, quod operantur iniquitatem et pravitatem, hoc est, in omni sua doctrina id agunt, ut homo quaerat, quae sua sunt, suis meritis et operibus fidat.

Aut saltem hoc malum non tollunt, neque dedocent, neque redigunt hominem ad nihilum, ut stultus fieret, atque peccatorem se agnosceret. Ita fit, ut, cum adorandus sit Deus in timore, et (ut Ps. 2. dictum est) serviendum ei in timore, exsultandum cum tremore, in multitudine misericordiae Dei omne opus (ut vocant) latriae perficiendum, illi reddant securos et praesumtores de operibus suis.

Hoc enim agunt et tres illi amici Job per totum contentionis suae contextum, nihil de misericordia Dei (quam Job unice extollit cum timore judiciorum ejus), sed tantum de justitia bonos exaltante et malos damnante disputantes. Quare recte a Deo reprehenduntur, tanquam non rectum locuti, cum verum sit, neminem apud Deum justum inveniri in suis operibus, quantumlibet magnis et multis. Rursum tamen certum est, justum esse, quicunque in eum (etiam sine operibus) confisus fuerit, qua fiducia securus est, omnia sua placere Deo, et nihil sese peccare ac peccasse, in quo verbo Job tanquam blasphemum criminabantur amici sui, ex plaga ei illata diffinientes eum omnino peccasse et meruisse iram Dei, quam rursus bonis meritis posset avertere.

At dices: Quid faciam, quando tam eximias loquuntur sententias, ac tam rectas ac veras, ut nulla ratione possint improbari, sicut amici Job, denique cum ipsa verba Dei loquantur e media scriptura?

Respondeo: De his potissimum loquitur, qui verbum Dei adulterant. Hoc enim velamen nequitiae revelat, dum dicit: „Interiora eorum insidiae," seu vanitates, ac si dicat: Speciosa sunt verba et sancta et vera, sed non vere aptantur, ad falsam intelligentiam assumuntur. Unde Hiere. 5.: „Circuite vias Hierusa-

lem; et adspicite et considerate, et quaerite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium et quaerentem fidem, et propitius ero eis. Quodsi etiam, vivit dominus, dixerint, et hoc falso jurabunt." Idem: „Qui habet sermonem meum, narret sermonem meum vere." Quid aliud hoc est, quam sermonem ipsius Dei et vere et vane dici posse?

Ideo in specie quidem *) recte videntur docere; sed interiora vana sunt, et cor eorum vanum est: Non enim id sapiunt, quod verba vere docent, sed id volunt verbis videri significari, quod ipsi sapiunt. Ita veritas operculum fit mendacii et vanitatis, et satis apte hac oratione (interiora eorum vanitates) exprimit doctrinae hypocritarum vim, quod aliud foris simulent, aliud intus alant; simulant pietatem, et alunt impietatem. Hic est angelus Satanae in angelum lucis transformatus; haec astutia serpentis ostentans divinitatem obtinendam, haec religio angelorum, de qua apostolus Col. 2. Nec absurde et hi dicunt, qui idem vocabulum, הַוּוֹת, non insidias tantum ac vanitates sed etiam perversitates significare dicunt, quia revera perversores sunt verborum Dei, ut Hiere. 23.: „Pervertistis verba Dei viventis, domini exercituum," qua perversitate et sibi ipsis vani fiunt veritate et aliis insidiosi, juxta Paulum 2. Timo. 3.: „Falsi et fallentes proficiunt in pejus."

Haec perversitas olim figurata est in omnibus idolis ac sculptilibus et conflatilibus, quod non obscure indicavit Moses Exo. 32., ubi descripturus formationem aurei vituli dicit, Aaron ex inauribus mulierum sumtis finxisse seu formasse opere fusorio et fecisse vitulum conflatilem, ubi in hebraeo pro opere fusorio

*) In edit. princip. leg.: quidam.

stylo habetur, quod videlicet futurum erat, ut verba Dei, quae sunt inaures filiarum Israel, animarum credentium, unicum ornamentum nostrum, mutarent in formas intelligendi ad suum sensum impii doctores, et invicem populi quaererent magistros prurientes auribus, et rectores ad fabulas (ut apostolus ait) converterentur. Nam et Hieremias 8. Mosen ferme interpretans dicit: „Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum.“ Idem *) c. 9. et Isa. 44. longo sermone de formatione idoli loquuntur. Sed et apud Ezech. 16. Hierusalem arguitur, quod ornamenta aurea et argentea domini sibi data tulerit et fecerit sibi imagines masculinas, et fornicata sit cum eis.

Verum haec omnia jocus prope sunt, si ad nostra saecula rem compares, ubi nihil aeque jactatur, atque cultus Dei et ecclesia, domus Dei, cum interea nemo minus colat Deum, quam qui tot ritibus, tot inventis novis operibus, alii discordiam alunt, alii gloriam quaerunt, alii quaestum venantur, et omnino ea, quae nostra sunt, quaerimus. Quibus tamen omnibus praetexuntur verba Dei, ubi docent orandum esse bonumque operandum, et similia. Aut quod malum, quod monstrum, quod portentum hodie non velatur nomine tremendo Dei et sanctorum Petri et Pauli et ecclesiae? cum (ut alia taceam) et religiosae prae ceteris factiones nonnisi ad invidiam mutuam et saturandum ventrem religiosae sint, quae tamen hunc et similes Psalmos quotidie pro aliorum salute emurmurant, fronte scilicet aerea fortissime armati, ne sentiant, quanto aestu verba prophetae contra ipsos sui emurmuratores sonent.

---

*) In edit. princip. leg.: In idem.

Sepulchrum patens est guttur eorum.

Non est dubium, quin his verbis mira auxesi positis voracitatem inexplebilem significet, non contentus, quod guttur eorum sepulchro compararit, quod per se omnes devorat, sed patenti et ad devorandum insatiabiliter parato. Tribuit autem his impietatis magistris scriptura sancta prae ceteris avaritiam et devorationem populi, ut Christus Lucae 20. dicit, scribas devorare domus viduarum, orantes orationem longam. Et Mich. 3: „Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollae.“ Et paulo infra: „Haec dicit dominus Deus super prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus, et praedicant pacem. Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum proelium.“ Item Amos quarto: „Audite hoc verbum vaccae pingues, qui estis in monte Samariae, quae calumniam facitis egenis, et confringitis pauperem, quae dicitis dominis vestris: Afferte et bibemus.“

Sed copiosius Isaias 56.: „Speculatores ejus caeci omnes, nescierunt universi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia, et canes impudentissimi, nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam, a summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate, et erit hodie sicut cras, et multo amplius.“

Haec, si consideres rectores ecclesiasticos hodie, et eos, qui docere videntur populos, non in-

digebunt *) glossa. Quid enim attinet Romanorum et omnium pontificum, sacerdotum, religiosorum avaritiam, incredibilem ingluviem, pompam et luxum plusquam mundanum recensere, cum sua ipsorum impudentia sese fabulam vulgi et exemplum quotidie his rebus faciant? ubi enim non avaritia cleri vulgo cantata? atque haec omnia eo titulo, quod populo Dei praesint. Nonne recte sepulchrum patens guttur eorum dixerit? qui omnibus omnia rapientes, nec sic expleti, sicut hodie ita et cras, et multo amplius devorare anhelant. Offendunt, cum haec dicuntur, et seditiosa et aurium piarum offensiva verba haec sunt. Verum offendebant etiam et seditiosa erant, quando prophetae ea dicebant optimatibus synagogae, ita ut tanquam haeretici et rebelles majoribus cum ignominia occiderentur.

Idem Isa. 5.: Exspectavi, ut faceret judicium, et ecce iniquitas, et justitiam, et ecce clamor. Vae qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terrae? In auribus meis sunt haec, dicit dominus." Item Amos 6.: „Vae vobis, qui opulenti estis in Zion, et confiditis in monte Samariae optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. Transite in Calane, et videte, et inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palaestinorum, et ad optima quaeque regna horum, si latior est terminus eorum termino vestro, qui separati estis in malum diem, qui appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, et lasciviti in stratis vestris, qui comeditis agnum de

*) In edit. princip. leg.: indigebis.

grege et vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem Psalterii, bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Ioseph."

Sed temperandum est mihi a pluribus adducendis, ne in sacros canones peccasse videar, et cum prophetis velle patrimonia Christi et res ecclesiae contemtis censuris alienare, et illicitas temporales has possessiones regnorum et provinciarum asserere. Neque enim satis tutus hic fuerim vel omnibus prophetis et apostolis stipatus a facie sacratissimi juris pontificii. Satis est, quod hic propheta Amos ideo regna in circuitu Israel posita, licet ampla et ditissima, postposuerit divitiis sacerdotum et deliciis seniorum plebis, ut nobis interpretaretur, quid sit guttur eorum, quod sepulchrum patens appellatur. Quod hodie potius os inferni dixeris, ut Isa. 5. dicit, et animam inferni dilatatam absque termino. Adeo novis semper artibus quaeritur et modicum illud reliquum populi, quo vix vivit, ceteris omnibus jamdudum devoratis, et impletur illud quoque Ps. 14.: „Qui devorant plebem meam, sicut escam panis."

Igitur hoc sensu, cum doctores impii viam Dei non doceant, nec aliud quaerant, in Deo etiam, quam quae sua sunt, sequitur, quod multo magis in hominibus quaerant, quae sua sunt, ita ut cum fiducia Paulus Phil. 3. audeat eos appellare canes, dicens: „Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem," et infra: „Quorum finis interitus, quorum Deus venter est." Sed ad Titum eosdem appellat mendaces, malas bestias, ventres pigros, utrobique enim de doctoribus loquitur seductoribus.

Quare et propheta sancta indignatione eorum de-

testatus nequitiam, foedo nomine eorum taxat concupiscentiam, ac si dicat: Quid enim isti porci faciunt impia sua doctrina, qua perdunt animas, nisi quod suo ventri serviunt, dum per eam populo decepto rapiunt, congregant, augent nonnisi terrena sine fine et modo insaturabiles voratores? Denique sicut apostolus ad Titum foedissima tapinosi eos ventres appellat, ita hic videtur eos guttur appellare, quasi dicat: Vos toti guttur estis, et aliud nihil, idque velut sepulchrum patens, cum in aliud non incumbatis, quam ut voretis hominum substantias, quo tropo dicimus: non malus, sed malitia, et scelus pro scelerato, ita venter pro ventris studioso, guttur pro gutturis studioso, voracitas pro vorace, alemanice: Es ist mit dir nur Fressen und Saufen.

Adjecissem et aliam intelligentiam, quod ideo appellentur guttur, quod sepulchrum patens est, quia devorent animas eorum impio verbo et opere in infernum, quam b. Aug. tractat, sed videtur paulo remotior a sensu literali. Eam omitto, quod facilior quoque sit, quam haec literalis, praesertim quod ad contextum praecedentium et sequentium pertinet. Tamen alterius judicio non praejudico. Igitur cum populorum magistri titulo justissimo, sicut Levitae, a populo metunt carnalia, dum seminant spiritualia, fit avaritia et ignorantia viae Dei regnantibus, ut pro spiritualibus seminent impia dogmata, carnem sapientia, quae quia plus placent stulto vulgo, quam vere spiritualia, facile seducuntur, et interim illi carnalia eorum metunt, donec et fundos eorum absorbeant cum universa substantia, ut sic illi pro impio labore impiorum in hoc saeculo obtineant felicitatem, hi vero pro impia pietate et in corpore et anima duplici contritione conterantur.

Nec vacat, quod guttur eorum magis sepulchro compararit, quam ulli alteri voracitati, forte quod sola substantia rerum de impio ministerio et titulo acquisita ejus sit infelicitatis, ut ad nullum unquam pietatis usum redeat, sicut cadavera semel sepulta ad vitam non revertuntur. Non enim dicit scrinium patens guttur eorum, quasi spes sit recipiendi aliquando, quod illatum fuerit, sed sepulchrum, in quod ubi intuleris quippiam, non sit spes ulla recipiendi. Nam habent sane et hodie hanc gratiam Christi et ecclesiae patrimonia, praesertim ampliora, ut scortis, mulionibus, et omnino infimae feci mortalium ita serviant etiam per testamenta et successiones, ut digna non sint fidelibus Christi pauperibus obvenire, sicut habent et proverbia et experientia. Quare multa devorare, et nemini fidelium Christi eadem communicare, hoc est operariorum און, id est, martyrum diaboli privilegium. Hinc proverbium quoque venit, quod usu et contactu noceant res (ut vocant) spirituales, et consumunt omnes alias, quibus mixtae fuerint. Quod alii putant, quia tam sacrae sunt, et divinis dicatae, alii vero, quod tam exsecratae, et velut Hiericho in anathema positae, ne unquam serviant cum rebus boni usus, ipsae suo privatae usu.

Ultimo, quod linguis suis dolose agunt, linguas suas laevificant, seu ut Heb. linguis suis adulantur et blandiuntur, hoc ad praecedens pertinet. Non enim id negotii sibi dari putant, populo ut prosint, quas docent pietatis sententias, sed vulgo ut placeant, quas narrant impietatis fabulas. Id enim curant, ne populi aures offendant, ut ipsi pingues sint et abundent, suntque de numero illorum, de quibus Isa. 28.: „Loquimini nobis placentia," et Paulus ad Timo.:

„Acervabunt sibi magistros prurientes auribus," et ad Ro. ult.: „Qui per dulces sermones et suaves praedicationes corda seducunt innocentium." Hi enim non Christo domino nostro, sed suo ventri serviunt. Itaque veritatem hi non loquuntur timore penuriae ignobilis, dicunt autem, quae vulgus libenter audit, spe abundantiae, atque ita fiunt sepulchrum patens.

Has leves, blandas, sed dolosas (ut nostra habet translatio) linguas, omni veneno aspidum nocentiores et pestilentiores, hoc verbo percutit. Siquidem veritas aspera est, verbum crucis horridius, quam sit Iohannis baptistae camelus, non enim mollibus vestitur vox clamantis in deserto impietatis. Ideo necesse est verbi Dei nuntium aut pauperem esse, aut non diu divitem manere, atque hinc nata est una hodie omnium excusatio, qua se excusant, quod non docent et dicunt veritatem, nempe, quod hinc sit secutura ruina ecclesiae, monasterii et patrimoniorum Christi, et non parum gutturi et ventri detrahendum. Quare ut guttur maneat et sit eo patentius sepulchrum, laevificanda est lingua, blandiendum est vulgo, connivendum vitiis, tum si sunt majores, etiam vitia pro virtutibus jactanda, quidquid dixerint, fecerint, non fecerint, ut divina oracula habenda, contraria vero omnia haeretica et impia arguenda, persequenda. Tunc enim tutum erit guttur, satis securus venter, tum non excommunicaberis, nec praebenda privaberis, quin si amplius linguam laevificaris, et blandius adulatus fueris, dilata guttur tuum, erit patentius sepulchrum, et venter tuus distendetur, obrueris beneficiis et donis, ornaberis laudibus, aurei erunt tui sermones, digni cedro tui libelli, et quidquid calcaveris, rosa fiet.

His adulatoribus mundum esse hodie refertum,

credo cuivis expositum esse, quando et religiosi ipsi in hoc linguae laevificandae studium toti aestuant. Ita fit, quod Ezechiel dicit c. 13.: „Vae qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas. Et cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, et violabant me (id est, veritatem, falsam de me opinionem docendo) ad populum meum propter pugillum ordei et fragmen panis, ut interficerent animas, quae non moriuntur, et vivificarent animas, quae non vivunt, mentientes populo meo, credenti mendaciis."

Quae sententia pulcherrima quid velit, et quemodo hunc locum totum exponat, sequitur: „Dirumpam cervicalia vestra (id est, blandos sermones et χρηστολογίας, ut apostolus vocat) et liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt in manibus vestris ad praedandum." Ecce guttur et pugillum ordei etc. Sequitur vero: „Propterea quod fecistis moereri cor justi mendaciter (oportet enim adulatorem non modo falsa impios docere, sed etiam vera justi dogmata persequi, alioquin guttur ejus cito claudetur), quem ego non contristavi, et confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, ut viveret, propterea vana non videbitis, et divinationes amplius non divinabitis etc." Patet ergo nostrum translatorem dolosam linguam intelligere adulatricem et blandientem linguam, quae pro terrenis his rebus impia impios docet, et pia piorum persequitur. Ideo in ore eorum non est rectum, et interiora vana, perversa, insidiosa. Sic *) patet sensus hujus versus.

*) In edit. princip.: Et.

Displicet mihi ipsi prolixa ista mea verbositas et incomposita saliva, quod tot verbis inculco brevissima verba spiritus. Verum quando considero me non doctis nec acutis nec ingeniosis scribere, sed simplicibus et vulgaribus maxime clericis, videor mihi nimio adhuc brevis et parcus esse, praesertim in his rebus, quae ut summe sunt necessariae scitu, ita superstitionibus et idololatriis per orbem oppressae, cordibusque hominum jam longo usu alienae, ut mihi opus videatur esse vel continuis tonitruorum vocibus, quibus terrestris homo concutiatur et expergiscatur. Quare delicatus lector aut haec non sibi scripta noverit, aut memor sit, se patientiam debere infirmioribus et rudioribus, sinatque me exemplo Iacob patriarchae, Gen. 33. cum turmis parvulorum et ovium et boum paulatim eorum vestigia sequi, sicut videro eos posse; ne, si plus eos ambulando laborare fecero, moriantur una die cuncti greges etc.

Iudica illos, Deus, decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te.

Prior particula hujus versus apud nos ad praecedentem nectitur, nec ad sensum hoc multum facit. Propheta impios hypocritas et operarios iniquitatis, hucusque descriptos et accusatos, jam petit tales decerni judicio divino, quod judicio hominum probentur, excusentur et defendantur, tanquam justi et veraces, nec possit eis hoc nomen auferri, quasi cum Hiere. 5. dicat: „Stupor et mirabilia facta sunt in terra, prophetae prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia.

Quid igitur fiet in novissimo ejus?" Quis enim resistere possit iis, qui suffragio et vulgi et majorum tuti sunt? At sic habent impii operarii adversus unicum veritatis praeconem. Ideo necesse est eum multas scandalosas, seditiosas, offensivas piarum aurium, erroneas et haereticas propositiones proferre damnandas tam sacerdotum et principum quam populi judicio. Ipse interim quid? Unum hoc, quod orat Deum pro sententia, ei causam commendans.

Hebraeum verbum, quod „judica illos" versum est, Hiero. vertit: Condemna eos. Significat proprie hoc judicium, quo ostenduntur, quales sunt, revelata eorum impietate, quo sensu et Paulus loquitur 2. Timo. 3.: „Insipientia eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit, ultra non proficient," quasi dicat propheta: Fac, ut, sicut modo omnibus probantur, amantur, jactantur, ita revelata eorum insipientia odiantur, ejiciantur, detestentur, ut homines videant sese probasse male, quod tu damnasti. Hoc enim vidimus et videmus in omnibus haereticis obtigisse, ut primum quidem hominibus placuerint, sed postea dissipata sunt ossa eorum (ut Ps. 53. dicitur), confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Interim ferenda est eorum gloria et jactantia et plausus et pompa. „Ego vero (ut Hiere. 20.) interim factus sum in derisum tota die, omnes subsannabant me, quia jam olim loquor vociferans iniquitatem, et vastitatem clamo. Et factus est mihi sermo domini in opprobrium et in derisum tota die etc." Non ergo tantum ad extremum judicium haec pertinent, sed est oratio, ut veritas triumphet judicante Deo, quam illi opprimunt judicante humano die. Iudica tu Deus, quia male judicant homines.

„Decidant a cogitationibus suis." „Cogitationes"

hoc loco eadem dictio est, quae Ps. primo consilia impiorum significavit. Quare non simplices cogitationes, sed, ut ibi et jam satis dictum est, impias opiniones, sensus, mentem, dictamina rationis de Deo divinisque operibus et verbis, humanitus inventas et doctrina aliis traditas, intelligimus. Unde tapinosis est in utroque, in „cogitationibus" et in „suis." Suae sunt, non Dei cogitationes, juxta illud Isa. 55.: „Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, nec viae meae viae vestrae, quoniam sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris." Quid his verbis indicat, nisi cogitationes hominum quantumlibet sanctas esse terrenas, vanas et mendaces, juxta illud Ps.: „Deus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt."

Ita cogitationes appellat ταπεινωσικῶς tanquam vagos et instabiles animi motus (hoc enim est cogitatio), quae illis videntur stabiliora et perenniora decreta marinis rupibus. Sed et Paulus Heb. 13., cum monet, ne variis et peregrinis doctrinis abducantur. Et Ephe. 4.: „Ne omni vento doctrinae circumferamur." Has vagas muscas Aegypti plaga satis significat, Christus quoque Iohannis doctrinam ob idem negavit arundinem esse, quae vento agitetur, Matth. 11. Nostra autem fidei doctrina firma petra, rupes, saxum est, irridens tam ventos quam fluctus maris totius in aeternum, ideo et justitia ejus in saeculum saeculi.

Verum quid hoc, quod non cogitationes, sed ipsos cadere optat? B. Aug. arbitratur hunc versum esse prophetantis, non orantis, aut, si orantis est, orari, ut bene cadant, et mutentur ad sanas Dei cogitationes, et placet ejus sententia. Verum tropus

iste hypallagicus adhuc urget, qui mihi videtur esse similis sententiae cum illo Ps. 81.: „Divertit ab oneribus dorsum ejus," quod videlicet in mundo, ubi regnant principes tenebrarum, frustra quisquam moliatur, ne sint impiae doctrinae et cogitationes, cum necesse sit venire scandala. Verum id curandum, ut nos a doctrinis et cogitationibus ipsis avertamur, quae nobis pertinaciter nituntur adhaerere, et adeo non cadunt a nobis unquam, ut assidue etiam irruant in nos, et obstinatissime impugnent.

Quae si ita sunt, apparet eos, qui nullas volunt reliquas haereses, errores, impietates exsistere, aliud nihil conari, quam ut exustis haereticis ipsi soli sint libere haeretici. Pugnam enim, non otium nobis indicat hic versus contra cogitationes hominum, dum non ipsas, sed homines ab eis cadere precatur. Glutino enim omnium tenacissimo et fornicatissimo amore sibi adhaerent cor humanum et suum consilium, ita ut magna et vi et opera etiam gratiae Dei opus sit. Cadere autem potius quam avertere voluit dicere, quod a superbia ad humilitatem venire eos optat. Cogitationes enim inflant, ut se peccatores non possint agnoscere, nec humiliari ad gratiam Dei.

Qui vero volet prophetantis sensum sequi (qui mihi placet), facile et hoc faciet, quod impii cadent a suis cogitationibus, quando fiducia earum ruit, ita ut nequeant eas stabilire, non secus atque in structura Babylonicae turris monstratum est (nam illic officium, studium, opus et finis impiorum doctorum pulcherrime adumbratum est), ubi quod coeperant, non poterant consummare. Quod et Christus in parabola aedificantis turrim depinxit. In hoc sensu Ps. 21. loquitur: „Cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire."

Cadunt ergo a consiliis perficiendis, dum pereunt, relicto post se monumento, quo omnes vident, quid fuerint machinati, et non praevaluerint, sicut Ariani ceciderunt, sed memoria eorum et cogitationes eorum ab eis desertae et non perfectae omnium irrisioni et fabulae reliquae sunt. Tale judicium hic propheta et praedixit et imprecatus est omnibus impiis cogitationum suarum magistris et operariis, ut cadant, ut non perficiant, quae cogitant adversus pietatem. Hoc fit, cum judicantur a Deo (de quo dictum est), donec enim judicantur ab hominibus, crescunt et surgant in cogitationes suas.

Cur etiam non simpliciter dixit: „Expelle eos," sed addit „secundum multitudinem impietatem eorum"? Ac verbum „expelle" dispersionem in heb. significat, quomodo auctores turris Babylonis divisi et dispersi sunt in omnem terram, et cessaverunt aedificare civitatem, Gen. 11. Quod et b. virgo dicit: „Dispersit superbos mente cordis sui." Cui rei cum suis vulpibus praelusit Samson Jud. 15. Sic enim regnum in se ipsum divisum desolatur. Neque enim ulli unquam haeretici victi sunt vi aut astu, sed mutua dissensione, nec aliter cum eis pugnat Christus, quam mixto inter eos spiritu vertiginis et dissensionis, sicut inter Sichimitas Judic. 9., inter Babylonicae turris operarios, et in novo *) testamento inter Arianos, Donatistas, Pelagianos. Sed et Judaei novissima vastitate perierunt dissensione, ita ut Hilarius, sanctus vir, glorietur in li. de tri., bellum haereticorum esse pacem ecclesiae, ad dissensionem enim eorum sequitur et corporalis eorum dispersio.

*) In edit. princip.: nostro.

Hoc Christus nimirum significat, cum fortem armatum armis spoliandum ita describit, ut universa distribuenda et dispergenda asserat, in quibus ille confidebat. Sic et Oseas 10. similem iniquitatum multitudinem describens, divisione eos perituros denuntiat, d.: „Vitis frondosa Israel, fructus adaequatus est ei, secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terrae suae exuberavit simulachris, divisum est cor eorum, nunc interibunt, ipse confringet simulachra eorum, depopulabitur aras eorum.“ Quae verba aptissime hunc versum exponunt: Quid enim multiplicatio altarium secundum multitudinem fructus sui significat nisi illud: Israel crevit in multas civitates, et tot sibi altaria erexerunt? juxta illud Hiere. 2.: „Secundum numerum civitatum tuarum erant Dii tui Juda.“ Qua divisione mox sibi accelerant dispersionem, dum unaquaeque pars alterius optat ruinam, quo sua solius statuat.

Est ergo sensus: Multis modis sunt impii, multas superstitiones et idololatriae varia genera perpetrant, sunt in se ipsos quoque divisi, sicut pharisaei et sadducaei, et eorundem nostro saeculo aemuli, quare secundum hanc disperge eos, ut desinat eorum impietas, amisso concordiae robore. Quae si vera sunt, videtur ecclesiae imminere grandis persecutio, vastitas et dispersio, quae in tot sectas divisa, membris sibi misere pugnantibus, vehementi conquassatione minatur ingentem ruinam. Non jam tot altaria, quot civitates, sed paene quot capita. Adeo periit fraterna caritas, sine qua quidquid vivitur, idololatria sit necesse est, quia non quaeritur id, quod Dei est, quo fit, ut omnium sacerdotum et religiosorum populorumque speciosas conversationes posthabita caritate (sicuti nunc est ec-

clesiae facies) recte appelles multitudinem impietatum, secundum quam et divisi sumus, et dispergemur propediem unusquisque, ut Isa. 53., in viam suam, sicut nobilissime (ut dixi) vulpes Samsonis figurant, vultibus disjunctis, caudis igne conjunctis.

„Quoniam irritaverunt te," heb.: Amaricaverunt te. Diximus, prae ceteris peccatis hoc maxime urere et exacerbare et amaricare, quod id omittitur, quod praeceptum est, et aliud fit velut melius, quod non est praeceptum, אָוֶן scilicet, ipsa inobedientia, idololatria, operatio iniquitatis. Ideo propheta eis tribuit, quod irritant et amaricant Deum, quod et alii prophetae faciunt, ubi domum Israel amaricatricem, exasperatricem, irritatricem, exacerbatricem (ut dictum est) appellant.

Notandum vero, quod nomen „impietatum" hoc loco aliud est a vocabulis praecedentibus. Non enim אָוֶן aut רֶשַׁע, sed פֶּשַׁע hic ponitur, quod generale nomen est ad omnem transgressionem. Isaiae 1.: „Filios enutrivi, ipsi autem spreverunt me," id est, peccaverunt in me, seu transgressionibus suis spreverunt me. Unde et Hiero. transtulit: Secundum multitudinem scelerum eorum. Quae autem sint illae transgressiones in specie, superius recensuit, d.: „Non volens iniquitatem tu es." Vult enim his omnibus, multis modis eos peccasse, transgressos et praevaricatos esse, ita ut etiam irritarint Deum, dum ei placere sibi viderentur. Quare multitudo impietatum non modo dicitur, quod secundum praedicta in multas divisi sunt sectas, sed quod quaelibet quoque secta his multis modis peccet, quos in septenario praedicto descripsit.

Et laetentur omnes, qui sperant in te, in aeternum exsultabunt, et habitabis in eis, et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.

Omnia haec unus versus in hebraeo. B. Hiero. sic: Et laetentur omnes, qui sperant in te, in perpetuum laudabunt, proteges eos, et laetabuntur in te, qui diligunt nomen tuum. Ubi noster „gloriabuntur" pro laetabuntur dixit. Sed et alias variant mire in his affectuum verbis translationes, ut nonnisi in fonte hebraeo constans illorum possit ubique haberi differentia.

Quatuor affectuum verba hic videmus cumulata, laetari, sperare, exsultare, gloriari. Sed et illud: „Habitabis in eis," prope affectum spei indicat. Quomodo ergo differunt? Difficile hoc est invenire, quod rari sint hi affectus et ardui, nec nisi experto cogniti et docibiles. Hoc unum certum est, juxta Psalmi totius sensum, loqui eum de gaudio et securitate cordis, non quae in remotione malorum exteriorum (ubi patientia regnat proprie), sed in remissione peccatorum, puritate et fiducia conscientiae (ubi spes regnat) habentur. Hoc enim egit, ut doceret, qua via justi et pii fierent, scilicet misericordia et timore Dei, non operibus iniquitatis. Omnes autem quaerunt gaudere et laetari, sed non omnes recte quaerunt, ideo nec inveniunt. Quare hunc versum in duo dividamus, ut sit velut tautologicus, idem hoc, quod dicit: „Et laetentur omnes, qui sperant in te, in aeternum exsultabunt et habitabis in eis," cum iste: „Et gloriabuntur in te, qui diligunt nomen tuum."

Videtur namque hos laetitiae affectus opponere potissimum פֹּעֲלֵי אָוֶן, id est, operatoribus iniquita-

tis, seu (ut frequentius transfertur) doloris, quod, ut dictum est, haec idololatria et operum species sit labor stultorum, qui affligit eos, et tristes reddit, nunquam autem vere laetificat cor, sicut dicunt Mal. 3.: „Et quod emolumentum, quia ambulavimus tristes coram domino," et Isa. 58.: „Jejunavimus, et non adspexisti, humiliavimus animas nostras, et nescisti," et cetera per totum capitulum cum sequente, late hanc miseriam tractantia.

Vis ergo scire, ubi sit vera cordis laetitia? „Laetentur, inquit, qui sperant in te." Stat haec diffinitio certa et sententia firma, non in operibus, non in rebus ullis, sed in spe pura cor hominis laetatur, praeter quam spem, qui quaerat aliunde laetari, sudabit multum, frustraque laborabit, sed et cum haemorrhoissa evangelica, substantia in medicos consumta, pejus habebit, sicut contingit iis, qui conscientia perturbata huc illucque discurrunt, nunc hos, nunc illos consulentes, nunc haec, nunc illa facientes, omniaque tentantes, quo cor suum quietent, spem vero, quae sola quietat, quam et ipsi apud se ipsos habere possunt, non quaerunt. Ad has carnificinas cooperantur mendacii magistri, dum imprudenter docent opera, satisfactiones, indulgentias, peregrinationes, et falsas tradunt consolationes, et similibus negotiis in tenebris ambulantibus seducunt, sicut est hodie illorum omnium nullus numerus.

Cum vero spes ista per Psalterium toties doceatur, digrediemur hoc loco paulo fusius, ut semel pro omnibus vim et modum spei cognoscamus. Sunt enim haec trepidis et pusillis conscientiis scitu necessaria valde.

Igitur sicut impatientia, tristitia, confusio proprie et primo non proveniunt ex multitudine vel magnitu-

dine afflictionum, adversitatum, malorum quorumcunque, sed potius ex affectu talia exhorrescente, et contraria, prospera, jucunda, gloriosa appetente insipienter: ita desperatio, tristitia spiritualis, confusio perturbatae conscientiae non proveniunt proprie et primo ex multitudine et magnitudine peccatorum, sed ex affectu potius peccata exhorrescente et copiam bonorum operum, justitiae, salutis quaerente insipienter.

Prior pars clara est, quia hic dicit: „Laetentur in te omnes, qui sperant in te." Si omnes, qui sperant, laetabuntur in domino, nullos exceptos sinit intelligi, nec eos, qui in tribulatione sunt, imo de his ipsis maxime loquitur, quod in domino laetantur, dum in se ipsis vel hominibus tristantur. Hi sunt fideles Christi, in quibus ut abundant passiones Christi, ita et consolationes ejusdem, ut apostolus loquitur. Sciunt enim, ubi et in quo laetandum et gloriandum sit, nempe in domino. Ideo per hanc suam sapientiam non tristantur, non confunduntur, non impatientes fiunt, quia nec affectant prospera, jucunda, gloriosa. Quare per medium transeunt tam bonorum quam malorum, sicut scriptum est: „Non conturbabit justum, quidquid acciderit ei," et Proverb. 28.: „Fugit impius nemine persequente, justus quasi leo confidens absque terrore erit."

Qui vero ignorant et insipientes sunt, nec volunt scire, quod in Deo sit laetandum et gloriandum, quid aliud faciunt, quam ut tristentur, perturbentur, impatientes fiant, non quia adversa et tristia veniunt, sed quia his venientibus affectu suo stulto non ad Deum, sed post sua prospera et jucunda respectant. Sic fugiunt et non effugiunt, quia non quo fugiendum est, fugiunt. Quare universa cujuslibet tristitiae causa est

affectus laetitiae et gloriae insipiens, quibus nisi esset agglutinatus, nihili facerent adversitates, ut sit verissimum proverbium: Mundus regitur opinionibus, et tales cuique res, qualis opinio rerum, contemtae nulli, neque nocent, neque prosunt, aestimatae autem tum prosunt, tum nocent.

Altera pars similiter certa est, quia multi et magni peccatores salvi facti sunt, et ipsi quoque, quos hic laetari dicit in domino, cum Job utique dicent: „Non poterimus ei respondere unum pro mille.“ Ac per hoc multitudinem et magnitudinem habent peccatorum. In quibus utique Deus ostendit, desperationis causam non esse multitudinem peccatorum, sed insipientiam affectus bona opera quaerentis in tempore conscientiae perturbatae, quae opponat peccatis eum urgentibus. Putat enim (opinione perdita) operibus peccata potuisse ac posse vinci. Quae ubi non invenit, nesciens, quod ad Dei misericordiam sit suspiciendum, necessario desperat, non secus atque ille necessario impatiens fit, qui neglecto Dei respectu bona quaerit malis opponere, ac non habet, non enim ulla opera vel contra unum peccatum, etiam veniale sufficiunt.

Sic enim infelix conscientia morituri impii et ad judicium Dei properantis dicit, secumque disputat: O me miserum, si nunc multa bona fecissem, si nulla mala fecissem, si mundus permansissem! Quid haec verba plena stultitiae et impietatis omnium maxime indicant, nisi hanc sententiam Augustini esse veram: Percutitur etiam hac animadversione impius, ut moriens obliviscatur sui, qui, dum viveret, oblitus est Dei? Quaerit bona et odit mala, et non sentit se nunquam tam male egisse et minus bona quaesisse, quam hac ipsa hora, qua haec dicit et insipientissime sapit, probat enim se non in Deum sperare, sed in opera praesumere, quia,

si vellet sperare, Deum haberet adhuc praesentem, in quem posset sperare. Qui in opera praeterita respicit, ut praesumat, quae merito tunc non sunt, in quae praesumat. Si propter opera in Deum sperat (siquidem tunc confidentius et laetius in Deum sperare somniat, si copiam ante se videret operum), convincitur magis in opera quam Deum sperare, quo quid horribilius et magis impium?

Justi vero, etiamsi peccant, non desperant, quia sicut inter mala corporalia (id est passiones hujus vitae) et bona transeunt medii, ita et inter mala spiritualia (id est, peccata) et bona nec praesumentes, quod bene vivunt, nec desperantes, quod peccant, scientes in neutro horum eis esse sive laetandum seu tristandum, ut quae sciant esse dona Dei, aut donorum Dei ablationem, ipsi vero in ipso datore fixi haerent. Hoc est, quod Proverb. 24.: „Septies cadit justus et resurget, impii vero corruent in malum," id est, non resurgunt, sed desperationis malum incurrunt. Si enim speras vel sperares, quando bona egisses, multo magis tunc sperandum est, quando mala egisti, ne dicatur tibi illud Ps. 49.: „Confitebitur tibi, cum benefeceris ei," et illud: „In tempore tentationis recedunt," neve addas iniquitatem super iniquitatem et inobedientiae blasphemiam.

Unde vehementer metuendum est, ne contingat impiis utrumque malum, quod sicut in Deo laetari et gloriari sibi videntur, qui gloriam et prospera omnia habent, cum revera non in Deum, sed in ejus dona, prospera scilicet confidant, sicut probat tentatio, ita et in domino sperare se quam fortissime putent (praesertim hoc nostro tempore periculosissimo et larvis operum occupatissimo), qui sancte, religiose et (ut

vocant) observanter etiam vivunt, cum *) vere in suam sanctitatem ignorantes sperent, ut probabit hora mortis. Ubi cum ad judicium venerint, confidentiusque moriuntur, quod sibi conscii sunt bonae vitae, qua fiducia in Deum sperant (id est, spem veram pessundant), fiet eis sicut illi, qui super truncum in aqua natantem pedem posuerit, et subito ruit in profundum, seu sicut Isaias 30. de eis dicit: „Propterea erit vobis iniquitas haec sicut interruptio cadens et requisita in muro excelso," quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus.

Igitur sicut patientia, quae in prosperis est, nulla est, ita spes, quae in meritis est, nulla est, atque quam facile aut possibile est patientiam habere in prosperis, tam facile est spem habere in meritis, utrobique enim periculum est, illic ne securus superbiat, hic ne justitia inflatus timorem Dei (id est, exercitium spei) posthabeat, patientiae siquidem natura est, nonnisi in adversis esse, ita spei natura non est, nisi in peccatis esse. Facienda ergo peccata, ut sperare valeamus? Absit, abunde jam assunt, quae fecimus, et in quibus nati sumus, ut spei sat magnum sit certamen adversus illa, quando nec opera bona sunt, nisi peccata coram Deo.

Crudelis itaque Deus, qui omnia nostra damnat? Non, sed inaestimabilis Dei misericordia, ut se nobis communicaret, et fiduciam nostri a nobis tolleret (quae unice adversatur ejus misericordiae) dedit legem, qua conclusit omnes sub peccato, ut omnium misereatur, Ro. 11., quia ubi non est lex, nec peccatum, ubi non est peccatum, nec misericordia, ubi non est misericordia, nec salus, ubi non est salus, nec Deus. Atque

---

*) In edit. princip.: qui.

ita virtus peccati lex, virtus autem legis misericordia, virtus misericordiae spes, virtus spei salus, virtus autem salutis Deus per Jesum Christum dominum nostrum, quoniam ipse est Deus salvos faciendi, et dominus Deus exitus mortis, Ps. 68. Lex siquidem operatur nobis peccatum, misericordia operatur (id est, implet) legem, spes misericordiam, salus spem, Deus salutem et omnia in Christo. Ita descendit salus a Christo Deo adusque peccatum, et nos a peccato adscendimus ad salutem usque in Christo homine.

Ex his hoc sequitur: Sicut in temporalibus bona ideo dantur a Deo, ut per ea Deum magis discamus colere, sperare et amare, ubi vitio nostri affectus fit, ut difficilius et minus, imo facilius et magis in adversis colatur, speretur, ametur, ita in spiritualibus bona gratiae et merita donantur a Deo, ut per ea in Deum sperare abundantius doceamur, et ecce vitio nostri affectus in illa praesumentis fit, ut minime omnium per haec speretur, sed facilius in peccatis sperare contingat, ita ut divinae bonitati necessarium visum fuerit, erigere crucem, et per ejus praedicationem salvos facere credentes, stultos et peccatores, reprobare vero sapientes et sanctos, ut 1. Cor. 1. dicit: „Nos praedicamus Christum crucifixum, Graecis quidem (sapientibus) stultitiam, Judaeis vero (id est, sanctis) scandalum, ipsis autem vocatis Judaeis et Graecis (id est, peccatoribus et stultis) virtutem Dei et sapientiam,“ et cetera ibidem pulchre.

Quocirca sicut periculosissimum est hominem in prosperis semper relinqui, quod aut nunquam aut rarissime discit diligere Deum, ita magis periculosum est relinqui hominem in multis meritis et gratiis Dei usque ad mortem, quia vix unquam discet in Deum sperare.

Proinde fit Deo miserente, ut non modo cadant in perturbationem conscientiae, sed etiam, si sunt crassioris duritiae, aliquando in opus manifestarium peccati, scilicet fornicationis, aut similis sceleris, tantaque cura illos Deus servare cogitur, ut contra misericordiam suam eos ad misericordiam perducat, et per peccatum a peccato liberet.

Verum haec insolita sunt multis, objicerent fortassis: Ergo tantummodo peccandum est, et bona prorsus omittenda, seu (ut apostolo quoque eadem docenti objiciebatur) faciamus mala, ut veniant bona? Videmur enim sic dicentes viam aperire peccandi, et bona prohibere, velut noxia ad salutem. Respondemus.

Bona opera non modo non prohibentur, sed maxime commendantur istis verbis, et peccata optimo magisterio *) penitus tolluntur, dum ab intra bona procedere, et peccatum intus occidere docent. Solus enim affectus ille, (serpentis antiqui caput) occultissime et subtilissime carnalis, qui istis operibus confidit, et spei, quae est in Dei sola misericordia, contentiosissime resistit, conterendus, eruendus, perdendus est, et intelligendum, quod, si bona vita acta non fuerit, non ideo desperetur, nec ideo speretur, quia acta bona fuit. At illud difficile, hoc autem difficilius, quia in illo pugnatur solum contra peccata, in hoc autem simul contra bona opera et peccatum, id est, affectum praesumtionis in bonis operibus.

Nam cum dico, patientiam non subsistere in rebus prosperis, numquid ideo res, potestatem, pacem, vitam damno, cum sine his non vivatur, et sint Dei optimi bonae

*) Edit. princip. † a c.

creaturae? Minime *), sed affectum illorum damno, ita ut res ipsae quandoque cogantur vocabulo se indigno vocari; ut quod vanae vocantur apud Ecclesiasten, et spinae in evangelio per Christum sine omni suo vitio, sed ob alterius vanitatem, ut Ro. 8. apostolus dicit: „Sub qua ingemiscit subjecta, non volens.“ Ita et haec optima opera impiorum, cum sint dona Dei, quibus nonnunquam alii juvantur, et ipsi perduntur, sine suo vitio, sed illorum contagio vocantur אָוֶן, iniquitas, idololatria, inobedientia. Ita de illis Moses Deutr. 20. in velamine vultus sui loquitur: „Uxorem duces, et alius dormiet cum ea, domum aedificabis, et non habitabis in ea, plantabis vineam, et non vindemiabis eam,“ et alia quam plurima in hunc modum, quo eis laborem, alienis fructum praedicat futurum. Quid enim aliud ibi statuit, quam facere quidem eos bona, sed quibus ipsi puniantur, alii juventur.

Ex quibus illud dissolvitur argumentum quorundam, quomodo opus extra gratiam factum sit peccatum, ut dare eleemosynam, subvenire egenti et similia? quasi vero Christus ignoret prophetare et virtutes facere in nomine suo et audire verbum suum esse bona, quae tamen damnaturus pro iniquitatibus dicet: „Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem,“ Matth. 7. aut si meretrix ornetur auro et gemmis, necesse sit illam non in his, quae bona gerit, peccare. Igitur aliis prodesse possunt impii et bona facere sibi nequaquam, Deus potius per illos operatur, qui operatur omnia in omnibus, etiam in malis.

Haec omnia hoc probantur firmamento, quod una

*) Hoc vocab. in edit. princip. deest.

omnium sententia spes sit virtus theologica, nonnisi solum Deum habens pro objecto (ut vocant), Deus autem bonitas est et misericordia nostra, nobis promissa. Ubi si quis in aliud quam promissam misericordiam (id est, Deum) sperat, jam praesumit amissa spe. Idem facit, qui simul cum meritis in Deum sperat. Sicut Deus non potest amari cum alio *) (ut b. Aug. sentit), quia tunc non super omnia amatur, ita nec in eum potest sperari cum alio quopiam, quia non super omnia speratur in eum. Sed nec credi potest in eum cum alio; quia non creditur in eum super omnia. Adeo istae tres virtutes sunt divinae, tantummodo divinum objectum, subjectum operatorem, opus, artem, modum obtinentes. Hic enim sponsus cum sponsa secreta cubilis capit, solus cum sola, ubi in ceteris operibus per filias Hierusalem aut sodales res geruntur, ceteri omnes claudicant in duas partes, Baal suum colentes simul cum Deo.

Denique eo quoque probantur haec dicta, quod spes sit rerum non apparentium, sicut fides et caritas, Ro. 8.: „Spes, quae videtur, non est spes, quod videt quis, quid speret?“ sicut qui credit, quod videt, quid credit? Qui diligit, quod videt, quid diligit? Nihil profecto, nisi carnale spectrum longeque inferius Deo, id est, non rem, sed larvam. At qui in opera sua sperat, videt, tenet, habet, sentit, in quo nitatur, non in promissorem invisibilem, insensibilem, incomprehensibilem, quem verbo solo audivit sibi significari. Ardaissima, asperrima, durissima sunt haec carni nostrae, quia mors ejus in his regnat.

---

*) Verba „in Deum — — cum alio“ in edit. princ. desunt.

Proinde quae in Canticis de sponso et sponsa velut lascivo et de hominum carnali amore dicuntur, imo et omnia, quae inter sexum maris et foeminae etiam num geruntur, non significant nisi extreme contraria voluptatibus illis, nempe fidei, spei, caritatis perfectissima opera, hoc est, mortem et infernum, sicut ibi dicit: „Fortis ut mors dilectio, et dura sicut infernus aemulatio," et iterum: „Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam, si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam." Quae de libidinis ardore intelligi nequaquam possunt.

Multi multa de theologia mystica, negativa, propria, symbolica moliuntur et fabulantur, ignorantes nec quid loquantur, nec de quibus affirment, neque enim quid affirmatio aut negatio sit aut quomodo utra fiat, noverunt, nec possunt commentaria eorum citra periculum legi, quod quales ipsi fuerunt, talia scripserunt, sicut senserunt, ita locuti sunt. Senserunt autem contraria negativae theologiae, hoc est, nec mortem, nec infernum dilexerunt, ideo impossibile fuit, ut non fallerent tam se ipsos, quam suos lectores.

Haec admonendi gratia dicta velim, quod passim circumferuntur tum ex Italia tum Germania commentaria Dionysii super theologiam mysticam, hoc est, mera irritabula inflaturae et ostentaturae se ipsam scientiae, ne quis se theologum mysticum credat, si haec legerit, intellexerit, docuerit, seu potius intelligere et docere sibi visus fuerit. Vivendo, imo moriendo et damnando fit theologus, non intelligendo, legendo aut speculando.

Rursum illud apostoli Ro. 5. objicitur: „Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio

vero spem, spes autem non confundit." Hic certe apostolus spem in merita collocare videtur, ita ut hinc magister sententiarum cum universa theologorum turba diffinitionem spei amplectantur illam: Spes est certa exspectatio praemii ex meritis proveniens. Neque enim aliam spem illi habent, nisi quae est in meritis. Ex qua sententia quid aliud potuit sequi, quam ruina universae theologiae, ignorantia Christi et crucis ejus, et oblivio (ut apud Hieremiam queritur) Dei diebus innumeris?

Quid autem nobis ad hoc dicent, quod fidem, spem, caritatem ipsimet confitentur infusas esse virtutes et principia omnium bonorum? Neque enim etiam ipsi merita ante caritatem fieri dicunt. Tum cum caritate simul infundi spem et fidem constanter asserunt, ergo eorum quoque sententia, non spem ex meritis, sed merita ex spe provenire certum est, et tamen spem diffinientes vertunt hanc sententiam, sibique contradicunt, spem ex meritis producentes.

Deinde quid ad apostolum dicent, cum ille patientiam opus tribulationis ponat? At quis sine spe toleret quidquam tribulationis? Desperans enim non ad patientiam, nec ad probationem, nec ad gloriationem in tribulatione pervenit unquam, sed contra pejor fit tribulatione semper, ut Matth. 7. de domo super harenam aedificata Christus docet, cujus ruina magna fit irruentibus ventis et fluminibus. Quod et de semine, quod supra petram cecidit, significat, quod natum oriente sole aret, ut qui in tempore tentationis recedunt, unde spem in principio tribulationis adesse oportet.

Sed et illud vide, spes solum ex meritis provenit, nullus ergo peccator sperabit, sed solus justus? Quis tam ad poenitentiam convertetur? Ubi erit justus, si

nullus peccator poeniteat? At quomodo poenitebit, nisi speret misericordiam Dei? An dicendum est morituro peccatori: Absit a te, noli sperare, non habes merita, ex quibus tibi spes possit provenire? Hoc jam esset non theologisare, sed diabologisare. Hujus enim tunc potissima vox est: Noli sperare, quia cares meritis, cum in morte sit prima, summa, optima omnium spei officina, et ipsa mors spei sit artificiosissima operatrix. Falsissima ergo est diffinitio ista spei, et potius confitebor me non intelligere verbum apostoli, quam eam diffinitionem spei admittam ex ipso formari.

Delirabo itaque meo sensu. Primum certum est gratiam, id est, fidem, spem, caritatem non infundi, nisi peccatum effundatur simul, hoc est, peccator non justificatur, nisi damnetur, non vivificatur, nisi occidatur, non adscendit in coelum, nisi descendat ad inferos, ut habet tota scriptura. Quare in gratiae infusione necesse est esse amaritudinem, tribulationem, passionem, sub quibus gemit vetus homo, sui occasum aegerrime ferens. In qua tribulatione si patiens sit et exspectet operantis manum et gratiam sibi infundentem, probatus est, et obtinebit spem, fidem, caritatem, quae hoc negotio infunduntur. Quod fit, quoties nobis nostraeque voluntati contraria contingunt, et eo magis, quo magis contraria.

Iste, inquam, est modus non modo primae gratiae infundendae, sed et cujuslibet ejus sequentis augmenti. Semper enim magis ac magis crucifigitur vetus homo expellitque peccatum, ingrediente semper magis ac magis gratia usque ad mortem, juxta illud Apo. 22.: „Qui justificatus est, justificetur adhuc, et qui mundus est, mundetur adhuc,“ et Johann. 1.: „Gratiam pro gratia accipimus,“ et juxta Paulum Ro. 1.: „Justifica-

mur ex fide in fidem," „transformamur de claritate in claritatem," „imus de virtute in virtutem," Ps. 84. Ita de spe in spem proficisci recte dicemur.

Perspicuum ergo est, apostolum non tam loqui de spe ipsa obtenta, quam de certitudine cordis in spe, dum homo post tribulationem et infusionem spei (quando sibi sine spe videtur esse) sentit se sperare et credere et diligere. Tunc enim gustatur, quam suavis sit dominus, et incipit homo esurire et sitire, magis pati, quo spem majorem operatur tribulatio. Quare necesse est fidem, spem, caritatem esse in cujuslibet boni operis et passionis initio, et tamen post opus et passionem ea, quae latuit, fit manifesta, ut, qui probati sunt, manifesti fiant, quomodo Job tentatus est et Abraham, ut cognoscerentur etiam sibi ipsis, et certi fierent se credere, sperare, diligere Deum, sicut dictum est ad Abraham: „Nunc cognovi, quod timeas Deum," id est, cognoscere te feci, ut Aug. exponit.

Oportet enim non modo credere, sperare, diligere, sed etiam scire et certum esse se credere, sperare, diligere. Illud in abscondito tempestatis, hoc post tempestatem agitur. Sic et Petrus docet nos satagere, ut per bona opera certam faciamus vocationem nostram, quando aliud est esse aut fieri bonum, et aliud nosse bonum esse vel factum. Non secus atque vir sanguinum et dolosus, si irritatur, invenitur vir sanguinum et dolosus, qui antea suavis et simplex videbatur, etiam sibi ipsi. Ita crux operatur in his, qui sustinent et probantur, ad finem usque spem solidam (id est, incipit, auget et prodit, et certam ac cognitam facit), in his, qui non sustinent, sed reprobi inveniuntur, statim ab initio desperationem impotentissimam. Hinc

Taulerus, homo Dei, et omnes*) experti dicunt Deum suis filiis non esse unquam gratiorem, amabiliorem et dulciorem ac familiariorem, quam post tribulationis probationem.

Hanc sane spem apostolus hic produci dicit probatione. Sicut et filii patrem carnis dulcius amant post virgam, qua verberati sunt, ita carni contraria voluptate sponsus sponsam suam afficit Christus, nempe post amplexus, amplexus vere ipsi mors et infernus sunt. Hic viget et regnat sacramentum illud magnum: „Erunt duo in carne una,“ Christus et ecclesia, vere magnum, quia durissimum sed suavissime producens fructus, prolemque Deo simillimam, opera prorsus inculpata, quia sic vitis purgatur, ut fructum plus afferat. Quod si de quolibet gradu spei verum est, ex probatione eam fieri, quanto magis de perfecta hoc dicere et sentire credendus apostolus, quae multis ac diversis tribulationibus emergit.

Videamus nunc verba apostoli, qui spem vocat opus probationis, probationem patientiae, patientiam tribulationis, quae magister nimis expressit, cum appellavit merita, ex quibus provenit spes, aut certe non satis intellexerunt merita illa. Activa sane vita, in qua multi satis temere confidunt, quam intelligunt quoque per merita, non producit nec operatur spem, sed praesumtionem, non secus ac scientia inflat. Ideo addenda est vita passiva, quae mortificet et destruat totam vitam activam, ut nihil remaneat meritorum, in quo superbus glorietur. Quo facto, si homo perseveret, fit in eo spes, id est, discit nihil esse, in quo gaudendum,

*) In edit. princip. deest: omnes.

sperandum, gloriandum sit, praeter Deum. Tribulatio enim, dum a nobis omnia tollit, solum utique Deum relinquit, neque enim Deum potest tollere, imo Deum adducit. Ablatis autem cunctis, etiam operibus bonis ac meritis, si hic sustineamus, Deum invenimus, in quo solo fidimus, ac sic spe salvi facti sumus.

Quocirca operarii sancti, etsi tota fiducia dicant se confidere in Deum, ubi tamen vita eorum activa (quae tota virtus eorum est) coeperit tentari vel despectu coram hominibus vel turbine conscientiae coram Deo, statim deficiunt, ostenduntque se magis in vitam suam praesumsisse, quam in Dei misericordiam sperasse, cum nulla activa talis sit, quae coram Deo satis, imo quae etiam coram hominibus in finem usque grata sit omnibus, juxta illud: „Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens." Sola vero passiva vita purissima est, ideo et spem et gloriam operatur, atque in hoc oportet nos conformari imagini et exemplo Christi, regis et ducis nostri, qui per activam quidem vitam incepit, sed per passionem consummatus est, omnibus scilicet operibus ejus, tam multis tam magnificis, adeo in nihilum redactis, ut non solum coram hominibus sit cum iniquis reputatus, sed a Deo derelictus.

Adeo scilicet omnia a nobis auferenda sunt, ut nec optima Dei dona, id est, ipsa merita, reliqua sint, in quibus fidamus, ut sit spes purissima in purissimum Deum, tunc demum homo vere purus et sanctus est. Quod negotium variis agitur tribulationibus et multis sane doloribus, maximis autem, ubi ad extremum decus spei incipimus propinquare, id est, ablationem bonorum operum et bonae in vita nostra conscientiae. In ceteris enim vel rerum vel valetudinis vel honoris ab-

lationibus non tam spes, quam patientia contra impatientiam et hominem pugnat, ut in quibus homo sic exercetur, ut ea nunquam reditura discat patienter contemnere. In his vero conscientiae procellis et meritorum ruinis spes ipsa pugnat contra desperationem et fere contra se ipsam, imo contra Deum, quem sentit sibi iratum, sicut ei, quae nihil bonorum meritorum habeat, et quibus non possit, et tamen cogatur carere, quod miserrime discruciat spiritum et expansum cum Christo dinumerat omnia ossa ejus, ita ut spem recte quispiam possit patientiam spiritualem seu patientiam in culpis sustinendis appellare, sicut econtra patientiam possit spem corporalem seu spem in ferendis poenis. Quid enim aliud est in conscientia et de desperatione tentari, quam culpas non remissibiles sentire, Deum nolle propitium fieri, omnia opera bona funditus corruere? Et tamen si perseveret homo, et contra spem in spem speret, probatus invenietur, et hac tribulatione meritis exutus spe induetur et coronabitur inconfusibili corona *) in aeternum. Non enim vere iratus est Deus, nec culpas irremissibiles vult, sed tentat nos, an magis in misericordiam suam puram, quam in nostra merita speremus.

Nostri vero justitiarii activa meritorum vita saginati nihil aeque horrescunt, atque hanc meritorum suorum crucem, decepti verbo magistri, quando spem ex meritis provenire dicit, quae illi opera intelligunt, apostolus vero tribulationes, id est, mortificationes et cruces operum. Vide ergo, quam longe simus progressi a vera scientia spei, unico verbo magistri imprudenter intellecto, fecitque hic error infinitas conscien-

---

*) Hoc vocab. in edit. princip. deest.

tiarum carnificinas, forte et aeternas damnationes. Dum enim per opera spem et pacem studuerunt invenire, quaerentibus autem resisteret obvia tribulatio vel conscientiae vel corporis, vera scilicet officina spei, ipsi eam non agnoscentes et repellentes, cum aliam invenire non possent, necessario desperaverunt. Nec mirum, quaerebant enim spem via, qua itur ad praesumtionem, et impediti, seu, ut Oseas dicit, septa hac eorum via spinis, nec intelligentes hoc impedimentum esse veram viam ad spem, defecerunt.

Hinc illa turba hodie infirmorum, pusillanimorum, scrupulosorum et inconstantium in omnibus viis suis. Non enim ideo tentaris desperatione seu turbinibus conscientiae, ut ad operum fiduciam curras, sed contra ab opere avocaris, quia spiritualissima, etsi acerbissima, haec pugna est, intra te solum cum solo Deo consummanda, sola spe sustinente et exspectante, Deoque causam totam commendante, Deumque contra Deum vincente, sicut Jacob Gen. 32. cum Deo solus luctatus scribitur et vicisse eum, ac ideo in eodem loco benedictionem ab eo accepisse, cujus nomen non licuit scire, unde et Phanuel eum locum appellavit, d.: „Vidi dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea."

Quodsi cui permittitur via praesumtionis prospere ire, et in operibus suis crescere sine hac tentatione, quo veniet? Forte non ipse in desperationem, sed desperatio in ipsum, quia Deum non novit, nec didicit in his consiliis et operibus suis mirabilem.

Jam videre licet, quid illa sententia valeat Ciceroniana, quae celebris est: Conscientia bene actae vitae recordatio jucundissima est. Verum quidem, sed simul perditissima, quo jucundissima. Non hoc chri-

timeat: sapiat, cui potius conscientia vitae bene passae (id est, ad nihilum redactae) jucundissima est, ut, qui gloriatur, in domino glorietur. Non sic Job, qui cum dixisset: „Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea,“ tamen non audet gloriari, sed timens judicem suum deprecatur. Nec Paulus, 1. Cor. 14.: „Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.“ Non Hiere. 9.: „Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam in terra, haec enim placent mihi, ait dominus.“

Non ergo in dona Dei quaecunque (ne cum eis fornicemur, sicut in prophetis dicitur), sed in ipsum Deum donatorem credendum, sperandum, haerendum. Hoc voluit Ps. 116.: „Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.“ Excessus iste tribulatio fuit, in qua homo eruditur, quam vanus mendaxque sit omnis homo, qui non in solum Deum sperat, homo enim homo est, donec fiat Deus, qui solus est verax, cujus participatione et ipse verax efficitur, dum illi vera fide et spe adhaeret, redactus hoc excessu in nihilum. Quo enim perveniat, qui sperat in Deum, nisi in sui nihilum? Quo autem abeat, qui abit in nihilum, nisi eo, unde venit? Venit autem ex Deo et suo nihilo, quare in Deum redit, qui redit in nihilum. Neque enim extra manum Dei quoque cadere potest, qui extra se ipsum omnemque creaturam cadit, quam Dei manus undique complectitur, „mundum enim pugillo continet,“ ut Isaias dicit. Per mundum ergo rue, quo rues? Utique in manum et sinum Dei. Sic justorum animae in manu Dei sunt, quia extra mundum sunt, visi oculis insipien-

tium perire, sicut lapillus, si per aërem aut aquam ruat, non etiam per terram ruet.

Operosi vero et speciosi justitiarii, qui suis opinionibus illusi id tantum quaerunt universis justitiis suis, ut crescant et pingues ac magni sint, nullo modo volentes nihil sed magnum aliquid fieri, quo venient? Nempe in suum nihil redacti, nec tamen in Deum perducti, in aeternum peribunt.

Scio vero, quam multa ex sacra scriptura ac patrum dictis sanctorumque legendis opponi his possint. Rursum scio, quam periculose intelligantur, si non ad hanc regulam intelligantur, cum omnia pro hac sententia faciant. Unum tamen profero exempli gratia. Legimus auctore d. Hieronymo, dixisse sanctum Hilarionem ad animam suam, cum timeret mori: Egredere anima, quid times? Nonaginta tribus annis Christo serviviati et mori times? Haec si ita intelligatur locutus, quod in opera vitae suae sit confisus, intelligetur potius ad infernum, quam coelum ivisse.

Cur non illud s. Agathonis quoque inspicitur longe contrarium? qui triduo in coelum oculis intentus timuit, et a discipulis interrogatus, cur timeret et non confideret in vitam suam bene actam, respondit: In veritate timeo, scio quidem me servasse mandata Dei, quantum potui, sed alia sunt judicia Dei, alia hominum. Sed et ipsius Hilarionis timor idem arguit, si enim opera sibi satis fuissent, non timuisset. Ideo aliam coactus est quaerere ancheram fiduciae suae, et ex praeteritis donis Dei sibi datis Dei misericordiam sibi praefigere. Non enim segniter ad spem movet vel praeteritorum vel praesentium beneficiorum Dei memoria sibi collatorum, imo radius est vultus Dei, et signum bonum super nos, fidem et spem accendens. Sic filii Israel

jussi sunt operum domini memores esse, et eductus ex Aegypto, ut frenato eorum ore laude Dei non perirent, ut Isas. dicit.

Nulla ergo sunt merita? Cur tot praeceptis Christi et apostolorum docemur bona operari, seminare, aedificare aurum, argentum, gemmas etc.? Respondeo: Hoc est, quod dixi, plurimos falli falsa operum bonorum intelligentia, vere enim bona opera sunt facienda, et arbor spiritus suos fructus ferre debet, de quibus Gal. 5. scribitur. Sed illud Christi non intelligitur Johann. 12.: „Nisi granum frumenti in terram cadens mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, fructum multum affert,“ et Johann. 15.: „Omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit, ut fructum plus afferat.“ Haec enim mortificatio et purgatio (quae fit infusione fidei et spei et caritatis) facit, ut homo operibus suis exutus discat in solum Deum fidere, et opera bona facere, jam non sibi, tanquam merita, quibus praemium quaerat, sed gratuito et libero spontaneoque affectu placendi Deo, nihil in ea fidens, sed per ea in gloriam Dei serviens, sicut dicit Matth. 5.: „Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent patrem vestrum, qui est in coelis.“

Qui isto modo bona operantur, non sibi, sed Deo, tanquam instrumentum Dei, operantur, nihil in his sibi arrogant, solo Deo contenti, in quo sperant. Qui non sic operantur, simiae sunt sanctorum virorum. Adeo necesse est superstitionem fieri ex omnium sanctorum vita, nisi patrem coelestem in his didicerint glorificare. Recte ergo dicitur: „Universae viae domini misericordia et veritas,“ id est, tunc opera fieri bona, quando ipse solus totus ac totaliter ea facit in nobis, ut operis

nulla pars ad nos pertineat. Quare hic tibi sit canon: Ubi scriptura praecipit bonum opus fieri, sic intelligas, quod prohibeat te facere bonum opus, cum id non possis, sed ut sabbatum Deo sanctifices, mortuus sis ac sepultus, sinasque Deum in te operari. Ad hoc autem non pervenias unquam, nisi per fidem, spem et caritatem, id est, per tui mortificationem et omnium operum tuorum.

Sunt itaque merita, et nulla merita in nobis, sunt, quia dona Dei sunt et opera ipsius solius, nulla sunt, quia non plus de illis possumus praesumere, quam ullus novissimus peccator, in quo nondum aliquid operatur Deus. Ita sumus, fuimus, manemus omnes coram Deo aequales semper, ut pereat inflatura unius adversus alterum, juxta illud Pauli 1. Cor. 4.: „Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?" Nota verbum: Qui inflatur et gloriatur donis Dei, idem facit, ac si dicat, se non accepisse. Ubi ergo reliqua est inaequalitas? Nusquam, sicut ibidem dicit: „Quis te discernit?" id est quis te meliorem aliis declaravit? quasi dicat: nullus.

Ex his omnibus perpende divini judicii aequitatem aequissimam, et quam universam larvam et personam operum vitaeque contemtam velit, quod in oculis ejus idem sit justus et injustus, quantum ad opera pertinet, dum utrimque omnibus hominibus in hac vita viventibus eam statuit legem, qua cognoscimus, quod quam nullam habent justi causam praesumendi, tam nullam habent peccatores desperandi, utrique vero eandem legem in eum sperandi, quae sola discernit inter desperantes et praesumentes, ut recte cantet Ps. 119.: „Cognovi domine, quia aequitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me." Ecce in veritate Dei ille nihil fit, et

justo aequoque Dei judicio novissimus omnium factus est. Hoc etiam vult lex fidei et spei, id est, nos omnes facere primos peccatorum et novissimos, id est, aequales, et tamen inaequalissima per nos ac diversissima operari. Vere mirabilis Deus in sanctis suis.

Omnes ergo mandato Dei ad spem in eum urgemur, eodemque a desperatione et praesumtione deterremur, et est jam Deus vere omnia in omnibus, aequus et idem, simul tamen inaequalissimus et diversissimus. Ipse est enim, qui in multitudine simplex, in simplicitate multiplex, in inaequalitate aequalis, in aequalitate inaequalis, in sublimitate infimus, in excelsis profundus, in intimis extremus, et e diverso. Sic in infirmis potens, in potentibus infirmus, in stultis sapiens, in sapientibus stultus, breviter, omnia in omnibus. Sed haec dicta volo extra pias aures eorum, qui veritate offenduntur, quam in suis infelicibus quaestionibus nunquam didicerunt.

Dicet adhuc pusillanimis et infirma conscientia: Quid si non possim sperare, atque ita sentiam meam invincibilem desperationem? Dicemus et nos nec sic desperandum, etiamsi desperare te sentias. Non est desperatio, quae non vult doletque se desperare, sed est spei tentatio, omnium tentationum sine omni dubio gravissima, quod mox et simul secum involvat summum et aeternum odium Dei, blasphemias, maledicta et omnia inferni mala (quae non liceat loqui) in summam, benedictam et gloriosam majestatem.

Quid ergo facies? Hoc scilicet, primum agnoscas id te meruisse, et hoc peccatis tuis debitum, ubi prudens sis oportet, gratusque ac laudans hanc infirmitatem et tentationem feras, tanquam saluberrimam satisfactionem pro peccatis tuis, juxta illud Eccle. 10.:

„Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te ne dimittas locum tuum, quia curatio faciet cessare peccata maxima," id solum cures, ut odio, blasphemiis, desperationi, quantum potes, non concedas, sed vel unico extremo gemitu remurmures, ac juxta Isaiam scias, quod lignum fumigans ille non extinguet, nec calamum quassatum confringet. Dicam unum temere et libere: Non sunt Deo propieres ulli in hac vita, quam hi osores et blasphematores Dei, sed nec gratiores nec amiciores filii. Atque hic in uno momento plus satisfit pro peccato, quam si multos annos poeniteas in aqua et pane. Ita verum est, in morte (ubi haec tentatio viget) posse christianum brevi momento omnia peccata solvere et evolare, si prudenter agat in eo negotio. Hic regnat gemitus ille inenarrabilis, Ro. 8.

Secundo id agas tota vita, ut pro spe ores, sic tamen, ut non recuses Dei voluntatem in hac infirmitate tua ferre usque ad mortem, dicens cum principe ac domino tuo: „Tristis est anima mea usque ad mortem." Sic autem orabis, ut non dubites futuram tibi spem a Deo dandam. Nam qui te orare voluit, imo qui te docere orationem hanc sine tuo studio voluit, ideo voluit, quia exaudire te proposuit. Itaque dilatam patienter feras, dandam vero non diffidas, suo tempore veniens veniet, et non tardabit, interim contra spem in spem sperandum est.

Habebis vero ad hoc virgam et baculum Dei, qui te sustentet et consoletur, nempe ipsum praeceptum Dei primum et maximum omnium: „Non habebis Deos alienos praeter me." In quo credere et sperare et deligere Deum non monemur, hortamur, allicimur tantum, sed sub omnium maxima poena et culpa jubemur (hoc enim est Deum habere). Hoc autem praecepto nullis peccatis solveris, quin omnibus praeponderat

peccatis, praesertim eum eo tempore hujus praecepti servandi et implendi assit occasio. Neque enim, si omnium aliorum praeceptorum peccata fecisses, idque multis modis, tantum peccasti, quantum si hoc momento contra primum hoc praeceptum desperes. Nam hoc esset jam Deum directe negare, quod horrendum est cogitare. Quis enim Deo suo in faciem dicit: Tu non es Deus? imo quis hoc audire potest? et tamen desperans hoc dicit ardentissimo et aeterno affectu. Videtur sibi idem dicere tentatus, imo nonnihil idem dicit, vel quod verius est, patitur id in se dici a diabolo.

Sed quid, inquies, si me de praedestinatione vexet et inquietet, quod frustra sperem, si non sum praedestinatus? De hoc Ps. 22. latius Christo propitio. Interim hoc satis est, hanc esse periculosissimam tentationem, quam qua causa moveat diabolus vel sapientia carnis, ubi scieris, simul scies, quo remedio occurras. Primum itaque firmus esto ac certissimus, hanc cogitationem non esse ex Deo, ideo omni studio expellendam, tanquam eam, quae Deo tuo displiceat multis modis. Non esse autem ex Deo cognosces hoc signo, quod, quidquid ex Deo est, ad mandata et faciendam suam voluntatem movet, neque enim aliud facit, cogitat, vult Deus, quam ut sua voluntas fiat. At curiosam istam de tui praedestinatione sollicitudinem adeo non praecepit tibi, ut eam prohibuerit quoque Ps. 36. [55.]: „Jacta super dominum curam tuam," et Matth. 6.: „Nolite solliciti esse, quaerite primum regnum Dei."

Nec diabolus ulla causa hac inutili cura et noxia te occupat, quam ut interim obliviscaris praecepti Dei tui, quo juberis sperare et credere, simulque subdole te trahat in affectum et amorem tui ipsius, ut incipias

quaerere, quae tua sunt. Haec enim est ultima et summa ejus machina, qua nos amore nostri sollicitos reddat, ac sic in Dei praeceptum reos statuat. Quid autem prodest, si usque in finem mundi hac cogitatione occupareris? Nihil inde sequeretur, non ideo certus fieres, aut aliud de te Deus cogitaret.

Quare contra hunc laborem stultorum et in faciem diaboli haec suggerentis fulmina scripturae torquean. Primum illud Ps. 1.: „In lege domini (non in praedestinatione sui) meditabitur die ac nocte," et illud Eccle. 6.: „Cogitatum tuum habe in praeceptis Dei, et in mandatis ejus assiduus esto." Exo. 13.: „Erit quasi signum in manu tua, et quasi appensum quid ante oculos tuos." Et Matth. 7.: „Non omnis, qui dicit mihi: Domine domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem patris mei etc.," et multa similia. Neque enim aliud Deus requirit, quam voluntatem suam nobis esse assidua sollicitudine commendatam. Quod ubi fecerimus, praedestinatio sua sponte implebitur sine nostra cura. Ille vero perversor primo vult te de te sollicitum esse, et postremo de Dei praeceptis, ut sic te praeferas Deo tuo, nec super omnia eum diligas, imo nec Deum habeas. Nam si illi vix perseverant, qui mandatis Dei intentissime inhaerent, ubi apparebunt, qui eis desertis misceri se permittunt extraneis et vanis cogitationibus? Ita diabolo vel cordi tuo dicas: Non hoc praecepit Deus, sed sperare me jussit, huic intendam soli negotio, illud si vellem, non possem.

Secundo, non esse ex Deo, etiam hoc indicio facile intelliges, quod his machinis duo maxima mala tibi intentat, primum, ut tentes Deum, quod Christo in pinnaculo templi quoque intentavit. Conatur enim hoc te negotio occupare, ut optes certum esse de tua

praedestinatione, aut signum videre de coelo. Quid enim est anxium praedestinatione esse aliud, quam impatientem esse de incertitudine divini consilii? Quid autem impatientia illa aliud facit, quam quod tentat Deum, dum illius consilium certum sibi esse optat? Breviter, odit Deum esse Deum, quia non aliter vult illum scire, quam ipse scit.

Itaque huic terribili peccato occurres verbo Dei, sicut Christus facit, d. i. „Scriptum est: Non tentabis dominum Deum tuum." Debes enim velle nescire ejus secreta, quae voluit te nescire, atque gaudere in hac ejus voluntate, quam praecepit tibi observare in omnibus. Amata autem hac occulti ejus consilii voluntate jam praedestinatus es. Ita semper ex praeceptis servatis sua sponte sequuntur sine omni cura nostra, quae perverso studio ante praecepta tam anxie et frustra quaerimus, et tamen non invenimus unquam, quia praeceptum Dei via est ad Deum, qua amissa aliam dum quaerimus, tentante diabolo per curam nostrae salutis et praedestinationis, necessario erramus, et utramque amittimus, tam viam Dei quam nostram, ac per hoc et praedestinationem et salutem.

Alterum maximum malum, quod te in idem praecipitium tollere nititur, quo ipse cecidit, et Adam dejecit. Quid enim aliud molitur ista cura praedestinationis tuae, quam ut optes scire (ut diximus) consilium Dei? At velle scire consilium Dei est fieri velle aequalem Deo, sicut ipse voluit, quando dixit: „Adscendam in coelum, similis ero altissimo," et ad Adam: „Eritis sicut Dii, scientes bonum et malum." Atque hoc iterum est nolle Deum esse Deum tuum, quod est summum omnium peccatorum. Atque ita vides, quam astute his monstris te contra mandata Dei tui sollicitet, ut eo, quo ipse cecidit casu, cadas.

Quare et hic fulminandus est verbo Dei, dicentis Prover. 25.: „Sicut qui comedit mel multum, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.“ Et Eccles. 30.: „Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus ejus operibus ne fueris curiosus. Non est enim necessarium tibi, ea, quae abscondita sunt, videre oculis tuis. In supervacaneis rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus ejus operibus non eris curiosus. Plurima enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi, multos enim supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus eorum.“

Quando ergo his praeceptis Dei prohibetur cura ista curiosa operum Dei, quae nobis ostensa sunt esse supra captum et sensum nostrum, et incomprehensibilia judicia ejus, cum timore in praeceptis Dei potius occupari debemus, ut in eum speremus cum fiducia, et haec studia impossibilia diabolo in caput suum vertere, et cum Joab 2. Reg. 10. fidenter in opus Dei accincti dicere: „Esto vir fortis, et pugnemus, dominus autem, quod bonum est in conspectu suo, faciat.“ O pulchrum exemplum! Si hic prius disputasset, an esset victoria praedestinata apud Deum, non pugnasset, imo disputando negligens factus et aliena operatus, victus turpiter fuisset.

Ac vide hic impiissimam impietatem, stultissimam stultitiam, perversissimam perversitatem nostram. Ducimus uxores, aedificamus domos, plantamus vineas, emimus substantias, et nemo hic prius disputat, praedestinatum sit nec ne, uxorem fore castam vel adulteram, domum casuram vel mansuram, substantiam perituram vel duraturam. Breviter, omnia nostra opera, maxime

peccata, cum fiducia incipimus perficimusque, nihil solliciti, quid de iis Deus praedestinarit. Satis hic tutum est a nostra temeritate altissimum ejus consilium, nemo hic non prius cogitat, sollicitus est, aestuat, quomodo faciat, quod proposuit, quam disquirat ac disputet de praedestinatione.

Quare hoc? Quia non sunt a Deo praecepta, nostra scilicet sunt, a nobis electa. At ubi ad opera Dei et praecepta ejus venitur, hic statim quaestio nascitur, hic consilium Dei tentatur, denique hic demum disputamus, an Dei praeceptis debeamus obedire, antequam ejus secreta noverimus. An hoc non est divinam majestatem amarissima perversitate exacerbare, quod in nostris tam sumus patientes et obliviosi suorum consiliorum, et in suis tam impatientes et curiosi? Nonne aeque folium arboris non cadit in terram sine ejus voluntate, atque anima tua salva fiet sine ejus consilio? Nec ullus capillus tibi crescit sine ejus consilio, nec panem comedis, nec potum bibis. Hic non disputas, nihil cunctaris, nihil trepidas, nihil moraris ejus consilium, quin ruas in opus? Illic vero totus es quaestio et cunctatio.

Vel nunc ergo intellige, non ex Deo, sed ex diabolo, et quidem tunc offensissimo et astutissimo has cogitationes tibi venisse, ut supervacaneis rebus te a praecepto et suavissima voluntate optimi Dei tui distrahat. Recte et aptissime in hos dicit Ecclesi. 11.: „Qui observat ventum, non seminat, et qui considerat nubes, nunquam metet. Quomodo ignoras, quae sit via spiritus (id est, venti) et qua ratione ossa compingantur in ventre praegnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium."

Quid ergo? Nihil faciendum, quia ille omnia fabricat, et nos ea nescimus? Absit, sequitur enim: „Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud (id est matutinum vel vespertinum), et si utrumque simul, melius erit.“ Vides, quam omnia nos doceat nescire, et tamen non ideo cessare, imo eo magis operari jubet, quo nescimus, quid futurum sit; cum illi perversi ideo nolint agere, quia nesciant, quid futurum sit. Hoc enim quaerit diabolus, ut non operentur in vita, nec in pace et spe obdormiant in morte, sintque utroque tempore Deo propter Deum rebelles et inobedientes, sic tamen, ut culpa sit non ipsorum, sed ipsius Dei, ut qui non prius consilia sua revelando evacuaverit et divinitatis suae gloriosam majestatem evacuatis consiliis nullam fecerit, quam illos praecepto suo molestaverit, siquidem sanctissimi homines tunc omnia libenter essent facturi, quae praecipiuntur, si primum scirent, quid de eis Deus cogitarit, hoc est, si nullus Deus et praeceptor eis fuerit, nec enim Deus esse potest, si non aliud est, sapit, novit, quam nos sumus.

Sed vide iterum, si nobis Deus sua consilia revelaret, primum trepidi fieremus, deinde contemtores aut desperantes, sicut et modo sunt, qui putent noxium esse, praedicari gratiam et praedestinationem, quod hinc multi offendantur. Adeo quidquid Deus vult et facit, homo pulvis temerat, unum hoc aestuans, ut sit sine timore Dei, hoc est, sine Deo, neque enim timeri posset, si non secreta de nobis cogitaret, nec tunc fides nec spes nec caritas locum haberet. Vae tibi furentissima impietas!

Ad spem revertamur, ut prolixitati aliquando finem faciamus. Duo sunt in spe observanda, merita nostra

et promissio divina. Inter haec duo sic constituas spem, ut ex promissione spem pendere scias, et ex spe merita provenire, ut merita sint opus spei, spes vero opus verbi seu promissionis. Quare ut speres, non est necessarium merita habere, sed potius ut purissima simplicitate in verbum promissionis gratuitae spectes, in quod sperando possis tunc merita producere, non secus atque apostolus Paulus, qui ad Galatas fere aliud non facit, quam quod justitiam nostram non ex lege nec operibus, sed ex promissione benedicentis Dei fluxisse probat. Haec enim Dei misericordia gratuito promittens et veritas promissionem adimplens causae sunt spei, his animus provocatur ad sperandum, invocandum beneque vivendum, quae nisi essent et nobis revelata fuissent *), nec fidei nec spei locus esset.

Quare objectum fidei et spei est Deus promissor gratuitus, seu ipsum verbum promittentis, atque aliud nihil. Quod nisi ubique et semper observetur, spes quoque simul ruat necesse est, non aliter quam domus ruat, quae super arenam fundata est, ubi flumina et venti irruerint. Super hanc enim promissionis et infallibilis verbi petram aedificata est ecclesia Christi, sicut Prover. 18.: „Turris fortissima nomen domini, ad ipsam currit justus et exaltabitur," ut et Ps. 61.: „Factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici." Nihil hic de meritis, sed de Deo ipso, de nomine ejus tantum est memoria, in quibus spem collocet.

Sequitur ergo, spem ex meritis non provenire, sed contra ex spe merita, aut spem ex spe in spem, ut sit ante

*) In edit. princip. leg.: esset — — fuisset.

merita, cum meritis, post merita, sicut in hac vita non apprehendimus justitiam, sed ad eam nos extendimus, semper quaerimus, semper justificari petimus, semper dimitti peccata, semper fieri voluntatem patris nostri, qui in coelis est, semper sanctificari nomen ejus. Atque hoc ipso tamen justi a Deo reputamur, sicut dicit: „Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam.“ Ita et spes semper ex se ipsa augeri recte intelligetur, operantibus eam tribulationibus, modo sic ferantur, ut probati inveniamur.

Ex quibus hoc sequi videtur, quod ceterae virtutes forte poterunt agendo perfici, fides vero, spes et caritas nonnisi patiendo, patiendo, inquam, intus operationem divinam, quia ceterarum opera sunt fructus fidei, spei, caritatis, quasi videas incarnatam fidem, incarnatam spem, incarnatam caritatem, atque omnino in crassis tantum operibus exercentur. Atque hic sponsa Christi rursum inquinat pedes, quos lavisse se jactat, et induit tunicam, qua se spoliasse gloriatur, cum sine vitio non possint fieri, quae per vitiatam carnem fiunt. At fidei, spei, caritatis opus videtur *) idem esse. Quid enim est fides, nisi motus ille cordis, qui credere, spes motus, qui sperare, caritas motus, qui diligere vocatur? Nam phantasmata illa puto humana esse, quod aliud sit habitus, et aliud actus ejus, praesertim in his divinis virtutibus, in quibus non est nisi passio, raptus, motus, quo movetur, formatur, purgatur, impraegnatur anima verbo Dei, ut sit omnino negotium harum virtutum aliud nihil quam purgatio palmitis (ut Christus dicit), quo fructum purgatus plus afferat.

*) In edit. princip. leg.: opus et esse videntur etc.

Denique ceterae virtutes versantur circa res crassas et corporales externe, illae vero circa purum verbum Dei interne, quo capitur et non capit anima, hoc est, exuitur tunica et calciamentis suis, ab omnibus tam rebus quam phantasmatibus, rapiturque per verbum (cui adhaeret, imo quod eam apprehendit et ducit mirabiliter) in solitudinem (ut Oseae 2. dicit), in invisibilia, in cubiculum suum, in cellam vinariam. At hic ductus, hic raptus, haec expolitio misere eam discruciat. Arduum est enim et angusta via, relinquere omnia visibilia, exui omnibus sensibus, educi ex consuetis, denique hoc mori est, et ad inferos descendere. Videtur enim ipsa sibi funditus perire, dum subtractis omnibus, in quibus stetit, versabatur, haerebat, nec terram tangit, nec coelum, nec se sentit, nec Deum, dicens: „Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo," quasi dicat: Redacta sum in nihilum, et nescivi, in tenebras et caliginem ingressa nihil video, fide, spe et caritate sola vivo et infirmor (id est, patior), cum enim infirmor, tunc fortior sum. Hunc ductum theologi mystici vocant, in tenebras ire, adscendere super ens, et non ens. Verum nescio, an se ipsos intelligant, si id actibus elicitis tribuunt, et non potius crucis, mortis inferuique passiones significari credunt. Crux sola est nostra theologia.

Ex his intelligi puto verbum apostoli, quo modo spes sit opus probatae per tribulationes patientiae, quod his omnibus homo velut excolitur, expolitur, excluditur, sicut vas manu artificis, ut longe emineat ultra visibilia et comprehensibilia, non in merita, sed in solum Deum confidere doctus. Sicut *) vas aureum igne et

*) In edit. princ. leg.: Sic.

sic vivere, quasi eorum sit proprium laetari, exsultare, gloriari. Quod tam fallax et efficax est scandalum, ut multi prophetae se in hoc tentatos et atra quadam nemesi commotos querulentur. Sicut enim specie operum et meritorum temporalium offendicula sunt, ita et specie praemiorum temporalium. Unde de eis Ps. 82. [73.]: „Quam bonus Deus Israel his, qui recto sunt corde. Mei autem paene moti sunt pedes, paene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem impiorum videns, quoniam non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum, in laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia etc." Et Hiere. 12.: „Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui praevaricantur et inique agunt?" Et Ps. 144.: „Non est ruina maceriae neque transitus etc. Beatum populum dixerunt, cui haec sunt." Latius autem Job 21.: „Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis etc.?"

Contra has larvas, species, scandala propheta sevocat pios homines, ut contemtis illorum gaudiis ad verum gaudium se convertant, quod est in Deo. Quare per totum geminam quandam antithesin oportet observare in hoc versu, in hunc modum: Tristes videmur illis, quod rebus subtractis patimur, in quibus illi nixi laetantur, utrumque horum ad sensum expositum fortiter scandalisat fallitque plurimos. At intus, ubi nos vivimus in spe, et illi mortui sunt, laetamur laetabimurque, illi vero nec laetantur nec laetabuntur. Nostrum vero gaudium adeo verum et solidum *) est, ut de

*) In edit. princ. leg.: solum.

ipso solo dici merito debeat: „Laetabuntur," cum illorum laetitia magis tristitia sit, si interna videas.

Ita in totum damnat impiorum gaudium, et gaudium piorum commendat, quod quia sine specie est, illud vero magna specie, fide opus est, verba spiritus loquitur in spiritu positus, alioquin et non intelliges, et illorum scandalo offenderis. „Non enim potest carnalis homo sapere, quae Dei sunt," id est, gaudium esse in subtractione omnium bonorum, etiam spiritualium, cum gaudium esse nesciat, nisi in re praesente et sensibiliter possessa. Nos autem oportet gloriari in cruce domini nostri.

Cum autem Hebraei optativi loco, quem non habent, futuro indicativi utantur, et ex dictis cognovimus omnes hujus Psalmi affectus miro ardere zelo, sanum est, et hunc versum quadam indignationis sanctae aemulatione dictum intelligere, ac tale quippiam sonare: Quid insaniunt impii illi? quid ludunt animas hominum pessima specie? Obsecro domine, damna eos et gaudium eorum, expelle eos, revela eorum hypocrisin, decidant a suis larvis, ut laetentur solum ii, qui sperant in te, ut notum fiat et sciant omnes non esse uspiam gaudium, nisi in multitudine misericordiae tuae. Uror domine nimis, quod haec non persuadere possum, quod non audiunt, tu ergo judica illos et ostende eorum vanitatem, ac nostram veritatem.

Atque ita habemus, ubi et quid sit verum gaudium, nempe fiducia et secura conscientia in divinam misericordiam. Hoc enim experti quoque dicunt, non esse gaudium super conscientiam puram, nec majorem tristitiam, quam perturbatam conscientiam, sicut dicit Sap.: „Secura mens quasi juge convivium," et Ps. 26.: „Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et

complacui in veritate tua." Neque enim aliunde, quam intuitu misericordiae Dei conscientia laeta et pura venit, ut Ps. 4. dictum est: „Lumen vultus tui domine super nos, dedisti laetitiam in corde meo." Gaudium vero illorum quid? Frumenti, vini, olei copia, id est, porcorum gaudium in corporis saturitate.

„In aeternum exsultabunt." Hoc verbum Hiero. laudabunt transtulit, non male. Volunt enim eo significari laetitiam vocalem, sive cantando, sive loquendo, sicut gaudentes solemus jucunde loqui, aut etiam cantare, garrire, laudare, jactare eum, in quo gaudemus, Ps. 51.: „Exsultabit lingua mea justitiam tuam" (id est, cum gaudio praedicabit). Sive ergo „in aeternum" pertinet ad verbum „laetabuntur" sive „exsultabunt," perstat in aemulatione et contentione propheta, ac si dicat: Garriant illi in suis rebus, jactent se et sua, cantent se ipsos, non modo non vere exsultant aut laetantur, sed nec in aeternum. „Gaudium (ut Job ait) hypocritae instar puncti," et 21.: „Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt." Adeo incerta et instabilis est jactantia eorum, sed nec perpetua, ut quae multis tristibus casibus interturbetur. Atque ut bene cedant omnia, tamen extrema gaudii luctus occupat, et manifesta erit eorum insipientia, sicut Jamris et Mamris. Quid ergo miseri sese fallunt et perdunt? At sperantes in te laetabuntur et exsultabunt perpetuo, nec miscebitur eis ullus extraneus (ut Sap. dicit).

Hic videmus fructus, ex quibus possumus scire, an simus (ut vocant) in gratia, fructus spiritus gaudium, Gal. 5. Nec est, quod dicamus nos hoc nescire. Si in aeternum et stabile sit gaudium, et laus Dei perseverans, etiam in passionibus, fallax signum non pot-

est esse. Ex fructibus enim cognoscetis eos. Crux probat omnia. Quare si cum Ps. 18. dicere potes: „Laudans invocabo dominum, et salvus ero,“ vere salvus eris. Hanc enim crucem quia impiorum gaudium non sustinet, ideo in aeternum et stabiliter non gaudent.

Alius fructus, qui sequitur, est garrire, libenter loqui, jucunde praedicare, audire verbum Christi, exsultare justitiam ejus, cantare misericordiam ejus, detestari vero fabulas impias, detractiones, obscoenitates, et similes feces mundi. An haec non possumus sentire? praesertim si tentati, prohibiti, passi fuerimus propter haec vel invidiam, opprobria, terrores, aut quaecunque mala. Nam nec hoc tum erit fallax signum Christi in te viventis, si perseveres laudans, exsultans, jactans gratiam Dei contra superbiam hominum.

Non ergo frustra „in aeternum“ cum verbo „exsultabunt“ composuit, quod gaudium spiritus foras erumpens suscitet sibi adversarios veritatis, sicut in apostolis videmus contigisse, Act. 2. 3. 4. 5. etc., et quod inveniantur quidam *), qui laudent Christum, misericordiam, veritatem, justitiam, gratiam Dei, sed non in aeternum, quia non satis sperant, nec satis laetantur in eo, cedunt enim in tempore tentationis, neque perseverant contra faciem iniquitatis, nec ubique, nec omnibus, nec omni tempore audentes jactare Deum (id est, gratiam Dei). Quales et hodie multi sunt, qui veritatem dicunt tantum vulgo omnia patienti, non iis, quos timent sese persecuturos, quibus tamen maxime omnium dicenda est. Quodsi dices, principes populo-

*) In edit. princ. leg.: quidem.

rum sunt, extra synagogas facient, excommunicabunt, extra civitatem ejicient.

Audi, quid sequatur.

„Et habitabis in eis,“ quod Hieron. dicit: Et proteges eos. Ipso protectore quis praevalebit? Atque nisi tanta res esset adversus operarios iniquitatis et locutores mendacii Dei misericordiam exsultare, non esset opus nobis promitti hanc exhortatoriam promissionem. Scit ipse portas inferi insurrecturas adversum gaudium nostrum, sed confidite, protector noster Deus Jacob, non praevalebunt. Habitabit in nobis ipsemet. „Major est, inquit Joannes (1. Johann.), qui in nobis est, quam qui in mundo.“ „Si Deus pro nobis, quis contra nos?“

Hebraicum consulens invenio hic verbum absolutum, quod Ps. 2. ponitur: „Ego autem constitui regem meum,“ quod ordinare, constituere, praeponere Reuchlino significat. Unde in hebraea proprietate sonat: „Habitabis in eis,“ id est, ordinationem super eos facies, constitues super eos, ordinator super eos eris, tu curabis eos, tu reges eos, quod Hiero. recte, etsi non plene, dixit: Proteges eos, latior enim hebraei verbi significatio.

Sicut et illud absolutum est: „Exsultabunt,“ seu laudabunt, quasi dicat: Erunt et sint praedicatores et evangelisatores (quod proxime hujus verbi alludit significato). Evangelisare enim est laetum, jucundum, suave, bonum verbum nuntiare, quod יְרַנְּנוּ heb. diximus significare. Laetum autem verbum aliud non est, quam remissio peccatorum, multitudo misericordiae Dei, consolatio tristis conscientiae. At quid his nuntiis et jactatoribus gratiae contigerit, videmus in apo-

stolis et martyribus et omnibus sanctis. Rursum, quomodo in eis habitaverit Christus, rexerit et servaverit, scimus. In illis vero quis habitabit? quis eos proteget? quis reget? Non his egent, fortes sunt, gigantes in terra sunt, potentes portae inferi, sedes diaboli, hic enim princeps mundi est, et habitat in eis.

Sequitur altera pars versus hujus:

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.

Quanquam Hierony. recte vertit: Et laetabuntur, qui diligunt nomen tuum, tamen noster translator pulchre vocem hebraeam expressit, quae aliud genus gaudii significat, quam primum verbum „laetabuntur". Et sicut mihi divinat meus morpheus, illud significat proprie gaudere, gaudium in se recipere et habere, hoc vero, gaudium reddere et laetari ac velut laetificare, seu, ut dicunt Latini, jucundum esse. Ubi si quis in se ipso de suo gaudio jucundus est, gaudium est in gaudio, de quo Ps. 68.: „Et delectentur in laetitia," et 21.: „Laetificabis eum in gaudio." Alioquin nobis laeti, aliis jucundi sumus (ut volunt). Sic 1. Reg. 2.: „Exsultavit cor meum in domino," id est, jucundum fuit. Et 1. Paral. 16.: „Exsultabunt agri et omnia, quae in eis sunt," sicut ille dixit laetas segetes figurate, quod nos reddant jucunditate sua laetos.

Verum ego stultus, qui in vocabulis adeo torqueor, cum multa alia sint hujus linguae, quae laetitiam significent, quorum ego nec possim nec velim constantem differentiam profiteri, sufficit vel opinari, hoc praesens gaudii genus pertinere ad affectum gratitudinis, quo in benefactorem grati et jucundi rapimur, de cujus dono laetati sumus, qua gratitudine jucundi

sumus benefactori, ejusque votis respondemus, sicut ager laetus suo cultori. Et hoc ita esse videtur eo signo intelligi, quod in versus initio verbum absolute dicitur: „Et laetabuntur,“ hic vero: „Et laetabuntur in te,“ ut priore verbo sensum beneficii absolute indicet, posteriore vero acceptum beneficium referri in benefactorem cum jucunda gratitudine. Nam in beneficio laetari etiam Ps. 122. ostendit: „Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi etc.,“ ubi ponitur verbum hujus versus in principio positum. Non dico haec constanti canone verbis istis duobus propria esse, sed ex regimine et absoluto statu in hoc loco sic posse distingui. Nam Ps. 32.: „Laetamini in domino,“ et 97.: „Laetamini justi in domino,“ idem verbum habetur cum regimine, quo hic versus incipitur absolute, nisi id canonem faciat, quod in domino laetandum, sicut in beneficio, illi dicant citra gratitudinis affectum.

Haec autem significatio apte quadrat ad sententiam. Ut enim priore hujus versus parte gaudium in tribulatione descripsit, ita hac posteriore gaudium in prosperitate, seu gaudium in gaudio describit, quod non est verum nec sincerum, nisi in domino gaudeat, juxta illud Isa.: „Gaudens gaudebo in domino.“ Quae omnia non aptius intelligi possunt (ut dictum est), nisi cum propheta nobis ob oculos ponamus adversariam generationem, de qua penitus invertere oporteat hunc versum totum, ut qui in adversitate pro laetitia tristantur desperantes de Deo, nec exsultant in aeternum bene de Deo loquentes, sed assidue murmurant male loquentes de Deo. Ideo nec protegit eos Deus, nec habitat in eis. Contra in prosperis effusi insipienter gloriantur, non in domino, sed in se suisque operibus, sibi ipsis placent, suaque mirantur, quia diligunt nomen

suum, et quaerunt gloriam suam, ita ut recte hunc versum totum de talibus liceat in hunc modum vertere: Et tristabuntur omnes, qui non sperant in te, semper murmurabunt, et deseres eos, et gloriabuntur in se ipsis, qui diligunt nomen suum.

Itaque propriissime utrumque tempus, utramque hominum generationem, utriusque affectus et opera hoc versu breviter et mire distinguit et pingit spiritus prophetae antithesi aptissima. Impossibile est enim, ut non tristetur, qui non sperat in domino, quoties irruit quaecunque tribulatio. Tristatus autem non potest non murmurare continue, cum laus Dei sine exsultatione cordis nulla sit. At hic murmurator tristis et impatiens Deo quoque displiceat ac magis magisque deseratur necesse est. Non enim in Babylone habitat, sed in Salem, id est, „in*) pace factus est locus ejus," Ps. 76. „Et super quietum et humilem requiescit spiritus ejus," Isa. ult.

Contra impossibile est, ut non laetetur, qui sperat in domino, etiamsi fractus illabatur orbis, impavidum enim ferient**) ruinae. Laetatus autem non potest non bene cogitare de Deo, exsultare in laude ejus, et exhortari se ipsum. Quare hic laudator patiens et laetus dignus est, quem protegat et inhabitet Deus, nec frustra laetari, sperare, exsultare permittetur, servans servabit eum. Atque hoc est bivium, in quo se dividunt viri sanguinum et dolosi a viris misericordiae et hominibus bonae voluntatis, quantum pertinet ad tempus nubilum et horam tentationis.

Quare, ut saepius dixi, Saul noster a spiritu do-

*) Hoc voc. in edit. princ. deest.

**) In edit. princip. leg.: fierent.

mini malo non habet levius remedium*), nisi David noster psalterio arrepto psallat manu sua, hoc est, si tristatur anima tua, incipe jucundam aliquam cantionem vel memoriam in Deum tuum, et mox senties levamen, et probabis probum esse consilium sapientis: „In die malorum memor esto bonorum," et iterum: „Multos occidit tristitia, et non est utilitas in illa." Hic enim musica in luctu, etiam contra proverbium, est oportunissima narratio, sicut ille Ps. 43.: „Quare tristis es anima et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus."

Rursus impossibile est, ut non placeat sibi, infletur, glorietur, gaudeat in se ipso, qui non Dei, sed suum nomen et gloriam diligit et quaerit, quoties acciderit quaecunque prosperitas. Placens autem sibi in sua prosperitate, quid aliud faciat, nisi quod, ut proverbium est: Mutuum scabunt muli, ita ipse suos benedictores benedicat, et laudatores laudet, illique vicissim benedicentem benedicant, laudantem laudent, juxta Ps. 10.: „Laudetur peccator in desideriis suis, et impius benedicitur," Gevatter ubir den zun, und erwider, atque hoc est novissimum, quod possunt, vane scilicet gloriari, jactare, se ipsos praedicare, quorum finis in confusione.

Contra impossibile est, ut sibi placeat, in se ipso gaudeat aut glorietur, qui non suum, sed Dei nomen diligit, quantalibet arrideat serenitas et felicitas. Hac autem ratione displicens sibi atque vilescens, necesse est, ut nonnisi Dei nomen, laudem, gloriam quaerat et amet, et dicat: „Sanctificetur nomen tuum," profa-

*) Hoc voc. in edit. princ. deest.

netur vero nomen meum et omnium, „benedicant omnia opera domini domino," nec benedicat justo nisi tu solus, impiorum benedictio maledictionis vice ducenda est.

Finge ergo, imo observa prophetam (si vis hunc intelligere versum) positum eo loco, ubi impiorum intuitus vitam duplo scandalo vexetur. Altero, quod sibi omnia adversa cadunt, deinde omnia sua et dicta et facta pro stultitia et impietate ducuntur, quibus ad tristitiam, impatientiam, desperationem moveatur. Altero, quod impiis omnia prospera abundant, omniaque eorum dicta et facta vehuntur, celebrantur, ac jam immortalitati omnino consecrantur, quod est atrocissimum omnium, et quod maxime irritet scandalum. Tum irascens quidem, sed non peccans, loquitur in corde suo, in cubili suo tacet; et finem exspectans dicit hunc versum. Nam si quis quaerat, quid loquendum sit in cubilibus, de quo Ps. 4. dictum est, recte respondebitur non aliud, quam ea, quae hoc versu traduntur, ut se ipsum consoletur in domino, dum illi vanissime jactantur in semet ipsis.

Unde et aptissime servat ordinem. Tentatio enim, quae a sinistris est, prior est et minus periculosa, quod a latere tantum cadant mille, sed a dextris decem milia, quae et multo gravior et periculosior est, nec nisi iis, qui priore sunt diu exercitati, obeunda. Utraque fornax quaedam est probationis, sicut scriptum est Ecc. 27.: „Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis." Altera Prover. 27.: „Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis." Quo modo? Nempe, quod in illa invenietur tristis et mur-

murator, in hac glorietur, diligens nomen suum, benedicens se ipsum. Atque ut in priore casus proprie vulgi et eorum, quos peccatores contemnimus est, ita in posteriore gravior est perditio pinguium Israel et electorum, et quos sapientes et justos veneramur, hoc est, impiorum, juxta Ps. 78.: „Et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit,“ et Isa.: „Descendentque sublimes et gloriosi ad eum“ (scilicet infernum).

Adeo semper Deus percussit magnates et primates, ut nos terreret, humilitatemque nobis tutissimam commendaret, ita ut proprie de magnatibus dicat Ps.: „Terribilis apud reges terrae, et qui aufert spiritum principum.“ Nec sic tamen quidquam proficit apud tyrannos. Quis enim legitur usquam in sacris literis primo loco habitus, qui non aliquo insigni casu gloriam suam nobilitarit, si ab Adam ad Petrum usque numeres? Tanta scilicet cura fuit Deo pro humiliandis magnatibus, ut quibus necesse sit pro subditorum salute vel honoris et dignitatis prosperitatem obvenire, ne fierent impii suae gloriae amatores, et nominis sui dilectores. Rursus vix unus et alter e vulgo memoratur, qui scelere se infamerit, qualis Achan, et ille Num. 15., qui ligna sabbato collegerat.

Nomen domini hic quid sit, quaerendum est, de quo multa multi in diversis quoque linguis. Hebraei decem nomina Dei jactant, teste etiam d. Hieronymo, inter quae illud magna superstitione celebrant, quod tetragrammaton vocant, cujus virtute nescio quantas tutelae et operationis sibi promittunt, cum interim per impiam incredulitatem et blasphemiam nominis Christi sine fine nomen Dei sui assumant in vanum, nec aliquid minus curant, quam ut nomine domini salutem

animarum sibi parent. Dimanavit autem et in christianos eorundem superstitio, ut passim jactent, scalpant, figant, gestent quatuor istas literas, sive impii sive pii sint, nihil curantes, velut magi in literis et characteribus virtutes se habere praesumentes.

Nos vero, sicut decet christianos, oportet hoc scire, quod sine fidei pietate omnia sunt superstitiosa et damnabilia, adeo ut nec Christus nec Deus ipse ulli sit salutaris, nisi per fidem habeatur. Quare quodlibet nomen Dei, imo quodlibet verbum Dei, omnipotentis est virtutis, in salutem corporis et animae, si fidei *) reverentia possideatur. Non itaque nomen, sed fides in nomen domini facit omnia, nec unum altero efficacius est. Si enim nomen tetragrammaton solum tantae virtutis est, stulte facit ecclesia, quod non in ipso, sed in nomine potius patris et filii et Spiritus sancti benedicit, baptizat, et omnia sacramenta sua perficit, mirumque sit ecclesiam Christi, quae Spiritum Dei habet, haec nondum novisse, quae omnia novit, quae Dei sunt.

Quodsi dixeris: Et ipsum tetragrammaton haec omnia in se continet, omniumque perfectiones, ita ut nominato sanctae trinitatis nomine, aut Dei, aut domini, simul ibi nominetur tetragrammaton. Cur ergo ab aliis secernitur, cur non efficit in omnibus, quod efficit seorsum? An tam sanctum est, et alia tam profana, ut his mixtum polluatur, aut tam invidum, ut aliis hanc virtutis gloriam invideat? Sint ergo ista Judaeorum figmenta. Christiani melius sapiant, unam scilicet esse omnium nominum Dei virtutem, si fidem

---

*) Edit. princip. † et.

piam habens, sine qua nec sanctae trinitatis nomen tibi prosit.

Veruntamen quando omnia illis contigerunt in figura, ut nec jota nec apex frustra scriptus credatur, non negarim in nomine tetragrammato aliam et singularem prae ceteris figuram fuisse signatam, in novo scilicet testamento revelandam, unde et tunc ineffabile habitum est, et etiamnum habetur Judaeis, quia revelatum ejusdem mysterium pertinacissime exhorrent. Quare ut et nos sive nugemur sive cum eis cabbalisemus, putemus nomen tetragrammaton esse symbolum nominis sanctae trinitatis, et nomen patris et filii et Spiritus sancti, nunc revelatum, tunc sub quatuor literis fuisse adumbratum. Quod ut faciamus verisimile, ex ipsis literis, ex numero, ex significatione earum argutemur.

Significatio est haec, י principium, ה ista, ו et ה ista. Componantur grammatice et latine, resultabit haec oratio: Principium istius et istius. Quod cum nomine sanctae trinitatis per omnia convenit, quod pater in divinitate sit principium istius, scilicet filii, et istius, scilicet Spiritus sancti. Nam ista pronomina istius et istius obscurius filium et Spiritum sanctum repraesentant, sicut conveniebat illi testamento, in quo non erat revelandum, sed indicandum duntaxat mysterium trinitatis. Sed nec patris nomen clare expressum est, licet nomine principii plus notificetur, quam filius et Spiritus sanctus, in quo simul significatum est, nulli esse (sicut Christus Matth. 11. dicit) cognitum patrem neque filium, nisi cui fuerit revelatum, siquidem nec hodie sanctae trinitatis mysterium, etiamsi nomen proferatur, cognoscitur, nisi docente spiritu fidei.

Apparet itaque illis sub nomine tetragrammato

personarum divinarum numerum et naturam non secus esse adumbrata, quam nobis sub isto nomine trinitas, ut sicut vocabulum trinitas, si resolvatur, ejus sententia dabit patrem et filium et Spiritum sanctum, ita tetragrammaton resolutum reddet principium istius et istius, obscurius quidem, tamen idem, aeque enim tres commendantur personae, et duae processiones, atque in nomine patris et filii et Spiritus sancti.

Secundo, numerus est quaternarius. Hic est quadratus planus primus, qui constat duabus proportionibus simplis primis, quarum prior est, unius ad duo *); posterior duorum ad quatuor. Nascitur igitur gemina processione et proportione quadratus unius ad unum, et duorum ad duo, ab unitate incipiens, in quaternitate desinens. Sunt autem proportiones istae juxta arithmeticam inaequales, sed juxta geometricam aequales, sed haec ad mathematicam.

Ita in quadrato hujus divini nominis significatur unitas paternae substantiae, ex qua unus procedit filius aequalis eidem simpla proportione prima, ex utroque autem Spiritus sanctus secunda processione, velut altera proportione simpla aequalis patri et filio, sicut proportio duorum ad duo et unius ad unum aequalis est geometrice. Cum autem proportio ista simpla omnium sit perfectissima, prima et proportionum fons et caput, ubi neutra partium alteram excedit nec exceditur utra, quia unum uni, duo duobus per omnia aequalia, fit, ut aequalitas personarum in divinis, per duas tantum processiones et non plures subsistentium, pulcherrimi istius quadrati seu tetragrammati symbolo

*) In al. editt. leg: unum.

significata sit antiquis patribus in occulto. Aequalis enim patri filius processione prima, aequalis utrique Spiritus processione secunda.

Huc jam facile est referre quatuor istas relationes, quas theologi habent usitatissimas, generatio activa, generatio passiva, spiratio activa, spiratio passiva, haec enim quatuor constituunt (ut sic dicam) Deum trinum et unum, sicut istae quatuor literae ejus nomen.

Tertio, ex ipsis literis ac natura earum. Syllaba prima terminat proportionem primam in literam ה, quae est lenis spiritus, ut indicet processionem, illam in divinis esse non carnalem, sed spiritualem et suavissimam, ac blandissimam, aspirationis enim litera, si proferatur, aliud non est, nisi quidam blandus processus venti seu flatus, ut aptissime hanc processionem filii significet. Similiter et totum nomen terminatur proportione secunda in eandem aspirationis lenitatem, ut et secunda processio intelligatur spiritualis, nec ab ea differens, nisi quod est secunda, et a prima precedens, nec differt Spiritus a patre et filio, nisi processione sola ab utroque. Cum ergo spirituales sint istae processiones et spiritualissimae naturae, necesse est totum principium in totum fluere principatum, quod divisibilis non sit. Ita inaestimabilis pluralitas subsistit in simplicissima unitate.

Haec, inquam, et si qua sunt similia, videntur esse in tetragrammato veteri figurata, nunc vero in omnibus linguis revelata, ut jam tetragrammato non sit opus, non magis quam tota lingua hebraea, pro intelligendo Deo. His suffragatur, quod Burgensis dicit, tetragrammaton idcirco ineffabile dici, quod nullius vocis hebraeae etymologiam sapiat, nec analogia liceat

significationem ejus agnoscere, ut appareat consilio divino has literas hebraeas quidem copulatas, sed tamen velut extraneam et non gentilem Judaeorum dictionem insignificabilem constitutam, quomodo latinis literis liceat dictionem aliquam constituere, grammaticis ignotam, tantum significandi et memorandi causa. Quod Valentiniani videntur aemulati in sua abraxas, graeca dictione.

Recte ergo ineffabile nomen domini dictum est, quod tunc non fuerit revelatum trinitatis sacramentum, etsi occulte insinuatum. Recte quoque soli Deo hoc unicum nomen tributum dicitur, et quod Deum secundum substantiam et internam naturam significat. Nam vere Deus in se ipso aliud non est nisi pater et filius et Spiritus sanctus, trinitas, et ea quae de unitate*) et processione dici solent. Quae res in nulla creatura inveniri potest, quare nec tetragrammaton ei aptari, cum alioquin nomina regis, domini, Dei, fortis, excelsi, אֵל׳ רִים et similium aliis et conveniant et tribuantur vicem Dei gerentibus. Operibus enim Dei externis angeli et homines assimilari possunt, sed trinitas in unitate esse non possunt. Ideo et nominibus Dei fungi possunt, sed tetragrammato et trinitatis vocabulo uti non possunt.

Hinc puto facile solvi difficultatem illam Exo. 6., ubi multi aestuant, quid velit spiritus, quando dicit: „Ego dominus, qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum אֵד׳ נָי׳ non indicavi eis,“ cum tamen nomen tetragrammaton longe ante etiam Gen. 4. et deinceps ponatur. Non inquam puto, id voluisse literas illas, scilicet, non fuisse eis

*) In edit. princip. leg.: nativitate.

indicatas, nisi forte tunc literae nominis ejus nondum fuissent aut compositae aut scriptae, sed quod vis hujus nominis, id est, fidem trinitatis et notitiam Christi non fecerit publicari tempore patrum nec Mosi nec totius veteris testamenti, sed tantum occulte inspirari et figuris adumbrari.

Sunt qui putent tetragrammaton esse nomen Jesu, interserta litera ש, quod optarim esse probatum et verum. At quando Matthaeus evangelista c. 1. salutis etymologiam illi tribuit, dicente angelo ad Joseph: „Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum," tetragrammaton vero (ut dixi) nullius sit etymologiae prorsus, difficile erit id ipsum tueri, ut id taceam, quod in hebraeo vocabulo, quod salutem vel salvatorem significat, necessaria et substantialis, quam vocant, litera sit ע, quam et tetragrammaton non admittit, et nomen Jesu exinde constitutum non habet. Verum aliorum in hac re judicium esto. Haec pro vitanda superstitione Judaeorum dicta sunt.

Quod est igitur nomen Dei, quod hoc loco propheta diligendum tradit? Neque enim unum est tantum, Paulus 1. Timo. 1. sapientem vocat, d.: „Soli sapienti Deo," ibidem: „Regem saeculorum immortalem, invisibilem." Ejusdem 6. d.: „Beatus et potens, qui solus habet immortalitatem." Johann. 1. Joh. 4.: „Deus caritas est." Heb. 11.: „Non confunditur vocari Deus Abraham, Isaac et Jacob."

Et quid si totum huc Dionysium de divinis nominibus advehamus? et eundem rursus de mystica theologia, donec nullum nomen Deo relinquamus? siquidem qui cogitatu incomprehensibilis est, quo nomine effabilis esse queat? Sed aliis otiosioribus ista speculanda

relinquamus, nos pro simplicitate intelligentiae hoc loco nomen domini accipiamus non id, quo vocatur, sed quod de ipso praedicatur, juxta illud Prover. 22.: „Melius est nomen bonum, quam divitiae multae.“ Ejusdem 10.: „Nomen impiorum putrescet.“ Ps. 22.: „Narrabo nomen tuum fratribus meis.“ Nomen ergo Dei bona fama, laus, gloria, praedicatio, praeconium Dei, ut clare monstrat Ps. 102.: „Ut annuntient in Zion nomen domini, et laudem ejus in Hierusalem.“ Ecce nomen domini et laudem ejus idem dicit, et eadem annuntiatione praedicari, Ps. 149.: „Laudent nomen domini, quia exaltatum est nomen ejus solius, confessio ejus super coelum et terram.“

Cum autem solus Deus operetur omnia in omnibus, consequens certe est, soli Deo deberi nomen omnium operum. Solus ergo bonus, sapiens, justus, verax, misericors, clemens, sanctus, fortis, dominus, pater, judex, denique quidquid nominari usquam, aut de quopiam praedicari potest in laudem. Qua sententia efficitur, ut sicut nobis nihil relinquitur virtutis aut operis, ita nihil quoque nominis possumus nobis arrogare, atque ut sumus homines nonnisi peccatum, mendacium, vanitatem operantes, nomen putridum et foedum habemus, ut sit omnis homo mendax, et universa vanitas omnis homo vivens.

Quare nomen nostrum est peccatum, mendacium, vanitas, injustitia, malitia, perversitas, et quidquid male dici de quopiam potest. Haec cum agnoscimus et confitemur, recte agimus, tum enim nos, nostra opera nostrumque nomen odimus, abjicimus, amittimus Deum, Dei opera, Dei nomen diligimus, desideramus et quaerimus, dicentes cum Ps. 54.: „Deus in nomine tuo

salvum me fac," quasi dicat: In nomine meo peribo, imo perditum sim, in tuo autem salvus ero.

Haec autem adversus impiam impiorum hypocritarum *κενοδοξίαν* omnia dici a propheta satis clarum est. Horum enim ut est temeritas, se ipsos justificare cum pharisaeo et Simone leproso in evangelio, ita furor quoque est, se ipsos jactare, et nomen suum amare, praedicare, omnibus aliis insultare, publicanos peccatoresque pessimis nominibus accusare, judicare, vituperare. At pii et fideles Dei homines, si gloriantur, in domino gloriantur, nomen domini sanctificari, magnificari, glorificari petentes. Horum est se ipsos accusare, judicare, damnare, omnibus inferiores se existimare, in novissimo loco sedere, atque ita nomen suum prorsus ignorare.

Verum et hic crux ipsa sola judex est testisque veritatis, quandoquidem sunt, qui nomen domini a se diligi jactent, magna fiducia etiam chartis illiniant: in nomine domini, et: soli Deo gloria, item: laus Deo, et: in nomine Jesu, et similia, denique cui non est in usu vulgatissimo insignis illa et christianissima oratio: Deo gratias? Quid enim felicius ecclesia esse possit hodierna, si nemo eorum, qui haec jactant, mentiretur, et nomen domini sui in vanum non assumeret, sed rara haec avis. Si enim vere nomen domini diligunt, ac non potius sui ipsius, cur indignantur et impatientissime ferunt, quoties nomine proprio tanguntur, hoc est, dum vel stulti vel mali vel alio opprobrio onerantur? Cur hic non agnoscunt nomen suum, et dicunt: Deo gratias, et: soli Deo gloria? Cur veritati, quam alius coram eis profitetur, tam atrociter resistunt, quando eandem ipsi tam vero corde (ut garriunt) de se ipsis profitentur?

Itaque crux ipsa omnes ostendit mendaces, ut vere ille dixerit: „Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax."

Vides ergo, quam repente odium nominis sui mutatum est in impetuosissimum amorem nominis sui, simul falsus amor nominis Dei prodit se ipsum, dum impatientissime fert nomen domini sibi auferri per alium, quod ipse continue et mendaciter a se ipso rejecit, et sibi ipsi abstulit dicens: Deo gloria, et: Deo gratias, ego autem peccator. Hunc profundissimum affectum quis digne observare posset, nisi Christus cruce et contumeliis nos probari curaret? Atque haec est sententia Gregorii eximia: Qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia probat. Nam hic mox Deo gratias vertitur in Dei blasphemiam.

Sed invenit iste struthio frondem, qua se tegat, et in peccatis excuset, primum illud Aug.: Qui negligit famam, crudelis est, et iterum: Conscientia tibi, fama proximo necessaria est. Tum illud 1. Petri 4.: „Nemo patiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor, si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine." Sed et d. Hierony. palam docet, in suspicione haereseos non debere patientem esse quemquam. Primum hoc loco loquimur in spiritu cum propheta et coram Deo. Providere utique debemus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, Ro. 12. et 2. Cor. 4.: „Commendantes nosmet ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo," et 1. Thessal. ult.: „Ab omni specie mala abstinete vos." Christus quoque Matth. 5. persecutionem passos praedicat beatos, sed propter justitiam.

Ita verissimum est coram hominibus nos non debere mentiri et falsum crimen agnoscere, sed potius

mori, sicut mulier illa septies percussa, apud Hier. Veruntamen sicut pati debemus mortem et quaecunque mala propter justitiam innocentes, ita libenter debemus pati nominis nostri injuriam, nec ipsum repetere cum tumultu, aut retaliare injuriam, sed quantumlibet innocentes coram hominibus, tamen coram Deo confiteri oportet nos meruisse multo majora tam rerum vitae quam nominis incommoda. Sicut enim res et vitam, ita et nomen bonum debemus agnoscere esse bona Dei creaturas optimaque dona. Verum non debemus nos his dignos aestimare, et injuriam fieri nobis putare, si auferantur, imo indignos nos his omnibus agnoscere, patienterque eis volente Deo carere.

Quare non est necesse adulterum aut homicidam te confitearis, si non sis, aut agnoscas crimen ejusmodi tibi intentatum, imo nec confiteri nec agnoscere debes, ne mentiaris tu simul cum eo, qui te mendaciter afficit ignominia, et tamen paratus ac quietus esse debes, si testimonio tuae innocentiae a te dato non credens nihilominus te criminetur, sicut non debes dicere vitam tuam esse nihil aut carnem tuam esse phantasma, aut aurum tuum esse cuprum, quo humiliter sapias, sed haec confiteri talia, qualia sunt, et tamen si auferantur, non resistere, neque repetere, nec vindicare.

Ita famam tuam obscurantibus et detrahentibus resistere non debes, etsi debes innocentiam tuam protestari, nec eorum mendacia silentio malo confirmare. Sic olim christiani Lugduno Galliae accusati, quod in occultis infantes vorarent, usque ad mortem constanter negabant, et Hiere. 37. cum Hierias criminaretur Hieremiam, quod ad Chaldaeos fugeret, respondit: „Falsum est, non fugio ad Chaldaeos.“ Nihilominus tamen, cum

non crederetur ei, passus est se caedi, et in carcerem mitti innocentem. Sed et Christus coram Anna constanter tutatus est doctrinam suam, quam ille interrogans oblique damnavit, et tamen alapam accepit a ministro, passus innocenter, eodem crimine ab incredulis traduci.

Hac regula et hodie nobis necessarium est incedere, quando impiissimi magnatum adulatores insanientes et ferocientes innocentiae bonorum insidiosissime obtrudunt nomen haereticum, scandalosum, erroneum, seditiosum, aurium offensivum, pontificali reverentiae detractorium et id genus, prout libitum est suis opinionibus.

Ferenda sunt, inquam, haec portenta, sed non agnoscenda. Quodsi praevaleant ratioeque reddita non contenti pergant furere, Deo confitendum est, nos digna pati, et nomen non nostrum, sed Dei nobis vi, imo et jure auferri, ut qui indigni simus eo nomine, intus vero per fidem et conscientiam, forisque per confessionem constantissime ei adhaerere. Nec enim nobis nomen bonum auferunt, quorum non est, sed Deo, cujus dono in nobis erat. Quin sibi ipsis nostrum nomen auferunt, cum ideo nobis datum fuerit, ut ipsi per hoc ad Deum moverentur, luce bonorum operum nostrorum eruditi, ut glorificarent patrem nostrum in coelis. Nihil ergo nobis aufertur de bono nomine, quando ipsum nec in conscientia nec confessione auferre, sed tantum in opinione sua propria, suo scilicet damno exstinguere possunt, ita ut magis illorum miseriae condolendum, quam nostro damno tristandum sit. Qua in re dum innocentes nos confitemur, et reddita ratione nomen malum repellimus, non nobis, sed ipsis etiam invitis calumniatoribus servimus.

Hoc affectu, hoc canone non curant famam suam struthiones isti, sed id tantum quaerunt, ne patiantur infamiam, nec quiescentes, donec adversariis (si possunt) oppressis nomen suum receperint, juxta juris regulam, vel errorem potius, vim vi repellantes. Atque ne fiant crudeles, famam negligendo (ut putant), impii fiunt et crudeles simul, nomen bonum vindicando, tanquam suum, non Dei. Itaque perversissime abutuntur sententia Augustini pulcherrima: Qui negligit famam, crudelis est, et iterum: Fama tua proximo necessaria est. Non enim ideo furendum est, et contra evangelium pallium repetendum, quia pallio tuo opus est proximo tuo, nec res quaelibet defendenda, nec ipsa sane vita, quod his eget proximus tuus. Sic non est fama per vim repetenda, quia necessaria est proximo. Satis est in his omnibus non agnovisse crimen, deinde opus est velle pro Deo majora pati, ut sic altera maxilla quoque parata sit, et tamen prioris percussio non agnoscatur tanquam merito inflicta.

Esse autem meram simulationem in his pugnacibus et pertinacibus famae tutoribus, eosque falsissime dicere se amore nominis domini haec moliri, nec suum, sed Dei nomen quaerere, probabis hoc signo. Primus, quod in ceteris rebus Dei sunt incuriosissimi, neque enim ita aestuant, ut faciant voluntatem Dei, et regnum ejus quaerant, quae tamen maxime facerent, si nomen Dei pure diligerent. Deinde idem nomen domini et famam bonam in proximo suo patientissime tolerant perditum iri. Quin ipsi primi omnium sunt, qui, ut nomen domini in se statuant, in proximis perdunt, ut hodie sunt, qui christiani et catholici sibi videntur esse non posse, nisi inquirant, quos haeretico opprobrio condemnent, ut probent, aliud nomen domini, et

alium Deum in se ipsis habere, et aliud persequi in proximis suis.

Quare ne credas eos esse amatores nominis domini, qui promti sunt alios malo nomine insignire, et se solos bono nomine commendare. Idem nomen est in omnibus, nec plus potest diligi in te ipso quam proximo. Erras, si doles et ureris te haereticum vocari, et rides gaudesque proximum haereticum haberi, quanto magis, si tu ipse, ut speciosus sis, alium defoedes, cum ideo speciosus esse debeas, ut alterius foeditatem tegeres, sicut membra honesta tegunt inhonesta. 1. Cor. 12.

Sed ad verba prophetae redeamus. „Diligunt nomen tuum." Nomen domini diximus esse famam, notitiam, laudem domini, quae utique oportet ut sit in aliis, hoc est, in nobis per fidem et confessionem, ut scilicet, non nostra justitia, virtus, sapientia, sed Dei in nobis reveletur, crescat et regnet. Sic enim in nomine domini baptisati sumus, ut jam non nos, sed Deus vivat in nobis, et nomen impiorum pereat, quo solum Dei nomen in nobis sit; ubi ut omnia opera nostra illius sunt, ita et nomen, sic tam res ipsa quam nomen non nobis, sed Deo tribuatur.

Quocirca ne hoc quidem inepte dicitur, nomen domini intelligi sive Jesum Christum sive patrem et filium et Spiritum sanctum, quod haec sint nomina Dei, qui solus habet omne nomen bonum. Ita qui diligit nomen Jesu, diligit simul salutem Dei, veritatem Dei, misericordiam Dei, virtutem Dei, sapientiam Dei, et omne bonum. Haec enim omnia in nomine domini quocunque includuntur. Quodsi hoc facit, necessario simul odit nomen suum, nec gloriatur in sapientia, salute, virtute hominis, quia vana sunt, ut habere dignus sit in se.

nomen domini, quo et ipse salvetur, et Deus glorificetur.

Quare emphasin utriusque vocabuli observemus „diligunt" et „nomen." Non ait: Qui scribunt, dicunt, sonant, indicant, cogitant, acute disputant, cognoscunt, sed: „Qui diligunt nomen tuum." Quis enim non videat, quanti sint, qui Deum et nomen ejus tractant, nec tamen gloriantur in eo? Cor eorum vanum est, et intimus affectus amoris perversus, quo perverso nihil rectum geri potest, quo recto nihil perversum geri potest. Cum sancto sanctus, cum perverso perversus est Deus.

Quid autem sit diligere nomen domini, non intelligetur melius quam ex ipsa vi naturaque dilectionis; quae est non quaerere, quae sua sunt, sed quae illius, quem diligit. Quare is demum diligere probabitur nomen domini, qui contemto suo et omnium nomine solius domini nomen optat exaltatum, dilatatum, magnificatum omnibusque cognitum. Quod ut fiat, necesse est, ut omnia cogitet, dicat, faciat, patiatur, quae pro nomine domini cognoscendo exaltandoque valere putaverit, cum dispendio tam rei quam nominis sui. Quo fiet, ut vane gloriosus esse nequeat, sed sui ipsius prodigus contemtor inveniatur, nec in ulla re superbus glorietur quam in domino, cujus nomen solius diligit et quaerit. Qui ergo tempore sereno et sua intutus sibi placet suumque nomen libenter audit, hic fornace illa, quam Prover. 27. „os laudantis" appellat, probatur non diligere nomen domini, sed suum, quales propheta impios illos hoc loco sugillat, in fiducia justitiae suae gloriantes. De quibus et 1. Re. [1. Sam.] 2.: „Nolite loqui sublimia gloriantes, recedant vetera de ore vestro, quia non in fortitudine sua roborabitur vir."

Paulus quoque gloriatur omnia se posse, sed in eo, qui se confortat, alioquin non gloriatur, nisi in infirmitatibus suis, 2. Cor. 11. Pulchre et breviter haec b. virgo comprehendit hoc versu: „Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus," quasi dicat: Nihil ego feci, ille fecit mihi magna, qui solus operatur omnia, qui solus potens est in omnibus, cujus ob id solius nomen quoque est, ipsi soli gloria, qui solus facit, sanctum videlicet, quod nulli liceat attingere et sibi usurpare. Qui enim opus suum non esse intelligit, qua temeritate nomen sibi de opere alieno vendicet? Ille ergo sanctificat nomen domini vere, qui ab ipso usurpando sibi temperat. Hoc facit, qui opus omne bonum agnoscit nihil prorsus ad se pertinere, sed ad solum Deum, ut sit juxta Ps. 146.: „Sanctus quoque in operibus suis." Ecce hoc est praeceptum secundum: „Non assumes nomen domini Dei tui in vanum." Hoc oramus dicentes: „Sanctificetur nomen tuum," hoc est, quod Ps. 111. dicit: „Sanctum et terribile nomen domini."

At impii isti justitiarii, temere irruentes, nomen domini sine fine polluunt, dum sibi justitiam, virtutem, sapientiam tribuunt, et in his nomen suum libenter audiunt. Ex quibus illud sequitur, quod, quo pluribus donis Dei quispiam est adornatus, eo periculosius vivit, nec sit ulli hominum tam necessarius timor Dei, ne polluat nomen ejus, et sibi tribuat quidquam de iis, quae Dei sunt, aut tributum ab aliis patienter ferat. Haec est illa tentatio a dextris, ubi cadunt decem milia, sagitta, scilicet, volans in die, et daemonium meridianum. Propter quam solam causam s. Grego. audet in multis locis asserere, omnium sanctorum bona opera esse immunda, quod videlicet a nomine domini

satis abstinere nequeant, nec tam sanctum ac terribile habeant, quam haberi debeat, nisi plene mortificata sit naturae passio, quod in hac vita non perficitur. Quotusquisque enim est, qui ad nomen et laudem sui terretur et expavescit, tanquam a re Dei sacratissima, quam terror sit attingere? Quin suaviter ridemus, et sicut porci patienter sustinemus confricationem ejusmodi laudis.

Sed ubi illi parebunt, qui velut gigantes monte monti imposito et turri Babylonis exstructa contra dominum et nomen ejus belligerantes immensa libidine laudis et famae insaniunt, ut domino tam opus quam nomen penitus auferant sibique solis vendicent, interim aliud non garrientes, quam: sanctificetur nomen tuum, soli Deo gloria, Deo gratias, in nomine domini, amen, et similibus fucis et stibio oculos Jezabelis suae tingentes, pingentes, fingentes. Adeo scilicet mundus refertus est rapina aequalitatis divinae, profanatione nominis Dei, pollutione gloriae Dei, et non est, qui intelligat, adeo ut pro nomine Dei contra nomen Dei horribiliter etiam pugnent et implacabiliter dissentiant.

Calices, pallas, lintea ecclesiarum et altarium quanta est religio tangi a laicis, quod videlicet sint consecrata in nomine domini? At ipsum nomen domini, quo omnia consecrantur, nemo foedius polluit et conspurcat, foedissimi scilicet affectus gloriae contactu, quam illi ipsi exsecrati consecratores, reprobi justitiarii, vanissimi jactatores operum et verborum suorum.

Igitur ille venerabiliter diligit nomen domini, qui pia reverentia trepidat a laude et nomine bono, tanquam ab unguento illo abstinens, quod Exo. 30. praecipitur sanctum haberi, nec similem ejus compositionem fieri, nec carnem hominis ungi ex eo, sed solum taberna-

culum et vasa ejus etc. Qui enim sic nomen domini colit et sanctificat, rursum sanctificabitur ab eo, juxta illud Ps. 18.: „Cum sancto sanctus eris.“ Non solum autem ita reveretur nomen domini, ne tangat, ne usurpet, ne ungnat se illo, sed cupit omnibus idem nomen hoc modo sanctum et terribile fieri, atque ut hoc fiat, nihil omittit sive faciendo sive patiendo. Sic sanctum Thomam Aquinatem legimus, quoties sui laudem audiret, se sub veste sua cruce signasse, optima certe et pia reverentiae consuetudo. Summa omnium, ea quae dicta sunt, vulgo dicuntur in hunc modum: Ne quis in prosperis elevetur. Breve et facile verbum dictu, sed obscurissimum et profundissimum intellectu, nec nisi expertis cognitum, sicut Ps. 111. dicit: „Sanctum et terribile nomen ejus, initium sapientiae timor domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio ejus manet in saeculum saeculi.“

Qui vero timorem domini non intelligunt nisi eum, qui a crassis peccatis et voluptatibus metu poenae absterret, nihil intelligunt, nec unquam discent gloriari in domino, cum timor domini is sit, quo timemus, ne quidquam eorum, quae domini sunt, id est, virtutem et nomen nobis arrogemus, et arrogantes polluamus, non secus atque res sacras tangere veremur, ne polluamus. In quo timore sic proficiendum est, ut non solum temporalia, sed et spiritualia bona non usurpemus nobis, nec in his quidquam nostrum esse sciamus, nisi usum ipsum necessarium pro nobis et proximis, solius largitate domini nobis concessum, pia reverentia possidendum, et in ipsum cum fideli gratitudine referendum.

Qui tales sunt, eorum laudatio manet in aeter-

num *), scilicet, quod non se ipsis nec ullis hominibus laudantibus gloriantur, sed juxta Paulum 1. Cor. 4. a Deo solo volunt laudari. „Tunc," inquit, „erit unicuique laus a Deo," et Ps. 34.: „In domino laudabitur anima mea," et rursum 2. Cor. 10.: „Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat." Hos autem solos Deus laudat et commendat, qui laudem quamcunque abs se in ipsum retulerunt, nec voluerunt videri opera sua, nisi ut glorificetur pater eorum in coelis, cujus nomen dilexerunt. Quare rursus eos ipse laudat et glorificat, sicut dicit 1. Reg. 2.: „Qui honorificaverit me, glorificabo eum, et qui contemnunt me, erunt ignobiles."

Arduissimum autem est, sed necessarium, a solo Deo exspectare laudem et nomen, amissis interim omnium omnibus nominibus, et si qua contigerint, velut non contigerint, in Deum relatis, nec nisi pro aliorum salute cum timore toleratis potius quam possessis. Hoc nimirum est servire domino in timore et exsultare **) ei cum tremore, nec desperare tentatum, nec praesumere consolatum, ut jam saepe diximus.

Quoniam tu benedices justo domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos.

Hiero. sic: Quoniam tu benedices justo domine, ut scuto placabilitatis coronabis eum. Pronomen „tuae" omittit, et pronomen eum aptius est quam „nos", refert enim justum. Videtur etiam mihi genitivus in ablativum rectius mutari, ut scuto, placabilitate coronasti eum. Verum major vis in distinctione sita est. Nostra enim

---

*) Edit. princip. † laudatio eorum. **) In edit. princ. leg.: exaltare.

translatio incipit ultimum versum a vocativo „domine", qui Hebraeis est finis medii versus. Habet vero hic versus paulo alliis verbis eundem sensum, quem ultimus versus Ps. tertii: „Domini est salus et super populum tuum benedictio tua." Unde sicut illic epitasis et emphasis in pronomine „tua" et genitivo „domini", ita hic in pronomine „tu" et vocativo „domine" observanda. Cujus intellectus pendet ex antithesi utriusque generationis, piae et impiae. Impiam benedicunt homines, et maledicunt piam, at piam tu benedices domine, sicut supra Ps. 3, versu ultimo expositum est latius.

Reddit autem rationem versus praecedentis, in quo dictum est laetari omnes sperantes in Deum, tempore adversitatis exsultare, et curae esse Deo, in prosperis vero gloriari in domino omnes, qui diligunt nomen ejus. Quod ideo faciunt, quia sciunt te unum esse, qui justo benedicat. Qua scientia eruditi contemnunt benedictiones et maledictiones hominum, qui eos tantum benedicunt, qui suum proprium nomen diligunt, eos vero, qui solius domini nomen diligunt, id est, justos semper maledicunt. Quare non otiose addit „justo", manifeste adversarios impios indicans, quibus non Deus, sed homines benedicunt contraria benedictione.

Ubi iterum in spiritu loquentis prophetae verba observanda sunt, quod, sicut superius appellavit eos operarios iniquitatis, malignos, impios, qui nihil minus quam hanc speciem malam coram hominibus et in oculis suis habent, sed habent speciem pietatis, virtutem ejus abnegantes, ita justos appellat eos, qui in spiritu tales sunt, nihil minus hominibus quam justitiae nomine digni visi, ut quos oportet esse stultos, malos, insanos coram speciosis illis sanctis, qui suarum benedictione virtutum sibi securi sunt. Qui morbus seu

potius impetus impietatis in ecclesia hodie usque ad desperationem remedii praevaluit. Adeo quidquid magnatibus visum est, abunde invenit benedictores suos, tanquam Deo ipsi simul visum ac placitum. Contra quod si mutias aut dubites, necesse sit te mox haereticum et filium diaboli, filium perditionis sine timore pronuntiari.

Sic hodie patitur nomen sanctum et terribile Dei, sic prostituitur insanissimis cupiditatibus hominum, sic servit immanissimae tyrannidi Turcorum ecclesiasticorum pessimorum, factum prorsus operculum omnium nequitiarum omniumque malorum, ita ut nihil horribilius videri possit, si oculos spiritus aperias, quam quod nomini Dei tribuuntur nonnisi summa, infinita, diabolica opera, rursum diabolico nomini nonnisi optima et christianissima opera. Neque enim hodie licet, si cui teterrimo facinori quispiam adulator magnatum praefixerit nomen domini et auctoritate Dei, Christi et apostolorum diaboli sui studia adduxerit, resistere et reprobare, sed nisi haereticus exuri velis, hunc Satanam et antichristum propter nomen Christi praetextum oportet adorare et pro divinis operibus celebrare.

Contra si quid moliatur Deus monstris illis contrarium in nomine domini, prorsus non licet huic favere, consentire, assistere, sed diaboli auctoritate et nomine ista geri oportet credere et dicere. Quid enim aliud mereretur furiosa nostra in Christum ingratitudo, quam ut in sensum reprobum traditi peccato blasphemiae in Spiritum sanctum hic et illic irremissibili, sine fine sine timore permittamur peccare, Deum sub nomine diaboli damnantes, et diabolum sub nomine Christi adorantes! „Iustus es domine, et rectum judicium tuum.“ Si enim gentes, quod cognito Deo gratias non egerunt,

sic tradidit Deus in sensum perversum, ut monstra illa, quae Ro. 1. apostolus recenset, patrarent, si Judaeos ita percussit, quod Christum non susceperunt, quanto malo nos eramus dignissime feriendi, qui susceptum et nomen ejus professi, tanta malitia subversi, nomen ejus illudimus et conspurcamus? At haec quantae putamus esse cruci iis, qui diligunt nomen domini? Quam horrendum vivere in hoc tempore et nominis divini has intolerabiles contumelias audire et videre!

Discamus itaque nos interim et ob oculos ponamus adversantia illa sibi judicia Dei et hominum, ne erremus cum insipientibus, neve consilium Dei ignorantes deficiamus. Stat firma sententia: Qui volet justus fieri, peccator fiat necesse est, qui volet sanus, bonus, rectus, denique deiformis, christianus catholicusque fieri, insanus, malus, perversus, denique diabolicus, haereticus, infidelis, Turca fiat, et ut Paulus dixit: „Qui vult inter vos esse sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens.“ Stat, inquam, haec sententia firma, quia sic est voluntas in coelo, quod per stultitiam sapientes, per malitiam bonos, per peccatum justos, per perversitatem rectos, per insaniam sanos, per haeresim catholicos, per infidelitatem christianos, per diabolicam formam deiformes facere proposuit.

Quaeris, quo modo? Cito et breviter dicetur. Talis non poteris fieri in Deo, qualis vis, nisi talis prius fias in te ipso et hominibus, qualem ipse vult. Vult autem te fieri in te ipso et hominibus hoc, quod vere es, id est, peccator, malus, insanus, perversus, diabolicus etc. Haec nomina tua, haec res tua, haec veritas ipsa, haec humilitas est, quae ubi facta fuerint, jam talis es coram Deo, qualis tu volebas, id est, sanctus, bonus, verax, rectus, pius etc. Hac ratione

alius tibi et hominibus, alius soli Deo eris. Quid ergo miraris? quid turbaris, si vel tibi vel hominibus displices? Quibus nisi displiceas, Deo placere non possis. „Si adhuc hominibus placerem (inquit Paulus Gal. 1.) servus Christi non essem."

Sed id nos fallit, quod homines esse non arbitramur duces Israel, et eos, qui horum studio insaniunt, quasi ignoremus sub nomine Christi etiam apostolis ipsis fuisse insidiatum a pseudoapostolis. Adeo secure nos falli delectat nomine beatorum apostolorum et apostolicorum, modo liceat eis placere, ut impleatur illud Ps. 53.: „Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos," et Isa. 3.: „Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant." Obsecro, quam robusta et libera haec diffinitio: Decipiuntur omnes, qui laudantur, laudatores sunt deceptores? Quis non expavescat laudari? Quis non optet vituperari? Illine soli recte ducunt ac docent, qui nostra arguunt et miseros nos dicunt? Vere ita habet. Nam et apoc. 3. angelo Laodiciae dicitur: „Dicis, quia dives sum et locupletatus, et nullius egeo, et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et nudus et caecus."

Rebus autem sic habentibus, diligentissime cavendum est cuique christiano, ne turbam turbaeque secutus iudicium, eum contemnat vel laudet, qui hominibus vel laudatus vel vituperatus habetur. Periculum est enim hic, ne incurratur in dominum gloriae, qui cum sceleratis reputari voluit, et cum sic reputatis manet usque ad consummationem saeculi, quia peccatores coram hominibus solos ipse iustificat, et sanctos saeculi damnat. In illis enim absconso eorum nomine habitat nomen Dei

sanctum et terribile, quo sanctificantur, in his ejecto nomine Dei inest nomen hominum profanum et abominabile, quo polluuntur.

Eadem ratione nec te ipsum licet contemnere, ac de te desperare, eo minus, quo miserior in te ipso fueris. Nam dum nullum peccatorem licet judicare ac damnare, nec de eo desperare, nec te ipsum licet judicare ac damnare, sive tibi sive hominibus factus fueris peccator, non aliter atque non licet tibi te laudare ac justificare, nec de te praesumere, sive tibi sive hominibus aliquid esse videberis, sed de solo Deo gloriari, et in nomine ejus delectari, quod bonum est in conspectu sanctorum suorum.

Credo autem satis notam synecdochen figuram, quod „justo" singulari numero pro justis plurali dicitur, seu pro generali sententia distribuendo: „Benedices justo," id est, quicunque fuerit justus. Deinde bene dicere in scripturae esse idem, quod laudare, glorificare, bona optare, bene precari. Contra maledicere vituperare, malum optare. Quod si a Deo fiat, res est et factum; quia ipse dixit et facta sunt, ut et de hominibus, nihil sequitur.

Justus vero, ex multis jam dictis, Psalmo in spiritu et abscondito dicitur, qui non in suis nec hominum, sed Dei oculis justus est. Hic est, qui credit et fidit in Deo, de quo recte dixeris: Justus est peccator, sed diverso theatro et conspectu, ut diximus.

„Ut scuto placabilitatis coronasti eum," hoc est, abscondidisti eum, juxta illud Ps. 125: „Dominus in circuitu populi sui" [illegible] „Circumdedit [illegible] oculi." [illegible]

illud sentias Ps. 118.: „Circumdantes circumdederunt me, sicut apes etc." Quare fide apprehendenda est placabilitas, bona voluntas, benevolentia ista Dei, ne deficiamus, cingente nos in modum coronae Saule nostro, 1. Reg. 23. Ita videmus variam Dei in nos consolationem, sed in spiritu, ut provocet nos ad fiduciam sui, sicut Deutero. 32.: „Quasi aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, sic enim adscendit super cherubim et volat, volat super pennas ventorum." Ps. 18.

Atque haec verbosissime, nec tamen satis digne de his affectibus, fidei, spei, caritatis, gaudii dicta sint, ad quae, cum deinceps occurrerint, remittemus, ut semel prolixitate absoluta post haec breviores simus. Sitque cum hoc quinto Psalmo finito hic primi stadii medius, ut recreati parvula quiete ad sextum alacriores veniamus.

Et quoniam visum est hoc loco paulum subsistere, propter nonnullorum usum, adjicienus coronidis vice duos versus per ecclesiam cantatissimos in fine Psalmorum: Gloria patri et filio et Spiritui sancto etc., quando ipsi penitus affines sunt ultimis duobus hujus Psalmi versibus, in quibus nomen domini glorificandum et diligendum doctum est.

Gloria (inquit) patri et filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum, amen.

In his versibus religiosissimis exigendus est affectus, ut jugiter psallatur voce, psallatur et mente et spiritu. In quibus summa omnium orationum et affectuum comprehenditur; item sicut atque in prima dominicae orationis parte (sanctificetur nomen tuum) omnia [illegible],

ut in primo decalogi praecepto omnia sequentia vides, ut sicut primum praeceptum fons et mensura est omnium aliorum et prima oratio omnium orationum, ita hujus versus affectus primus, ut summus est omnium affectuum. Neque enim quidquam orari debet, quod non primum in gloriam majestatis referatur, ut sanctificetur nomen ejus, nec quidquam fieri in opere, in quo non primum quaerantur ea, quae Dei sunt, aut habeatur Deus alienus. Ita nullius affectu debemus impensius moveri, quam gloriae Dei.

Denique hoc versu, si spiritu et mente consideremus, brevi compendio absolvemus totam illam sacrificiorum veteris testamenti turbam. Quid enim aliud erat Deo offerre pecudes mortificatas, nisi nos significare homines peccato mortuos offerri Deo, viventes justitiae in laudem et gloriam gratiae suae? sicut Oseas cap. 14. dicit: „Tunc reddemus vitulos labiorum nostrorum," et Ps. 51.: „Tunc acceptabis sacrificium justitiae, tunc imponent super altare tuum vitulos", et Hebr. 13.: „Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper, fructum labiorum confitentium nomini ejus."

Nec aliud est novi testamenti sacrificium, quam hujus versus, ita ut et altaris sacramentum appelletur eucharistia, id est, gratiarum actio, quod in eo officio hujus versus vim et affectum proprie pertractamus. Non enim satis est communicare corpori dominico, nisi in memoriam ejus id faciamus, sicut praecepit. At quam multi sunt, qui haec verba quotidie inculcant, tam pauci sunt, qui id, quod significatur, adimpleant. Quare necesse est unumquemque sibi ipsum observare et admonere hujus versus quotidie [illegible] dictatorio, quidnam Deo debeat.

Igitur tribus personis divinam non gloriam, sed

gloriam, quod aequalis sit gloria eademque unius aeterni Dei, sicut una majestas et divinitas, in quo Deum unum sanctum revelatum confitemur. Ubi fide summa necessaria est, quae ut hic veram exerceat, proponitur incomprehensibilia sunt enim, quae loquimur et summa nostrae fidei capita.

Verum ut ad aetatem nos accommodemus, placet interim, quod patri potentia et virtus, filio sapientia et consilium, Spiritui sancto bonitas et caritas tribuatur, atque his notionibus apprehendantur, ut, qui psallit gloriam patri, suam simul offerat vanissimam gloriam, confessus suam infirmitatem et impotentiam, nec optet fortis aut potens esse nisi in Deo patre; dum psallit gloriam filio, abominetur suam sapientiam et consilium, mactetque his bestiis offerat confessus suam insipientiam et stultitiam, nec optet sapiens prudensque haberi, nec apud se nec apud homines, nisi in Deo suo filio, dum psallit gloriam Spiritui sancto, ponit fiduciam justitiae et bonitatis suae, peccata confessus optetque ex Deo Spiritu sancto justus et bonus fieri mactetque opinionem bestialem suae justitiae. Ita fit ut omnia Deo, nobis nihil relinquamus, nisi confusionem et confessionem malorum et nihili et miseriae nostrorum. Ita justificati eum, reddentes unicuique, quod suum est.

Tamen nullus ita sapiat, ut sese credat dignum hunc versum psallere, sed magis optative quam indicative psallat, ut sit simul oratio, laus et gratiarum actio, ut nusquam vana gloria virtutis, sapientiae, bonitatis nostrae alibi reperiatur, quae non aliquid Deo detrahat gloriae, itaque sacrificet hoc sacrificium.

Hunc putem sic intelligendum esse, ut communis si

oratio: „Sicut olim et nunc et semper, et in saecula saeculorum," hoc est, ut optat omnem creaturam ab initio usque in aeternum secum glorificare Deum; in quo pro omnibus et cum omnibus oratur, laudatur, glorificatur Deus, quae est gratissima et efficacissima, quia communissima, in quo id, quod in nobis deest, suppletur per communionem omnium sanctorum, et praecipue Christi, in qua universitate tutissimum est concinere; ubi vocis nostrae defectus multitudine perfectorum juvatur et perficitur.

Unde impossibile est hominem vanae gloriae deditum hunc versum psallere, nisi velut horribili ruditu totam hanc jucundam harmoniam universae creaturae confundat, quo sibi ipsi malum in caput provocat et accelerat. Non enim tolerabilis est importuna ista dissonantia, Dei melodiam interturbans. A qua perdita gloria nos liberet ipse Christus, gloria nostra, in saecula. Amen.

WITTENBERGAE ANNO DOMI. M. D. XIX.

PSALMUS SEXTUS.*)

Ad victoriam in organis super octavam Psalmus David.

De victoria et organis dictum est Psalmo quarto. Octavae vero mysticam significationem multi exquisitissime tractaverunt, quos suo sensu abundasse permittamus, et eos, qui simpliciter citra mysterium loquuntur, sequamur, grammatica sive historica sententia arbitrantes octavam fuisse organum seu citharam ogdochordam, siquidem

*) Haec inscriptio in edit. princip. deest.

Ps. 33. indicat psalterium decachordum, ut sit sensus, Hunc Psalmum esse unum eorum, qui ad victoriam canerentur in organis (de quibus supra Ps. 4. ex 1. Paralip. 15. diximus), sed ita, ut proprio instrumento ogdochordo, scilicet cithara, caneretur, ut octava sit in titulo addita designandae speciei gratia. Nec mihi incognitum est, ogdochorda fuerit ne summa, media an infima cithararum. Psalterium decachordum apparet summum fuisse, ut quod in jucundis et festivis Psalmis legamus celebrari. Certum est, Ps. ad victoriam in citharis cani solitos, quas frequenter generali vocabulo organa vocant Psalmorum tituli.

Non autem est dubitandum, quod haec omnia fuerint figurae futurorum, et octo istas chordas non frustra fuisse tum institutas tum commendatas. Ego sane pro mea temeritate non tantum ad octavum resurrectionis futurae diem cum illis verto, sed ad praesentis ecclesiae quoque conditionem et affectum quendam singularem fidelium Christi, non quod et tunc in vet. test. non fuerit haec conditio, sed quod non revelabatur. Quare vel animi causa pie meditemur, ogdochordam citharam fuisse summam et principem prae ceteris insignem, sicut psalterium decachordum summum fuisse putamus, ideoque eam hoc titulo, adjecto nomine octava, insignitam.

Dictum est autem in principio, psalterium et citharam in hoc differre, quod psalterium, quia cavitatem superno ligno habet, resonantiam desursum reddit, contra cithara, inferno ligno cava, ab imo sonat. Quibus rebus figurentur duo illa sacramenta mortis et resurrectionis Christi, in nobis mortificatio carnis et vivificatio spiritus, ut citharae cantus aliud in veritatis revelatione non sit, quam opus crucis, mortificatio membrorum, destructio

corporis peccati, quia sursum ducitur a terrena sua sapientia, ut sapiat ea, quae sursum sunt, ubi Christus est, psalterii vero cantus sit opus spiritus, justificatio, salus, pax et similia, quae fide et spe sursum veniunt. Unde et citharae proprie Psalmi ad victoriam, sicut dictum est, aptabantur, quod opus domini, id est, crux Christi, indigeat exhortatorio, quo ad finem usque perferatur et victoriam perseverantia obtineat.

Quando autem hoc Psalmo summus ille crucis et mortificationis extremaque linea mortis, puta, et inferni describitur, non inepte ei summa cithara (id est) octava adaptatur. Octonarius autem numerus et celebris et sacer est in sacris literis (ut Hiero. recitat) ex octava die circumcisionis et octo animabus in arca Noe. David quoque octavus et novissimus filius Jesse dicitur, et Zacharias, Iohann. pater, octava die recepit loquelam, et similia. Sunt autem octo numerus solidus, quadratus pariter par, sex aequalibus lateribus, habens 24. triangulos planos, et octo solidos, sicut tessera, quae et ipsa quadrata figura in sacris literis usitata est, a philosophis aequabilitati et stabilitati tributa. Porro senarius (quo et hic Psalmus censetur) est primus numerus perfectus, ut significetur solida, stabilis perfecta absolutaque veteris hominis mortificatio hujus citharae cantu, quae revera hoc Psalmo describitur. Cur autem non et aliis Psalmis ejusdem argumenti idem titulus praefigatur, volumus libenter (ut Aug. verbo dicam) nescire, quod noluit Deus nos scire.

Quare hujus Psalmi verba ei convenient, qui super octavam canit, hoc est, qui extremis mortis et inferni doloribus cruciatur, quod et ipsa verba ostendunt. Unde meo judicio hic Psalmus facit, quod praecedens docuit. Diximus enim illic naturam et vim spei in

medio malorum et peccatorum laborantis, consistere. Cujus qui sint affectus, qui aestus, qui gemitus, quae verba, quae consilia, hoc Psalmo declaratur.

Proinde generalem putemus esse sententiam et doctrinam Psalmi, quae non modo ipsi Christo, sed cuilibet christiano, haec patienti competat. Quodsi purgatorii poena est (ut mea fert opinio) pavor mortis et inferni horror, defectu sanae et perfectae caritatis, aptissime in persona defunctorum ab ecclesia oratur, ut nec aptius quidquam possit. His autem, qui hoc affectu laborant et erudiuntur, implacabile bellum est cum operariis iniquitatis, qui operibus nisi et niti docentes huic mortificationi perniciosissime resistunt. Non enim nostrum hic, sed solius Dei opus agitur, quod sola spe fortissime patiente sustinetur, non autem operibus hominum aut tollitur aut consolatur, quin is hoc excessu positus videt, quam omnis homo sit mendax. Unde et hic non persecutores, sed operarios iniquitatis, subdolos consolatores acerrime arguit, quod specie blanda huic operi Dei noxii sunt, ut quorum opinio non ferát haec a Deo fieri, semper desperationis et praesumtionis, nunquam autem spei magistri et auctores.

Nec putandum est universos Christi fideles hujus Psalmi cruce vexari. Non enim omnes omnibus, etsi omnes multis et variis tribulationibus probantur, sicut in evangelio non legimus nisi unam mulierculam Cananaeam Syrophoenissam hujus generis quadam passione exerceri, dum Christus nec ad ejus clamores nec ad discipulorum intercessionem audire eam voluit, donec se catellis, non filiis extrema abnegatione comparari passa est, ceteris aut caecis aut claudis aut similibus crassis passionibus et malis vexatis. Ita et

haec tentatio eorum proprie est, quorum magna est fides, et quale de David dicitur, virorum secundum cor Dei electorum. Discenda tamen est, ut, si quo tempore nos illa velit Deus probari, parati simus.

Atque cur non tentemus (quod a multis tentatum est) pro varietate passionum cognoscenda rationem ordinis quaerere in Psalmis praecedentibus? siquidem varii Psalmi sunt nonnisi variarum passionum affectus et consilia.

Primus itaque absolutam imaginem pii viri seu populi brevibus quidem et generalibus tum verbis tum sententiis proponere videtur, ac prorsus talem, qualem varii Psalmorum affectus ostendunt, scilicet spiritualem, qui nonnisi lege domini afficiatur, nec ulla seu prosperitate seu adversitate mutetur, rursus contrariam impiorum imaginem, deinde utrorumque finem, quod Deus illos noverit, hos non noverit, ideo hos perituros, illos servandos, ut rectissime idem Psalmus vice argumenti in vestibulo poni videatur, in quo, quid toto Psalterio agatur, videri liceat.

Secundo autem docet caput, et auctorem pii populi Christum, deinde locum et regnum ejus, ubi et unde oriatur et quousque propagetur, nempe ex Zion in omnes terminos terrae, invitis scilicet et frustra renitentibus universis adversariis, tandem modum ac mores hujus regni, qui sunt, servire in timore et laetitia, atque paratos esse, fidere et sperare in eum tempore iracundiae.

Tertio ipse rex et caput populi fidelis inducitur pro exemplo passionis et glorificationis, ne sit dux solo nomine, qui multa jubeat et exigat, nihil vero faciat, sed qui populo, cui praefectus est, legitimo ducis

„et auctoris officio praeeat, potens in opere et sermo[ne] „incipiens facere et docere.

„Quarto jam populus ducem sequens per passion[es] primo corporales et leviores inducitur, quibus exerce[a]tur contemtis rerum copiis et bonis hujus vitae (qu[am] abundantia vini et frumenti significat) ad spem, in q[ua] dormiat in pace. Atque hic crucis primus et infim[us] est gradus, pro incipientibus et mollioribus descriptu[s].

Quinto temporalibus passionibus firmatus objicit[ur] spiritualibus periculosioribus tentationibus bellisq[ue] verbi, ubi cum cogitationibus Satanae, haeretic[is] scilicet perversisque opinionibus, adversus puram fide[m] et spem pugnantibus, atque adeo cum ipsa spirituali[s]sima bellua, superbia, ex ipsis bonis nata, qua angel[i] e coelo cecidit, pugnet. Ideo hic vehementioribus [et] auctioribus affectibus res agitur. Hic solius cordis p[e]tiuntur vires, et spiritus discruciatur pro veritate [et] sinceritate fidei, qualem in Paulo adversus Judaeos [et] pseudoapostolos fuisse videmus affectum.

Hoc sexto tandem extremo et perfecto agone cu[m] morte et inferno certatur, quod certaminis genus n[on] cum hominibus, neque super temporalibus neque spi[ri]tualibus geritur, sed intus in spiritu, imo extra et sup[ra] spiritum in exstasi illa suprema, ubi nemo audit, vide[t], sentit, nisi spiritus, qui gemitibus inenarrabilibus p[o]stulat pro sanctis, ac cum ipso quodammodo Deo ce[r]tat, neque nomen potest huic dari, nec nisi expert[a] cognita fieri, de qua jam videamus.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neq[ue] in ira tua corripias me.

Quaesitum est, an aliud ira quam furor, aliud a[r]guere, quam corripere sit? Et notum est aliis quoq[ue]

locis argui et castigari simul componi, ut Apo. 3.: „Ego quos amo, arguo et castigo," ut*) hic sit ultimum „corripias" id quod castiges sive disciplines. Qui volet tautologiam esse, abundet suo sensu. Nos interim sic distinguamus, quod argui sit reprehendi, corripi sit reprehensum percuti. Quae ex usu hominum accipimus, ubi reus primum accusatur et reprehenditur, deinde sententia data plectitur. Sic et pueri ubi peccaverint, primum arguuntur, deinde verberantur.

Reprehensio autem ista cordis in spiritu est pavor ille et horror conscientiae a facie judicii Dei, qua Christus pro nobis laboravit in horto, sicut de eo Isa. 53. praedixerat: „Laboravit anima ejus," et cum ipse coepisset taedere et pavere, ait: „Tristis est anima mea usque ad mortem." Hic enim omni fiducia exuta nonnisi horribiliter rea sibi invenitur anima, et sola coram aeterno iratoque Dei tribunali constituta. De quo Job. 5.: „Si repente interroget, quis respondebit ei?" Obmutescit enim, non secus atque ille conviva evangelicus, Matth. 22. qui de veste nuptiali interrogatus obmutuit. Tum illud, quod ibidem sequitur: „Ligatis illi manibus et pedibus projicite in tenebras exteriores," exprimit, quod hic dicit, in ira corripi. Reprehensa enim conscientia et convicta mox non sentit aliud, quam aeternam sibi intentari damnationem.

Nec est ullus, qui hunc affectum (quando nec inferiores) summum intelligat, nisi qui gustaverit, ideoque nec digne possumus eum tractare. Passus est eum prae ceteris Job. et quidem crebro, inde David, et Ezechias rex, Isa. 38. et pauci alii, denique theologus ille germanicus, Joha. Taulerus, non raro ejus memi-

*) Edit. princip. + et.

nit in suis sermonibus. Haec mihi videtur tentatio illa, quam Christus praedixit Luc. 21., ubi inter cetera novissimi temporis mala terrores etiam numerat de coelo, qua fiat, ut arescant homines prae timore et exspectatione, quae supervenient universo orbi, ut periculosissimo et pessimo tempore pessima quoque et periculosissima regnet tribulatio. Sed et jam vidimus multos talia passos, et ignaros consilii versos esse ad insaniam, aut assidue tabescere, tristari et consumi. Hic quidam patrum in eremo laborans: Timor Dei (inquit) etiam ossa consumit.

Nemo hic nobis ogganniat, nec crasso cerebro sui praesumat se medium distinctorem praestare inter servilem timorem et caritatem. Non capitur hoc opus Dei ulla intelligentiae magnitudine, tenebrae super faciem abyssi hic sunt, simul sunt servilissimus timor et fuga poenarum, et ardentissima caritas, sicut Christus Ps. 142.: „Periit fuga a me, et non est, qui requirat animam meam." Latet caritas incomprehensibili profunditate, apparet servilis timor intolerabili vi. Spiritus fertur super aquas, et gemitus inenarrabilis solus est reliquus. Denique quid faciat haec tribulatio, ex indiciis colligitur, quae Ps. denumerat.

Primo deprecatur iram et furorem Dei, quod non faceret, nisi sensisset iram et furorem ejus, non enim recusat argui et castigari, sed hoc fieri petit in misericordia, sicut Ps. 26.: „Proba me domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum," et Ps. 139.: „Proba me domine, et scito cor meum, interroga me, et cognosce semitas meas." Unde hoc versu manifeste duplicem virgam Dei docet, aliam misericordiae, aliam irae. Sic Hiere. 10.: „Corripe me domine, veruntamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum

redigas me," et Job. 7.: „Quare me posuisti contrarium tibi? Quid est homo, quod magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?" Ista tribulatio in scripturis vocatur etiam dies visitationis et inspectionis, quod solo adspectu suo intolerabili Deus discruciet impios, sicut Abacuc. 3.: „Adspexit, et dissolvit gentes, et contriti sunt montes saeculi." Sic Exo. 14. respexisse legitur solum super castra Aegyptiorum, et mox secutum pavorem, fugamque Aegyptiorum. Denique haec est dies illa extremi judicii aeternaliter duratura, quam nemo tegere, nemo fugere potest, nisi misericordiam Dei spe apprehendat in Christo Jesu domino nostro.

Docet autem nos Psalmus, si quis hoc malo angustiatus fuerit, nonnisi ad ipsum confugiat dominum iratum. Verum hoc arduissimum et laboriosissimum est atque omnino est sperare contra spem, planeque contra impossibilia niti, quantum sentit affectus, ubi agitur pugna illa miserrima, quam rex Ezechias de se ipso recitat, Isa. 38. „Domine (inquit) vim patior, responde pro me." Rursus mox velut repulsam sentiens subjungit: „Quid dicam? aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?" quasi diceret illud Job. 9.: „Et cum invocantem me exaudierit, non credo, quod audierit vocem meam." Adeo, scilicet, hic variant spes et desperatio vicissim, ut, si etiam exaudiantur invocantes a Deo, tamen id non sentiant, ut ne vocem quidem eorum auditam putent.

Quare et hic Psalmus, dum dicit: „In furore tuo," utique confitetur ab ipso Deo fieri, quae patitur, ut possit dicere: Quid dicam? quid respondebit pro me? numquid exaudiet? numquid prodest, si orem, quando certus sum, quod ipsemet haec facit? Quare, qui in levioribus tentationibus non didicerunt confugere ad

percutientem se (id est, ad Deum), sicut in prophetis locupletissime scribitur esse faciendum; cum ipse omnia faciat, quomodo in hac maxima pressura ad eum confugient, ubi maxime sentitur Deus ipsemet facere?

Proinde aliae omnes tentationes sunt hujus perfectissimae velut rudimenta et praeludia, in quibus assuescamus ad Deum contra Deum confugere. Atque ex hoc loco sumta mihi sunt, quae de poenis animarum in purgatorio aliquando disputavi, quod purgatorium mihi videretur esse velut quaedam prope desperatio et prope infernus, a quibus animae neque modis suffragii neque indulgentiis possint redimi, nisi oratione ecclesiae, sive his purgentur ac perficiantur in caritate, sive satisfaciant pro peccatis, quod ego nescio. Nam neque viventem talia patientem possint ullae indulgientiae juvare, sed sola et intercessio ecclesiae.

Hoc autem sciendum, quod talia passis hujus Psalmi doctrina diligentissime servanda est, ut non evagentur, non querulentur, non quaerant solatia hominum, sed apud sese consistant, manum Dei ferant, et cum propheta nusquam convertantur, nisi ad dominum, d.: „Domine ne in furore tuo arguas me." Qua prudentia nisi praestent (ut volunt hujus rei mystae) summo suo damno, e manu Dei medentis et purgantis elabuntur, dum ad consolatiunculam creaturulae confugiunt, non secus atque si lutum e manu figuli inter formandum elabatur, pejusque collidatur, donec penitus inutile fiat, aut projici mereatur tanquam reprobum.

Hoc Thren. 3. Hieremias pulchre et late docet, inter cetera dicens: „Pars mea dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum. Bonus doimnus sperantibus in eum, animae quaerenti illum, bonum est praestolari cum silentio salutare Dei. Bonum viro, cum portaverit

jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius et tacebit, quoniam levabit se super se, ponet in pulvere os suum, si forte sit spes;“ id est, abscondet faciem suam, et conversationem subtrahet, quasi sepultus in pulvere cum mortuis.

Quo affectu et illud Ps. 143. dicitur: „Collocavit me in obscuris, sicut mortuos saeculi, et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.“ In hoc silentio et hac solitudine perficitur haec purgatio, sicut et Ps. 55.: „Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae, et dixi: Quis dabit mihi pennas, et volabo, et requiescam? Ecce, elongavi fugiens, et mansi in solitudine. Exspectavi eum, qui me salvum fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate.“ Quod Hebraeis a commotione spiritus et turbinis dicitur, tamen idem est in sensu.

Miserere mei domine, quoniam infirmus sum, sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Secundo, imbecillem se confitetur, scilicet destitutum viribus, ut quae ferre nequeant insustentabilem illam reprehensionem et correptionem irae Dei, quasi dicat: Terror irae tuae violentior est, quam ut ferre possim, et nisi gratiam virtutis tuae praebeas, desperatus funditus pereo. Sic Job. 9.: „Deus cujus irae nemo resistere potest, sub quo curvantur, qui portant orbem.“ Et Moses Ps. 90.: „Quis novit potestatem (id est, vim et impetum) irae tuae, et prae timore tuo iram tuam?“ Et affectus magnitudinem ostendit toties repetitum nomen domini: „Miserere domine, sana domine, usqueque domine,“ ita enim faciunt et ii, qui levioribus tentati-

nibus premuntur, ut adjutorium et nomen Dei iterent corde et ore.

Volunt autem verbum „miserere“ proprie significare hoc loco, non remissionem peccatorum, quod verbo clementiae aliquoties significatur, seu miseratoris, ut Ps. 111.: „Misericors et miserator,“ sed gratiam seu virtutem, qua roboratur anima, ut apte concinat nomini „infirmus, seu impotens sum.“ Impotentia enim virtute juvatur. Talis itaque est hujus tentationis natura, quae propriissime istis verbis describitur, sed nonnisi experto cognoscitur (ut dixi). Imbecillitatem autem spiritus, non carnis hac particula tangit, id est, quod nec spes, nec caritas, imo nec fides satis sit ad ferendum, nisi roborentur.

Tertio, etiam ossa conturbata dicit, et ideo sanari petit. Quis vero intelligat, quid sit ossa conturbari! Non enim de corporali ossium turbatione loquitur, ubi vel febre vel alia aegritudine turbantur. Atque haec inexperientia etiam illustribus patribus causa fuit, ut ossa intelligerent virtutes animae, quorum sententiam non damno. Sed virtutes animae (sive sint vires, ut intellectus, voluntas, ratio, memoria, similesque, sive virtutes vel infusae vel acquisitae,) dixi in priore parte versus significatas sub infirmitate. Nam gratia proprie (quam verbo „miserere“ postulat) cor et vires ejus stabilit contra infirmitatem illam spiritualem, in spiritu enim loquitur.

Quare ossa hoc loco debent secundum grammaticam proprie accipi pro ossibus ipsis corporalibus in carne nostra, quae ex infirmitate et turbatione ista spiritus turbantur, ut tremant nulliusque virtutis sint, denique nec ossa jam sint, nec corpus ipsum ferre possint. Sic Isa. 38.: „Sicut leo contrivit omnia ossa

mea." Nam hoc est, quod et in morientibus aliquando videmus, ubi tremunt quidam et horribiliter distenduntur prae angustia et agonia. Ibi enim Deus operatur hanc tribulationem, ubi jam homo ad solatia humana currere non potest, cogiturque tum purgantis manum sustinere. Oportet enim hac ratione peccatum occidi, et a nobis separari, ut Deum super omnia diligamus, et inaestimabili desiderio ejus ardeamus, et affectiones istae terrenae, quas peccatum operatur, incomparabiliter minores fiant, quam nunc sit hoc desiderium quaerentis Deum, id est, gratiam et misericordiam ejus.

Hoc est, quod dicunt, oportere Deum tantum et plus diligi, quam*) dileximus creaturas. Quod qui ad mortem usque distulerint efficere, hanc magnam cogentur pati purgationem. Non autem diligitur Deus, nec desideratur tam magno ardore, nisi tam magna prematur homo tribulatione, quae cogat clamore cordis valido eum quaerere et invocare, praesertim, si sit vitiis profunde immersus, et segnis fuit mortificator carnis suae, tanto enim durior erit haec mortificatio, quanto vivaciorem reddiderint affectum, qui mortificandus est, multiplicatae peccatorum operationes. Atque sperandum, quod qui in vita has mortes et infernos tulerint, in morte mitius habituros.

Absurda forte et inaudita hic loquor, praesertim iis, qui indulgentiis aut literis aut operibus sibi facilem praesumunt introitum ad Deum. Ego vero, ut hanc meam sententiam demonstrare non possum, si quis verbis his prophetae non credit, ita ego propter eos a verbis prophetae non recedam. Unusquisque in suo sensu abundet. Ego scio, quid loquar, ipsi quoque

*) In edit. princip. leg.: quantum.

viderint, an sciant, quid loquantur. Hoc certum est, neminem perventurum ad Dei misericordiam, nisi eam vehementissime esuriat et sitiat, cum illo, qui ait: „Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte." Et illud: „Sitivit in te anima mea, in terra deserta, invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi."

Nemo speret saturam aut fastidientem animam a Deo repleri, qui esurientes solummodo implet bonis, quanto minus aeternam vitam largietur fastidiosis, imo prae hac vita contemnentibus, sed ardentissime et ineffabili gemitu quaerentibus, petentibus, pulsantibus. Quod quia in vita non faceremus, praesertim quieta, posuit mortem nobis et varias tribulationes, quibus pressi cogamur quaerere misericordiam et vitam, sicut Job. dicit: „Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum."

Certum est itaque, passis hanc tribulationem ossa corporis ita conturbari, ut ossium officium implere non possint, sicut econtra videmus, ubi cor fuerit exsultabundum et gaudio perfusum, ossa velut roborari, ac ad saliendum secumque gravissimam ac foetidam carnem levandam promta fieri, nihilque non posse portare, ita ut gaudium sentiatur diffundi per ossa, velut irrigatio quaedam, sicut Proverb. 3. dicit: „Et erit irrigatio ossium tuorum." Quin et poeta dicit: Gelidus per ossa cucurrit tremor. Adeo affectiones animi in corpus redundant. Recte ergo „sana me domine," dicit, quod etiam corpore tam aeger sit, ut ossa non subsistant. Tanta est vis ista tribulationis, non permittens vel angulum in omnibus viribus, quem non perturbet et conterat. Atque haec est summa purgatio peccati, poenitentia et satisfactio plenissima.

Et anima mea turbata est valde.

Quarto, animam turbatam queritur, hoc est, inferiorem partem, vitam scilicet sensitivam. Nam turbato spiritu et ossibus nullus sensus non tristis quoque redditur, ut jam nihil reliquum sit in spiritu, corpore, anima, quod non sit amarissima tristitia et pavore occupatum. Anima enim sentit mortis impetum, qui maxime sensum contristat, sicut spiritus sentit infernum, qui est intolerabilis. Quod autem mortis et inferni sensus sit in hac turbatione, sequentia ostendent, Interim sciendum, quod positis in hac turbatione nihil est in creatura tam jucundum, quod visum possit vel pilo recreare, nihil tam dulce, quod aures mulcere, nullus gustandi, edendi, bibendi, tangendi, olfaciendi affectus, quin omnia amarissima sunt. Est vero mors undique, quidquid adspexerint et senserint. Inter vitam et mortem miserrime distenduntur, mortem exhorrent, vitam non habent.

Notum autem esse cuivis credo, quod anima et spiritus usu scripturae differunt, licet philosophi sua sectentur. Nam ex apostolo 2. Thessa. ult. habemus ita: „Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventum domini nostri Jesu Christi servetur.“ In quam rem multa Origenes et Hierony. in variis locis. „Per omnia“ dixit apostolus, id est, ut se ipsum exponit, per spiritum, per animam, per corpus. Sed et ex evangeliis habemus: „Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus.“ De quibus nunc non est locus plura dicendi.

Et tu domine usquequo?

Hic aliqui subintelligunt verbum, scilicet: Usquequo non eripis, non emendas? Quos juvat pronomen

„tu," „et tu domine usquequo?" Quo affectu et Ps. 13. dicit: „Usquequo domine oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam a me?. Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?" ubi non solum petit maturari auxilium, sed etiam velut impatiens morae queritur dilationis gravitatem, siquidem cum in omni affectu, timoris, amoris, spei, odii etc. sit dura et gravis mora, sicut Proverb. 13. dicit: „Spes, quae differtur, affligit animam," in hoc mortis et inferni affectu est omnium gravissima. Hic enim verum est, quod dicitur, longiorem esse unam horam in purgatorio, quam multos annos in hoc saeculo.

Breviter, nec fert humana natura hanc tribulationem durare vel modico tempore, neque totam capit, sed gustat solum stillas ejus aliquot. Sic e diverso dicitur de iis, qui coelestem affectum rapti patiuntur, quod vix guttam percipiunt, cum vita ista non ferat divitias voluptatis illius vitae. Quodsi praevaleat affectus uter, aut differatur, animam mox egredi putant, nisi miraculum subsit virtutis Dei. Quare his verbis: „Et tu domine usquequo?" insigni nota gemitum indicat illum ineffabilem intimi spiritus hac patientis.

Convertere domine, et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam.

Iterum indicat hoc versu, animam suam esse perditam, seque damnatum (ita enim sentit in hora excessus hujus), dum petit, ut eripiatur, scilicet a morte urgente, et salvetur ab inferno jam aperto ore deglutiente, sicut pro animabus legimus: Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, et Ps. 9. dicit: „Qui exaltas me de portis mor-

tis," et Ezechias: „Ego dixi, (inquit) vadam ad portas inferi."

Et pulchre vim spei ostendit, dum ante oculos suos nonnisi misericordiam Dei habet, dicens: „Propter misericordiam tuam," quasi dicat: Non propter merita mea, quae quum nulla sint, satis et nimio probat terror iste irae tuae, et conturbatio cordis, ossium et animae mae. Ideo propter misericordiam tuam salva, ut stet tibi gloria et laus misericordiae tuae in mea salute in aeternum, quia, etsi ego sim indignus, qui eripiar et salver, tu tamen dignus es, qui lauderis, glorificeris, ameris in saecula. At laudari non poteris, nec misericordia tua glorificatur, nisi sint, quos eripias a morte, et salves ab inferno.

Sic in oratione Manasses, regis Juda: „Quia indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam, et laudabo te semper omnibus diebus vitae meae, quoniam te laudat omnis virtus coelorum." Ecce hac arte reddit Deus misericordiam suam nobis commendatissimam, dulcissimam, suspiratissimam, sicut dignum est eam (cum sit aeterna et tantae majestatis) commendari, dum nobis intentat malum, quod meruimus. Quibus vero mala haec non intentat, sed sinit ire insensatos, quid mirum, si vilis et fastidio sit misericordia Dei, nauseentque super hoc manna coelesti.

Perit quoque universus hoc examine unoque momento garritus eorum, qui actibus congruis gratiam et condignis gloriam sibi merentur, qui operibus justitiae suae se ad judicium hoc Dei intolerabile sustinendum parant incredibili furore. Ideo acerrimo animo eos in fine adortus apostrophe robustissima invadit. „Discedite (inquit) a me omnes operarii iniquitatis," ut videbimus. Stat sententia: „Salvum me fac propter mi-

sericordiam tuam." Evanuit justitia mea, cecidit virtus mea periit meritum meum, inventa est iniquitas mea ad mortem et infernum. Beatus et gloriosus ero, si in misericordia tua respirare detur.

Atque ita docemur, ut sicut de nobis prorsus nihil praesumere debemus, ita nequaquam de misericordia Dei desperare, sed etiam contra vim mortis et inferni quantumlibet indigni, eam invocare. Quae enim peccata, quae mala tanta sunt, ut desperare te cogere debeant, quando hic audis, ne a morte quidem ac inferno, ubi summa peccata et mala esse necesse est, cogi ad desperationem debere quenquam?

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem, quis confitebitur tibi?

Hic plane aperit totius Psalmi hujus affectum confessus se mortem et infernum sensisse. Nec enim haec loquitur sophistarum ritu de re sibi incognita quodlibet divinare audentium, sed experientiam suam recitat, et affectum hunc plane depingit. Salvum me fac, (inquit) ut misericordiam tuam praedicem in aeternum, nec me in furore tuo isto argue, in quo cum sit mors et infernus, non est memoria nec laus tua. Hic enim verum est illud Proverb. 16.: „Nuntii mortis, ira regis." Sic Ezech. Isa. 38.: „Vivens vivens ipse confitebitur tibi, quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non exspectabunt descendentes in lacum veritatem tuam." Et Ps. 115.: „Non mortui laudabunt te domine, neque omnes qui descendunt in infernum." Sed et multis aliis locis per Psalterium hunc affectum signatum videbimus.

Quid igitur in morte et inferno est? Oblivio Dei primum, deinde sempiterna blasphemia. Hic enim cura et amor sui ipsius regnat impetuosissima et confusissima sollicitudine, ideo misericordiam Dei non potest ante oculos suos habere. Quaerit enim effugium, et non invenit, tunc mox involvitur odium Dei ardentissimum, cupiens primo alium Deum, deinde se non esse, ac sic blasphemat summam majestatem, quam optat (ut ixi,) summo nisu non esse, et si posset, non esse faceret. Atque ista fuga et inimicitia Dei aeterna est. Tunc illud Ps. primi impletur: „Impius sicut pulvis vento agitatus," scilicet, fugiens et non effugiens.

Sed hic obstrepat quispiam: Quid ergo dicitur usitato verbo: In inferno nulla est redemtio? Videtur enim nulli contingere poena inferni, nisi damnatis. Respondeo: Quanquam hoc verbum in sacris literis non memini me legisse, tamen desumtum videtur ex hoc versu hujus Psalmi, tum aliis plerisque locis scripturae. Male autem intelligitur a carnalibus istis et omnibus nobis inexpertis theologis, quasi ideo nullus infernum gustet, quia nulla sit redemtio in inferno, cum eadem ratione nec Paulum gustasse coelestia diceremus, quia beatitudo amitti non potest, nec peccatum sentiri, quia dimissum est in baptismo.

Igitur verum est, praesente hac agonia aliud non videri nisi infernum, nec ullam apparere redemtionem, aeterna omnia putantur esse, quae sentiuntur. Ira enim non mortalis hominis aliquando finienda, sed aeterni Dei nunquam finienda hic sentitur. „In tuo (inquit) furore ne arguas me," in furore hominis temporalis temporali argui parum est.

Tum et omnia aguntur, quae in inferno, non multum abest odium et blasphemia Dei, nisi quod fortis

ut mors dilectio et dura sicut infernus aemulatio, h tandem in laude Dei praevalet, alioquin amor cu odio, spes cum desperatione, misericordia cum ir laus cum blasphemia, perseverantia cum fuga, brevit coelum cum inferno durissime, acerrime, exquisitis me pugnat, incredibili cruciatu animae.

Verum quid perdimus verba, cum tamen nihil po simus omnibus verbis consequi, quam indicium huj tribulationis? Intellectum et sensum non dat, nisi ip affectus et experientia, quamvis unicuique nostrum, non est insensatus, cor et conscientia sua his audi dictet esse nonnihil, quod his verbis significetur, nu dum cognitum, formidabile tamen cognitu.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singu las noctes lectum meum, lacrymis mei stratum meum rigabo.

Hic versus potest ordinari dupliciter, aut ut ve bum „laboravi" seorsum absolute accipiatur, aut cum „in gemitu meo" copuletur. Posteriorem ordine etsi usitatissimus est, hac vice omittemus priore se vato, in quo et tautologia aptius mihi quadrare vide tur, ut sit, in gemitu, seu suspirio, lavari lectum ide quod in lacrymis rigari stratum, gemitum cum lacrym lavari cum rigari, sicut lectum cum strato conferend

In hebraeo habetur: Natare faciam lectum meu et liquefaciam stratum meum. Merito quaeritur, und tantum ulli hominum lacrymarum? Augustinus sequit more suo mystica, sequuntur eum et alii multi. No autem lectum et stratum omnino ad vim grammatica accipimus, in quo requiescit corpus per noctem, u hominum, et lacrymas atque gemitum per hyperbole intelligimus lavare et rigare lectum. Non enim unqua

aut usquam auditum est, aliquem sanctorum tot fudisse lacrymas vel una nocte, nedum per singulas noctes, ut lectum rigaret, nedum natare faceret.

Verum hyperbolen sic accipiemus, ut ad opus lacrymarum tantum foris aptetur. Ceterum cum verba spiritus spiritu sint ponderanda, nulla erit hyperbole, si affectum haec patientis consideres, qui non quantum possit, sed quantum velit et optet, ostendit, sicut de Maria Magd. dicunt patres, eam fuisse non secundum vires suas locutam, quando ad hortulanum dixit: „Si sustulisti eum, dicito mihi, et ego eum tollam." Omnia enim possibilia credenti, speranti, amanti praesumuntur. Itaque cum sit Deus spirituum ponderator, non autem operum, scruteturque non facies operum, sed renes et corda hominum, sine hyperbole, imo vero corde hic dicit se lectum suum loturum suspiriis et lacrymis. Quod etsi non potest, quia tamen tam ardens est votum, ut velit, jam coram Deo factum reputatur. Proinde recte fecerimus, si in optativo modo legamus: O utinam tantum mihi esset lacrymarum, quo per singulas noctes lectum meum natare facerem. Sicut Hiere. 9.: „Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei."

Testis est ergo et hic versus, quam horrendus sit ille agon mortis et inferni, quod optat impossibilia facere, quo liberetur ab eo, et hinc non difficile credo illorum relationibus, qui scribunt animas seu viventes seu jam defunctas aliquoties se fuisse confessas, malle in hac vita usque ad diem judicii ferre maximam poenarum hujus vitae, quam brevi tempore in purgatorio pati. Vehementer enim consonant cum hujus versus sententia. Sed et Ezech. Isa. 38. confitetur se totam

vitam malle agere in amaritudine, quam hos po inferi sustinere. „Recogitabo (inquit) tibi, seu melius hebraice dicitur) promovebo ad te omnes an meos in amaritudine animae meae.“ Totam vi optat amarissimam, modo liceat hunc furorem et i evadere.

Et id quoque firmat tautologia, quam supra d mus esse firmitatis indicium, qua serium suum a mum signat affectus iste. Vide ergo, quot ind prodat hanc miserrimae pugnae crucem, quam el omne malum mundi sustinere, qui tot sibi lacr plorandum decernit. Quid huic in mundo reliquum in quo possit delectari? Nonne hic perfectissime mortificatus carne, quia Deo vivere spiritu propon effigit, ut non in mensa, non in labore, non in die, in opere, in quo alii forte plorarent, sed in l et strato, et in nocte, ubi ceteri omnes requiesc solent et fatigati recreari, statuit sibi tantum neg et ejus inauditi, ut ploret lacrymis usque dum nat est? Possunt fortassis hi, qui aliquando in peri subito mortis fuerunt, hujus versus vim aliquam sentire, verum in legitimo agone mortis et inferni votum et studium facile exigitur ab homine, facil ipse proponit et facit, si potest, paratus multo maj promittere et facere.

„Laboravi“ (inquit) aptissimum verbum ad n tium praesens, quo significat anxium et in magna ficultate sese fuisse. Ita enim et Isa. 53. accipi „pro eo, quod laboravit anima ejus,“ id est, vehemen anxia fuit, sicut ait: „Tristis est anima mea usque mortem.“ Hic, inquam, labor cogit, ut tam ardua grandia sit promtus tum facere tum pati. Beati er qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, qui se ip

affligunt, plorant et humiliant; ne hanc afflictionem ferre cogantur. Cetera relinquimus usui et experientiae.

Turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.

Reuchlin sic: Verminavit ex iracundia species mea, volens translative verminare id esse, quod corrodi, sicut vestis a tinea corroditur, vastatur et perditur. Est autem idem sensus cum nostro, vult enim propheta dicere, hujus agonis eam esse vim, ut immutet totum hominis adspectum. Nec mirum, cum consumat et ossa et sanguinem, ideo pallidum ac deformem fieri se dicit hac tribulatione. Nam et quaelibet tristitia tandem deformat habitum et vultum hominis. Verum quod aliae efficiunt paulatim, hoc ista accelerat brevi, nimio tristitiae impetu. Legimus multos magna tristitia repente canos esse factos, quanto magis hac agonia tabescunt et veterascent homines? Simile Ps. 39.: „Amove a me plagas tuas, a fortitudine manus tuae ego defeci, in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus," heb.: Quasi tineam posuisti desiderabilia ejus, id est, faciem seu speciem ejus. Quod hic dicit verminavit, sive tineavit species mea. Facies enim est id, secundum quod homo desiderabilis est. Denique eadem verba Ps. 30. ponuntur: „Conturbatus est in ira oculus meus," quae hoc versu.

Igitur oculum pro adspectu et specie accipit, siquidem et Hebraeis eadem dictio et oculum et speciem significat, ut sit sensus: Turbatus est oculus meus, id est, toto habitu repente immutor deformisque reddor. Hoc facit ira, non mea, sed absoluta, id est, ipsa tribulatio mortis et inferni. Sic et apostolus sae-

pius appellat absolute iram mortem et infernum Ro. 5.: „Quanto magis reconciliati salvi erimus a per ipsum?"

Idem est, quod sequitur: „Inveteravi inter o inimicos meos," melius heb.: In omnibus tribulan me, quod est dicere: Undique mihi angustiae, o me tribulant, omnis creatura mihi adversatur, non quo fugiam. Ideo sic anxiatus inveterasco ante mutato universo adspectu meo.

Indicat et hic versus aliam vim hujus mise quae est, quod pavefactus ac conterritus a furore simul nullius creaturae habet solatium, sed quid adspexerit, adversatur sibi. Creatura enim cum c tore suo agit, praesertim quando ipsa conscientia pria ab eo dissentit. Ideo undique ira, omnia tribul ubique inimici. Hoc indicat, quod non simpliciter di Inter inimicos meos, sed, „inter omnes inimicos," id inter eos, qui sunt omnes inimici, qui sum in eo l in quo nullus mecum sentit. Sic Job. 9.: „Nemo debit pro me testimonium dicere."

Ego autem his tribulationibus vexatum David devenisse credo, quod circa finem vitae multum de tatus fuit, et ita infrigidatus, ut multis opertus v bus non calefieret, sicut scribitur I. Reg. 1. Nam dixi, iste furor omnia consumit et tabescere facit. habemus horribilem hanc tentationem suis signis, af tibus, consiliis descriptam. Nunc sequitur consol et reductus ille a morte et inferno.

Discedite a me omnes, qui operamini i quitatem, quoniam exaudivit dominus cem fletus mei.

Rogo, cur prae ceteris solos operatores iniquit

tam indignanter repellit? Diximus enim Ps. 5. פֹּעֲלֵי אָוֶן significare religionem inobedientiae, justitiam propriam, idololatriam spiritualem operantes. Deinde discedere a se jubet, cum de eis nihil hucusque questus sit, sed tantum de furore domini. Quid impiis operariis cum furore domini? praesertim cum tales, et securissimi et omnia contraria de Deo praesumentes, quam hoc Ps. questus est, nihil ei potuerunt in hac tentatione exhibere negotii. Atque ne quid desit absurditatis, ideo discedere jubet, quia dominus exaudiverit vocem fletus ejus. Numquid impii illi operarii hoc egerunt, ne dominus eum exaudiret? Dicimus ergo:

In affectibus totus laborat, iisque arduissimis, ideo non quare, sed quid faciát, tantum loquitur. Ita enim videmus eos, qui aliquo rapti vehementi affectu secum loquuntur, velut insanire et aliena loqui, dum nescimus, qua causa loquantur. Ingrediamur ergo affectum verborum istorum.

Hoc fere observatum video per Psalterium, ut, quoties exstasi insigni locutus fuerit propheta, statim subjungat apostrophen ad adversarios indignationis aut querimoniae plenam, ut ibi: „Credidi, propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.“ Et Ps. 39. cum dixisset: „Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus,“*) statim addit: „Veruntamen vanitas omnis homo.“ Sed et in humanis rebus ita fieri videmus, ut oppositorum sit eadem disciplina, et locus hic communis plurimum in omnibus valeat, ubi si quis re cognita veritatem apprehendat, mox feratur vel indignans

---

*) In edit. princip. leg.: sicut arenam ejus.

vel querulans in eos, qui contraria vel sapiunt v
docent.

Exemplum eximium est b. Aug. li. 9. confess.
expositione Ps. quarti, quo impetu feratur in Ma
chaeos inter exponendum Psalmum, et artis sit,
proposita docere, ut simul contraria refellas, et
adversarios excurras. Nam quomodo possumus et n
continere, si quando rectam et veram pietatem doc
mus, quin invehamur simul in ceremoniistas et subdo
operarios verbi, indignati, quod vel haec non sci
vel contraria nos aliquando docuerint?

Ita et hic cum exstasi hac insigni eruditus es
in solam Dei misericordiam confidere, nullamque ju
tiam sufficere, sciret autem, quam hi, qui hac tent
one non erudiuntur, stulta et impia sub pietatis spe
doceant et faciant, quamque sint in his rebus, si c
tingant, imperiti, alioqui omnes homines mundi doc
promti (ita enim ferme solet hoc hominum genus i
pientissime sapiens, et sapientissime insipiens), ca
caecorum duces, semper discentes, et nunquam
scientiam veritatis pervenientes, deinde quod sum
est malorum, indociles, impersuasibiles, incorrigibi
sunt. Quin sicut Jamres et Mamres Mosi restiter
ita et ipsi his, qui hanc sanam scientiam adepti s
usu tam magni certaminis, sine fine et impudenti re
stunt temeritate, quibus pius homo tribulatur su
tribulationem: ideo zelo caritatis, quo cupit omni
veritatem sibi notam fieri communem, erroremque c
trarium traduci, invehitur justissime indignans: „Disc
dite a me omnes operarii iniquitatis etc.“ Deniq
vix erit Ps., in quo hujus tentationis describitur querel
in quo non simul hos impios operarios arguat et acc
set, ut videbimus.

Affectus ergo meus est, quod eos discedere idem jubet, quia dominus exaudierit eum. Quid enim hec causa velit, ex superioribus relinquit intelligendum, videlicet, quod propter solam misericordiam suam Deus salvos facit clamantes ad se, apud quem nullus justus et (ut Moses Exo. dixit) nullus innocens per se invenitur. Quae cum ita sint, et id toto Ps. declararit, recte infert se nolle eos agnoscere, qui contraria sapiunt et docent, sibi satis esse hoc nosse, quod dominus exaudit vocem fletus sui etc. Huc et illud Matth. 7. pertinet, quod dicturus est dominus iis, qui in nomine ejus prophetaverunt et virtutes fecerunt: „Discedite a me omnes operarii iniquitatis," quod videlicet in generali sententia hujus Ps. verum accipit contra omnes, qui in se ipsos confidant, et non in purum misericordiam ejus.

Exaudivit dominus deprecationem meam, dominus orationem meam suscepit.

Generaliter dixerat exauditam vocem fletus sui, nunc in specie definit, quae vox fletus fuerit, et observa, quod et hic nomen domini iterat tribus vicibus: Dominus exaudivit, dominus exaudivit, dominus suscepit, ad significandum affectum fiduciae et confirmandam spem, contra adversarios, quibus insultat.

Est vero deprecatio in hebraeo, dictio, quae proprie significat misericordiae seu gratiae implorationem, ut respondeat verbo superiori: „Miserere mei domine," et sequentibus, ubi diximus implorari gratiam et virtutem. Oratio vero in deprecando malo, ut respondeat illi: „Domine ne in furore etc.," nisi quis dixerit affectus erigendi et firmandi causa haec ingeminari.

Sunt autem haec verba spei exercentis et exhortantis conscientiam, ac jam praevalescentis, sicut prae-

cedentia fuere verba spei patientis et laborantis paene occumbentis, in quibus videmus non doceri, geri ea, quae Ps. 5. docta fuere in versu illo: „Laetabuntur omnes, qui sperant in te."

Ipsa enim verba satis arguunt animi ejus habitu et affectum, quod videlicet magno nisu ob oculos ponit divinam misericordiam, quam opponat peccati mortis et inferni turbulentis figuris. Cum enim in spe et spiritu eum loqui certum sit, necdum coram Deo praesente visione positum; certum simul est spe salvum factum, spe Dei gratiam consecutum, spe se consolatum, haec universa sonare, quo abigat malorum illorum molestissimam turbam. Atque hoc est, quod repetitionibus tot sibi inculcat Dei clementiam, velut magnis et fortibus ictibus adversantia persequens, et potentibus sermonibus suam infirmitatem ad spem exhortans.

Ita enim (hoc magistro) agendum est in tristitia aut peccato vexante conscientiam, non stertendum, non cedendum, sed nec hoc exspectandum, donec sua sponte recedat tribulatio, aut donec res ipsa consolationis praesenter appareat, haec omnia perditionis sunt negotia: sed fortiter contendendum, ingeminandum et omni studio nitendum, quo bonam opinionem de Deo erga nos stabiliamus, sicut Ps. 3. fecit: „Tu autem domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum," et Ps. 30., ubi similem tribulationem questus, de Deo sibi firmat optimam opinionem d.: „Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus," hoc est, Deus noster non vult mortem et infernum, sed vitam et salutem. Sic et Ps. 32.: „Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me."

Denique in omnibus Ps., ubi haec vel similis passio deploratur, mox subjungitor formatio spei et bonae cogitationis de Deo, juxta illud Sap. 1.: „Sentite de

domino in bonitate." Nisi enim haec cogitatio et fiducia conscientiae surgat, vincet tribulatio, et non erit, qui eripiat. Multo autem labore formatur, non tamen nisi per verbum Dei et Jesum Christum.

Sic et hic, cum utique nesciret suum fletum esse exauditum, tamen plena cogitatione sibi hanc opinionem concipit et firmat, repetens et contendens, ita ut et adversarios quoque invadat, certus quod sicut de Deo praesumitur, ita et habetur. Qualis spes, talis res, vere enim et hic opinionibus homo regitur, sed opinionibus Dei (id est, de Deo) sive bonis sive malis.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei, convertantur et erubescant valde velociter.

Posset hic versus de persecutoribus forte intelligi, quia inimicos suos nominat, sed ut praecedentibus cohaereant haec novissima, intelligamus non alios inimicos ejus, quam ipsos פֹּעֲלֵי אָוֶן, operarios iniquitatis. Diximus enim in omni Psalmo simul in eos ferri spiritum propheticum, ubi tribulatio ista describitur, quod perpetuum sit (sicut dixi,) cum his impiis bellum et exercitium, qui hanc piorum humilitatem et gratiae Dei commendationem non modo non audiunt, sed etiam persequuntur, sicut dicit Ps. 109.: „Et persecutus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare." Et 69.: „Super dolorem vulnerum meorum addiderunt." Horum est, sicut amicorum Job., piorum hominum tribulationes a Deo juste inflictas jactare, et pro Deo contra illos stare, Deumque eis juste alienum esse factum pronuntiare, ipsi interim securissimi de Deo, quasi judicium Dei ipsi effugere possint.

Quando ergo his impiis omnia narrantur, si fabula surdo, nec possunt intelligere, prae sensu (nis suae inflati, ea quae spiritus sunt, optat proph compendium et subitam iniquitatis eorum subversion quae est, si et ipsi hoc genere tentationis appreh dantur, sentiant iram Dei, mortis et inferni turba nem, sicut et Hiere. 17. orat: „Confundantur illi, non confundar ego, paveant illi, et non paveam eg Et ibidem: „Non sis mihi tu formidini, spes mea in die afflictionis." Et Ps. 9.: „Convertantur pec tores in infernum, omnes gentes, quae obliviscu Deum." Et: „Constitue domine legislatorem su eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt" (id vani et mendaces). „Lex enim iram operatur," Ro. quia revelat peccatum, quo confunditur conscien quae confusa perturbatur ab ira et morte, quam le judicante videt se meruisse. Hic enim excessus sal et vehementer convertit, confundit perturbatque sup bos, redigens eos in nihilum, cogitque posito justit supercilio misericordiam Dei quaerere. Nisi enim ipsi hoc affectu quoque experientia propria prol fuerint, frustra legunt, audiunt, faciunt omnia. „Ve tio enim (ut Isa. 28. dicit) sola dat intellectum a tui," id est, verbum Dei fit intelligibile insensatis, bene vexati fuerint passionibus. Crux Christi un est eruditio verborum Dei, theologia sincerissima.

Potest autem „vehementer" et „valde velocit intelligi bifariam, ut vel referantur ad tempus vel tentationis genus. Temporis significatio est haec, non diu differantur, sed cito vexentur, quo citius iniquitate conversi misericordiam sitiant. Sed tentat nis genus est, ut non levi aliqua tribulentur passio sed hujus summae et maximae turbine, cujus vis

natura est, esse*) vehementissimam, ideo vehementissime humiliat et ad gratiam erudit, quandoquidem operarios iniquitatis adeo reddit obstinatos ac praefractos sua tum sapientia tum justitia, ut, si levioribus aliquando pulsentur tentationibus, sine timore glorientur, et ipsi in tribulationibus, quasi veri et sinceri martyres. Adeo pertinaciter aemulantur lupi isti rapaces vestimenta ovium, ita quibus percutiuntur, ut emendentur, his ipsi indurantur, et in sua impietate confirmantur.

Verum ante faciem hujus frigoris non sustinent, si peccatorum confusione et furore Dei conturbentur. Haec enim est turbatio, quae subvertit securos impios, in qua non perseverant, nisi sincera corda, timore Dei et spe recte instituta. Quare ut impossibilis est haec irae Dei sustentatio, ita incredulis et insensatis vehementer necessaria, et sola potens ac sufficiens eos humiliare.

Tali Paulus de coelo tactus est, cum esset plenus securissimo impetu zeli Dei, mox luce circumfusus ac tremens dixit: „Domine, quid vis me facere?" Act. 9. Hic illud agitur Hiere. 23.: „Numquid verba mea sunt sicut ignis, et sicut malleus conterens petram?" Et Ps. 21.: „Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis." Non haec diceret, nisi expertus fuisset. Iste enim clibanus et ignis est ipsa reprehensio in furore, et correptio in ira domini, quae in angustiam urget insuperabilem et inevitabilem reas conscientias, a solo vultu et respectu divini judicii.

Comparat autem hoc verum aut potius aliis verbis exponit furorem et iram domini. Argui enim in furore,

---

*) Edit. princip. † et.

aliud non est, quam erubescere, confundi et ream veniri coram aeterno judicio Dei conscientiam homi Invenitur autem nullius hominis non rea conscie coram hoc judicio, sicut dicit Ps. 143.: „Non int in judicium cum servo tuo, quia non justificabitu conspectu tuo omnis vivens." Quid est non justific nisi reum inveniri et confundi? Et iterum: „I dixi in excessu meo: Omnis homo mendax."

Ideo optat illis insensatis, ut huc convertantur confundantur, qui in se ipsis securi adhuc gloriant „Inveniatur (inquit) manus tua omnibus inimicis tu dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt." Et r sum: „Imple facies eorum ignominia, et quaer nomen tuum domine."

Hoc enim differunt (ut saepius dixi) impii a pi quod utrique sunt quidem mendaces, et non justific tur coram Deo, suntque vanitas vanitatum, sed pi haec tribulatio in sui notitiam convertit, qua cogni a judicii furore ad misericordiam confugiunt et sa fiunt, sicut Prover. 12.: „Verte impios et non erun Quod aliqui sic accipiunt: Verte, scilicet in sui co nitionem, et humiliati jam, impii esse desinent adep gratia. At ubi versi non fuerint, sui notitiam n habent, ideo nec gratiam quaerunt, manentes in va tate, mendacio, iniquitate sua.

Porro corripi in ira, aliud non est, quam conta bari (ut dicit) vehementer, intentari scilicet morte et infernum, et cum haec ira in brevi et subito exa serit (ut Ps. 2. dictum est), beati omnes, qui conf dunt in eo. Hoc enim impii non faciunt. Nam eodem Ps. haec duo mala ostendit, ubi dicit: „Tun loquetur ad eos in ira sua (id est, arguet et repreher det), et in furore suo conturbabit eos," (id est, con

piet). Et 1. Reg. 2.: „Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in coelis tonabit.“ Et multa similia in scripturis habemus, quibus ista vehemens confusio et conturbatio cordis tam in sanctis describitur, quam super impios praedicitur,“ ut illi humiliati consolentur et exaltentur, hi vero humiliati affligantur et deprimantur, et sic vult omnes homines salvos fieri, et neminem perire.

Est autem in hoc versu Hebraeis pulchra quaedam allusio duorum verborum „convertantur“ et „erubescant,“ quam latinitas non retinuit. Illic enim per metathesin literarum, יֵבֹשׁוּ, יָשֻׁבךְ dicitur. Repetit autem, יֵבֹשׁךְ erubescant, affectus vehementia, optans ut, quae ipse patitur, vertantur ad adversarios, quo et ipsi desinant superbire et humiliatos persequi, sicut Ps. 54.: „Averte mala inimicis meis,“ et Proverb. 11.: „Justus de angustia liberatus est, et tradetur impius pro eo,“ et Ps. 32.: „Multa flagella impio, sperantem autem in domino misericordia circumdabit.“ Quomodo oratur et Ps. 79., ut a se recedat ira ad impios, d.: „Usquequo domine irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus? Effunde iram tuam super gentes, quae te non noverunt (ut cognoscant), et super regna, quae nomen tuum non invocaverunt, ut et ipsa discant se egere gloria tua, et invocare nomen tuum.“ Ita et hoc Psalmo orat, ne furore domini corripiatur, corripiantur autem illi, qui non invocant dominum, nec timent furorem ejus.

Dictum est autem, inimicos piorum esse potissimum eos, qui iniquitatis operarii vocantur, auctores male securi cordis et ignoratae fidei et spei in Deum, pro qua perpetuo cum illis negotium habent, non habituri, si et ipsi aliquando simili tribulatione cribrarentur,

Quodsi quis per operarios iniquitatis et inimi volet intelligere daemones, qui in hac hora mali f ter instant, et ad desperationem urgent, dum ob los ponunt opera bona, quae si quis fecisset, non beret, quod desperaret, ut desperationem per praes tionem, et praesumtionem per desperationem stabili ac interim his iniquitatis formis animam occupent, vera pietate fidei et spei Deum colat propter mi cordiam suam, si quis, inquam, ita velit intelligere, resisto. Nam daemones vere sunt callidissimi incit nes animarum ad inobedientiam sub specie obedienti quando proprium est eis se transfigurare in angel lucis, tum maxime, quando minime oportet, id est, tribulatione.

Ego tamen credo contra homines prophetam qui (ut dixi) verae pietatis inimicos, quos pigeat e vel audisse vel nosse, quod plurimos sua insipien secum trahunt in foveam.

PSALMUS SEPTIMUS.

Ignorantia David, quam cecinit domi super verbis Aethiopis, filii Jemini.

A multis sudatum est super hoc Psalmo, quisn scopus ejus sit*), quem titulus indicet, et adhuc s judice lis est. Sequemur interim Burgen., qui mi propius ad rem videtur accedere, qui non de Saul sed de Semei ipsum intelligendum judicat. Quod n

*) Hoc vocab. in edit. princip. deest.

cupiamus, verba historiae ex libro secundo Regum referamus. Ita enim scribitur c. 16., cum David fugeret a facie Absalom filii sui: „Venit ergo rex David usque ad Bahurim, et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, et maledicebat, mittebatque lapides contra David, et contra universos servos regis David. Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret, regi: Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial reddidit tibi dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo. Et dedit dominus regnum in manu Absalom filii tui, et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es." Cum autem servi David vellent illum occidere, dixit David: „Dimittite eum, ut maledicat, dominus enim praecepit ei, ut malediceret David. Et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quaerit animam meam, quanto magis hic filius Jemini maledicet mihi?"

Patet ergo filium Jemini vocari Semeiam, hunc maledicum, licet et ipse Saul filius Jemini dicatur 1. Reg. 9., quia de eadem cognatione fuerunt, ut dictum est. Simul habemus verba, super quibus hunc Ps. cecinit, nempe maledicta Semei, quibus ei falsa crimina impegit gravissimus et importunissimus calumniator. Non enim de Saule legimus talia verba, quae in David evomuisset. Quare de insigni verborum injuria necesse est loquatur, quae hoc loco recitantur, et hoc textus ipse Psalmi dabit.

Reliquum est, cur appellet eum magis כּוּשׁ, quod Aethiopem significat. Omnibus fere placet metaphoram esse, quod nigredo infamiam sustinet malitiae, ut et poeta: Hic niger est, hunc, tu Romane, caveto. Sicut

econtra candidum dicimus, qui sincerus et integer est et candor animi, qui sine livore sit, ut vulgo quoque proverbia sonant. Volunt ergo de industria nomen ejus a David omissum, et novo moribus suis digno insignitum. Quodsi hoc non placet, arbitrari licet eum fuisse binominem, quod frequentissimum in sacris literis observatum est, ut ex linea Christi, Matth. 1. et Lucae 3., colligitur. Sicut et de Zachariae patre Jojada dicitur, Matth. 23. Tum adhuc ratio viget altero nomine Aethiopem appellare maluisse, quam Semei, tanquam aptiore malitiae ejus vocabulo.

Porro „ignorantia" his acceptis sua jam sponte se aperit, quaenam sit. Cum enim maledicta Semei David adeo non agnoverit, ut etiam in morte sua filio Salomoni mandarit, ut canos ejus cum sanguine deduceret ad inferos, pro maledictionis illius ultione, plane est innocentiam suam eum domino confiteri et ignorantiam hanc non esse aliud, quam innocentiam. Nam cujus non sumus nobis conscii, recte ignari quoque ejusdem dicimur.

Verum cum sit impium confidere in cogitationibus suis, Proverb. 12., et qui confidit in corde suo, stultus est, ejusdem 28., ideo sic de innocentia ista est praesumendum, ut tamen judicium Dei timeatur, nec in securitate de ipsa gaudendum, nisi data primum gloria Deo coram eo confessi fuerimus alia esse sua, alia nostra et hominum judicia, ut sic accepta licentia et salvo illius judicio coram hominibus eam profiteamur, id quod discitur in tentatione. Sic enim David, cum audiret falsa sibi (quantum in sua conscientia erat,) crimina objici, tamen quia Deo praecipiente illa maledicta in se*)

*) In edit. princip. leg.: eum.

congeri sciebat, timuit, ne coram Deo vera essent, nec suae conscientiae satis confidens, sicut apostoli non sibi fidebant, dum audirent unum inter eos esse traditorem. Talis est enim uniuscujusque pii conscientia, quantumlibet innocens, ibi culpam timere, ubi culpa non est. Timor Dei facit hoc, et judicii ejus inscrutabilis altitudo.

Proinde David innocens quidem, timet tamen sese fecisse, quae objici sibi audit, praesertim tempore tentationis, in quo Deus partes adversarii videtur juvare, percutere creditus pro iis, quae tunc objiciuntur, etsi ignorantur. Ideo quantumlibet coram se et hominibus non sit sibi illius mali conscius, metuens tamen, ne corde saltem sit reus, (Deus enim scrutatur renes et corda), docet nos hoc Psalmo illud apostoli: „Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat."

Quare licet Psalmus sit de David et sua ignorantia compositus, tamen cum sit hoc malum calumniarum in mundo frequens, generaliter ad omnium nostrum doctrinam scripta esse etiam haec credere debemus, sicut Paulus Ro. 15. dicit: „Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus."

Videbimus autem, qui affectus sint et esse debeant et possint iis, qui fideliter et pie calumniam ferre et vincere volunt. Nam hanc persecutionem optime posuit septimo loco, ubi praecedentibus Psalmis erudiit in his malis, quibus purificamur a peccatis, perfecte nunc tandem erudiat ad perfectum Dei timorem, ut ibi etiam peccasse nos timeamus, ubi non peccavimus, et tanto peccati odio Deique dilectione

perficiamur, ut ignorata, imo nulla peccata pro peccatis timeamus.

Ad hanc perfectionem opus nobis est non persecutore Absalom, quem certum sit nos inique persequi, sed calumniatore Semeia, quem timeamus vere maledicere, etiam innocentes, nec tamen sic innocentiam dimittamus, sed cum Job sentiamus, qui et ipse a suis amicis tale quiddam passus dicit 27.: „Absit a me ut vos justos judicem, donec deficiam, non recedam ab innocentia mea, justificationem, quam coepi tenere, non deseram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea." Ita (ut supra Ps. 5 nos nihil horum tetigimus) coram Deo ignorantiam nostram quidem confiteamur, qui solus novit corda hominum, sed coram hominibus innocentiam nostram non deseramus, si cor nostrum nos non reprehendit. Sicut enim coram Deo peccata non sunt neganda, (coram quo nemo justus est), ita coram hominibus veritas est confitenda et asserenda, coram quibus vivere possumus et debemus sine crimine. Et hanc eruditionem David suo eventu consecutus nobis facit communem, qua longe felicius calumniam ulciscimur quam olim Apelles ultus est sua tabula. Dicit itaque

Domine Deus meus in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

Primus affectus est, non ad vindictam et zelum ferri contra calumniatores et persecutores, ut solet homo vanitas et mendacium („mihi, inquit, vindicta et ego retribuam"), sed ad dominum ante omnia confugiendum est, et tam persecutio quam calumnia coram illo pronuntianda, cum plena spe et fiducia,

quam in hoc casu juvat innocentia et bona conscientia.

Ita hic ex omnibus persequentibus salvus fieri petit. Duo enim persequebantur David, Absalom viribus et opere, Semeia lingua et calumnia, qui sine dubio vel solus non fuit, vel saltem soli sibi non placuit in hoc malo, vel ex omnibus dicit affectu eo, quo Ps. 6. dictum est: „Inveteravi inter omnes inimicos meos," quod videlicet vim et calumniam simul passis omnia videantur adversari, neminemque relictum esse, qui succurrat, sicut revera omnia adversantur solitario. Ita dicit: „ex omnibus persequentibus," id est, quia omnes et omnia me persequuntur. Quid differant „salva me," et „libera me," non magnopere puto referre, nisi „salva" ad bonum, „libera" ad malum retulisse, aut affectus gratia ταυτολογικῶς idem repetiisse putandus est.

Illos conveniri hoc versu licet, qui non credunt necessariam esse fidem et spem vel oraturis vel sumturis gratiam Dei seu effectum (ut dicitur) sacramentorum, cum ideo hic propheta se salvum et liberandum petat, quia sperasse etiam gloriatur in dominum. Adeo certum est scilicet unicuique, si credat, speret aut diligat. Dicit vero: „In te spero," non in*) me, non in hominem, de quibus supra Psalmo quinto latius.

Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui salvum faciat.

Hiero. sic ex heb.: Ne forte rapiat ut leo ani

*) Hoc vocab. in edit. princip. deest.

nimam meam, laceret, et non sit, qui eripiat. „Rapiat" (inquit), laniet, praedetur, sicut solet ferens bestia, ne quis simplicem captionem intelligat, deinde sicut leo, implacata scilicet bestia, laceret atque discerpat etiam. Quid? domum aut pecus? Non, sed animam meam, id est, vitam meam, quam cum anima corpus habet, ut Ps. praecedente dictum.

Haec omnia tanta auxesi magnificat, ut necessitatem suam exaggeret et commendet, quo velocius exaudiri mereatur, simul quo se ipsum ad ardentiorem animi intentionem provocet, fortiter enim et seria intentione orandum est, si quid impetrare volumus. Non est autem dubium, fuisse David eo tempore in ea conditione, quod ab Absalom et Semei velut rugientibus leonibus rapi lacerarique timebatur et sperabatur, nec nisi in Deo erat sibi spes et auxilium. Quo loco sunt et omnes alii, qui vim cum calumnia patiuntur, qui haec verba et sensum eorum pulchre intelligunt.

Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

Hic ingreditur rem Psalmi, et juxta titulum verba Aethiopis Semei tractat. Impegerat calumniator primo, quod in sanguine domus Saul reus fuerit, „egredere (inquit) vir sanguinum, et vir Belial," secundo, quod regnum ejus vi invaserit. Ideo reddita sibi a domino duplicia, ut a proprio filio rursum sanguis ejus funderetur, et regnum ei auferretur.

Utrumque queritur, et sese innocentem confitetur. Duplici autem ratione hunc secundum affectum nos docet tractare, negative et conditionaliter scilicet, ut innocentis conscientiae fiduciam, quantum est coram hominibus, afferamus, et occultum nostrum vitium coram judice Deo metuamus. Nam utrumque hunc affectum hi versus praestant, hoc modo: Domine Deus meus, adeo non feci istud, adeo non est ista iniquitas in manibus meis, adeo nec sanguinis ejus nec amissi regni auctor fui, ut etiam non reddiderim ei et suis mala pro malis, quae mihi faciebant, cum id saepius potuissem, dum in spelunca solum apprehendi, 1. Reg. 24. et in castris ejus hastam abstuli, 1. Reg. 26. Non solum autem non reddidi mala, sed contra reddidi bona pro malis, sicut ipsemet Saul 1. Reg. 24. testatus est d.: „Justior tu es quam ego, tu tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.“ Tantum abest, ut vir sanguinum esse possim. Quodsi quid occultius in me fuit, quominus sinceriter praestitisse inveniar, et tu ita judicas, praesto sum, fiat mihi, quod merui, „persequatur inimicus meus animam meam etc.“

Videtur autem iniquitatem hic ad posteriorem calumniam aptare, sicut ad priorem hoc: Si feci illud, ut sit sensus: Non feci illud, quod de sanguine calumniatur, nec est iniquitas in manibus meis, quod regnum obtinui, nemini in hoc feci injuriam, quia non mea temeritate, sed tuo praecepto id feci. Vehementior est autem affectus, quod sibi imprecatur tot mala, si fecisset, quam si simpliciter narrasset se non fecisse, ut et nos doceamur magno corde contra calumniam orare, sed sic, ut innocentiam quidem testemur, occultum tamen ejus judicium timeamus, parati ferre quaecunque mala, si inventi

fuerimus culpabiles. Nam licet pro te etiam Dei praeceptum habeas in quocunque opere, tamen adhuc timere debes, ne forte non recte incesseris, et contrarium praecipi merueris, sicut Abraham licet in Isaac repromissionem accepisset, tamen volens et timens Dei judicium obtulit eum in holocaustum. Sic et David in hoc negotio, licet sibi esset nullius conscius, tamen regnum resignans ait 2. Reg. 15.: „Si dixerit mihi: Non placet, praesto sum, faciat, quod bonum est coram se." et Semeiam maledicere permisit, etiam a Deo jussum esse credidit, omnino timens recta sibi et digna contigisse.

Adeo quantumlibet justa, sancta, innocens, vera divinaque sit causa tua, necesse est in timore et humilitate eam agas semper judicium ejus metuens, et nihil de te, sed de sua tantum misericordia confidens. Cecidit Judas Macchabaeus in bello justissimo, succubuerunt multi in justissimis causis et divinis negotiis, sicut de filiis Israel Judic. 20. scribitur, quia non in timore, sed in fiducia justae causae egerunt, non in misericordia. Sed et apostolus 1. Cor. 4.: „Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum."

Hoc est, quod David in tribulatione positus exemplo suo docet, nulli licere justitiam sibi arrogare, pro ea tumultuari, vindicta furere, vi aut jure rebellionem meditari, sicut nunc insaniunt ecclesiastici, qui prae ceteris justi et sapientes videri volunt, sed humili timore primum metuere oportet, ne vere id meruerit coram Deo, et ad poenam dignam sese offerre, deinde juxta innocentiam contra adversarios orare, qui non possunt justam causam habere adversum ullum hominem, qui conscientia innocente praestat, hoc enim solus Deus habere potest, et habet.

Alia sunt judicia Dei, alia hominum. Homo videt ea, quae patent, Deus autem intuetur cor. Ideo homo judicans aliter, quam secundum faciem, calumniator est, sicut hic Semeias.

Atque ut hanc humilitatem et timorem Dei indicaret, caute in titulo posuit: „Super verbis Chusi,“ quod non ignoraret se meruisse persecutionem Absalom, nec hanc excusat, sed maledicta Semei non agnoscit, aut si vera sunt, ignorata sibi confitetur. Meruerat adulterio et homicidio Absalomi malum, sed verba Semei de sanguine Saul non erat conscius se meruisse, et tamen timet meruisse propter judicium Dei tremendum et occultum. Quomodo haec agantur, sentit pium et timens Deum pectus, si quando vexatur vel ab hominibus vel daemonibus calumniantibus.

Vocabulum, quod hoc loco iniquitatem, et recte vertit, Heb. עָוֶל significat id proprie, quod iniquitas Latinis, id est, laesionem, injuriam, minus aut plus, quam debet, sicut in negotiis fieri solet. Ita hic regnum alienum invito proximo invasisse, iniquum erat, si id fecisset. Et quod nos habemus: „Decidam merito ab inimicis meis inanis,“ Hierony. rectius transtulit: Et non *) dimisi hostes meos (tribulatores) vacuos, volens (quod dixi) David non solum non reddidisse malum pro malo, verum etiam non vacuos dimisisse hostes, id est, benefecisse malis. Nam hoc ipsum vindictae genus est, benevolentiam subtrahere offensoribus, cum et diligendi sint inimici, quanquam ignorem, an et ista translatio Hebraeum satis referat.

*) Hoc vocab. in edit. princip. deest.

Illud vide, quam evangelicum gradum justi David praestiterit. Nam reddere malum pro malo datur aequum sensui carnis, sed prohibitum etiam le Mosi, nisi judicio superioris fiat, non auctoritate p pria. Huic contrarius est, reddere bonum pro bo hic mercenarius et servilis est. Sic serviunt D qui nec mala nec mortem pati volunt, cum ideo m nos premat, ut pure ei servire discamus nullius respe boni aut praemii. Tertius, reddere malum pro bo qui feralis, imo plusquam feralis est. Quartus, r dere bonum pro malo, hoc est evangelium Chri Hunc autem gradum excellentiori modo servasse dicit, quia non solum non reddit malum pro malo, s his, qui acceptis bonis ingrati reddiderant mala (i enim habent verba), reddidit bona, ut supra de Sa dictum est.

Persequatur inimicus animam meam, et co prehendat, et conculcet in terra vitam mea et gloriam meam in pulverem deducat.

Non haec affectu fiduciae dici mihi videntur, plerique putant, quasi certus fuerit haec non fore, qu non meruerit. Nos enim, quia humili oratione coep arbitramur in eodem timore Dei haec quoque psal quia ut dixi, etsi conscius sibi non erat meritae m ledictionis, quin potius praecepto Dei se in regnu vocatum sciebat, multis tamen nominibus non potuit i hoc fidere et gloriari, tum (ut dixi) quod Deus mir bilis est in omnibus viis suis, tum quod nos ipsi co nostrum non agnoscimus satis. Quibus rebus fieri p test, ut vel praeceptum non recte intellexeris, vel no recte expleveris, atque ita occultissime demerito dig

suo faeris, praeceptum tolli aut mutari, et tum Deum contra te stare, quem pro te stare putaris.

Isto timore (ut dixi) Abraham eruditus est in Isaac offerendo. Est plane supremus hic gradus timoris Dei, ubi et ipsum Deum et praeceptum ejus pro te cogeris abnegare, et timere esse contra te, breviter, ubi timere habes ea Deum, quae praecepit et voluit, non velle, sed prohibere et odisse, cum in caeteris id timeatur solum, ne fecerimus, quae constet esse praecepta.

Quis hanc contradictionis divinae (ut sic dixerim) inconstantiam incomprehensibili constantia constantissimam ferat, nisi sit vir secundum cor Dei electus, sicut iste David et Abraham, cum hic videatur veritas Dei ipsa mutare, et odium sui (omni humano judicio) provocare? Verum sic est occidendus affectus ille servitutis mercenariae, qua Deum propter nos ipsos colimus, qua in Deo et propter Deum invicem inflamur, superbimus, zelamus, odimus, et nihil non mali sub nomine et cultu ejus, et pro salute animarum (ut vocamus) facimus. Quis enim nostrum habens vel Abrahae vel David promissionem non hoc ipsum praeceptum Dei, etiam contra angelos obtenderet, si quis nobis contraria intentaret? Adeo profunde carnis affectus satus est in hominem, ut necesse sit Deum se nobis quasi inconstantem offerre, quo erudiamur nulli rei, nec divinae et aeternae, perverso affectu adhaerere.

Tria offert perdenda, quae magno dolore amittimus, animam, vitam, gloriam. Animam persecutioni et captioni, vitam conculcationi, gloriam sepulturae devovet. In heb. enim dicitur: Et gloriam meam in pulverem sepeliat, collocat, quod tamen idem est cum nostro, sed clarius.

potest hoc affectu cogitari purius, profundius, subli breviter mirabilius?

Habuit haec omnia jure divino, nec uno loci vinitus mandata. Cur non insanit pro jure divi An impius est, quod contra jus divinum suum mo chiam non per sanguinem et mortem repetit, tue servat? sicut hodie videmur esse omnium plissimi pro rebus temporalibus affixo juris divini titulo coe et terrent miscemus, nihil timentes Deum, qui, si etiam jure divino haberemus, hac tamen superbia contentione offensus merito cassaret omnia.

Si David timuit praeceptum Dei in se mutal qui tot signis, tot mandatis Dei, tot unctionibus phetarum rex creatus est, tam solida promissione C tum futurum accepit, obsecro, quod praeceptum, q promissio quantumlibet Dei, nobis esse potest occ superbiae, belli, contentionis, et similium tragoediar Metuendum profecto, quod ibi ecclesia quam mini sit, ubi maxime pro ecclesia tumultuatur, quande dem videmus Deum esse impatientissimum abusio suorum promissorum, ac terribilem in consiliis et m datis super filios hominum.

Sed haec satis. Non haec dico, quod velim suum jus ac debitum auferri vel impugnari, sed qu docendi sumus per haec scripturae verba et exemp ut is, qui aliquid obtinet ac possidet, quantumlibet ju titulo, cum timore possideat, et non vi, sed oratio et patientia illud defendat, paratus cedere, si D placuerit. Nec enim satis potest scriptura explica si non praesentis saeculi exemplis aptetur et monstr tur. Sic enim Graeca et Latina ecclesia in conte tione de principatu utraque peccasse videtur, qu neutra alteri cesserit, cum in timore Dei utraque e

dere debuisset, nec ideo amisisset utra principatum hujusmodi, sed longe felicius fuisset servatus, si non pugnantibus pontificibus, sed orantibus, hoc est, non volentibus hominibus, sed miserente Deo fuisset servatus, sicut hic David orat quidem, et tamen simul sese offert, velut petens cum Christo transferri calicem a se, et tamen voluntati Dei obedienter cedens. Sic in lege Mosi scriptum est: „Quod justum est, juste exsequaris." Ita fit, ut etiam habens justissimam causam coram Deo sit reprehensibilis, si non in timore Dei eam tutetur. Non respicit Deus superbos et contentiosos, quantumlibet justos.

Sic legimus in Job contigisse, pro cujus causa Deus ipse sententiam tulit, et tamen eum ipsum reprehendit. Talis timor et humilitas et hodie nobis necessaria est, qui certamus de theologiae sinceritate et ecclesiae potestate. Possumus utrimque Deo reprehensibiles esse, etiam in justissima causa, nisi magis oratione misericordiam Dei, quam nostrae causae fiducia victoriam quaeramus. Orandum, ut veritas triumphet. Quodsi non per nos id fieri placitum est, fiat per quemcunque placuerit. Nemo speret sese feliciter mandatis Dei ullis servire aut ea tutari, si primum omnium mandatum (quod est cultus Dei in timore et humilitate) praevaricetur. Nam hoc mandato omnia alia regulantur, sine quo jam mandata non sunt.

Nihil ergo placet, quod non in timore et humilitate geritur. At ubi haec facies hodie in ecclesia? Quid est ecclesia hodie, nisi quaedam schismatum confusio, ubi nonnisi pro justis causis et divino jure, sine ullo timore Dei, tumultuamur, et dum omnia mandata implemus, caput, vitam, regulam mandatorum conculcamus? Caecitas, caecitas, caecitas!

Surge domine in ira tua, et exaltare i nibus inimicorum meorum, et exsurge mine Deus meus in praecepto, quod m dasti.

Haec in heb. uno versu dicuntur. Est autem sus obscurissimus, nec hodie cognitum, quid aut de loquatur. Hiero. sic transtulit: Surge domine in rore tuo, et elevare indignans super hostes m consurge ad mè in judicio, quod mandasti. Ve indignans super hostes non ita in heb. habetur. merabo et ego, versum ad verbum sic transfer Surge domine in ira tua, et leva in iracundiis tr latorum meorum, et suscita ad me a judicio, ma sti. Ubi vocabulum, quod nostra dicit „in finib Hebraeis affine et aequivocum ferme est eum irasce verbo, quare ab irascendo magis, quam a finibus I rony. secutus deduxi.

Soloecismus autem iste: a judicio, manda quem nostri per pronomen quod sustulerunt, eti in aliis locis invenitur, ut Ps. 51.: „Exsultabunt os humiliasti," ubi nos ossa humiliata dicimus, ac si h a judicio demandato, diceres. Ego pro meo se adderem non quod, sed quia, ut: quia tu humilia quia tu mandasti. „Exaltare" autem, seu elev seu leva, aeque est aequivocum ad levandum ad vastandum, quod et in statu absoluto hic ponit potens significare, ut dominus vastationem mittat iras inimicorum, hoc modo: Elevare in iras inimic rum, id est, fac vastitatem et destructionem irarum quibus fremunt in me tribulatores mei, scilicet, Abs lom cum suis. Ad idem redit, quod leva, seu elevar

seu exaltare dicitur. Vult enim *) dicere: Leva, id est, fac, ut leves, et mittas super eos manum tuam in furias eorum, omnino eodem sensu, quo Ps. 138. dicit: „Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, et super iram inimicorum meorum extendes manum tuam.“

Et suscita ad me. Ubi pro, ad me, nos habemus: „Domine Deus meus, a quia sine punctis potest legi vel Deus meus, vel, ad me. Et suscita pertinet ad eum, qui excitatur et expergiscitur velut a somno, sicut et alibi dicit: „Exsurge, quare obdormis domine?“

A judicio, seu ut nostra habet, „in praecepto“, mihi intelligendum videtur de officio, a quo judices et rectores nomen habent, de quo Ps. primo dictum est: „Non surgent impii in judicio,“ et Ps. 122.: „Illic sederunt sedes in judicio,“ ut sit a judicio idem, quod propter judicium seu causa judicii, sicut Ps. 68.: „A templo tuo, quod est in Hierusalem, tibi offerent reges munera“ (id est, propter templum), quo modo et Ps. 4.: „A tempore frumenti et vini sui multiplicati sunt.“ Qui usus hujus literae מ seu praepositionis a vel ab, conjunctioni rationali apparet aequivalere ad sensum illius Ps. 81.: „Quia praeceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob.“ Sic et hic a judicio, id est, quia judicium est, quod mandasti.

Sicut Josaphat, 2. Paralip. 19. praecipiens judicibus, „videte (ait), quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed domini,“ et infra, ut judicium et causam domini judicarent, habitatoribus ejus prae-

*) In edit. princip. leg.: eam.

cipit *). Ita propter judicium ad se exsurgere p[…] ut non praevaleant impii, qui magis tyrannidem su[…] quam judicium domini agunt in populo. Facile aut[…] est hoc sensu accepto per praeceptum idem, q[…] per judicium intelligere, quia in judicio praecept[…] Dei exsequuntur judices, quod tyranni potius subv[…] tunt, ut dictum est.

Esto ergo sensus, hac grammatica adjutrice: S[…] ge domine, et iram tuam ostende, ne diutius ista pa[…] aris, occurre furori persecutorum meorum, et man[…] tuam super ferociam eorum extende, ut impetum eor[…] in me exstinguas. Expergiscere tandem, et recorda[…] mei, et id peto non propter me, sed propter jud[…] cium, ne omnia temere versentur et confundantur, du[…] non est, qui res administret, praesertim, quando t[…] ordinante et mandante res administrari debent**)[…] Haec grammatice.

Nunc theologiam consultantes quaeramus, cu[…] precetur iram Dei inimicis, et arroget rursus regnum qui hucusque tam promtus fuit illo carere, et inimici[…] benefacere?

Primo, postquam in timore et humilitate se sus[…] que obtulit, certum est non malo animo hanc oratio[…] nem fieri. Deinde data Deo gloria et justitia secur[…] contra eos orat, qui tyrannidem vi occupant. Tim[…] enim Dei facit, ut juste divinum mandatum exse[…] quatur, quo sibi regnum et judicii administrationem mandata novit. Adde, quod non sua quaerit, sed quae Dei sunt, quia tu (inquit) mandasti, ut officium in po-

---

*) Hoc vocab. in edit. princip. deest.

**) In edit. princip. leg.: debet.

pulo agerem judicii. Ideo non regni, sed judicii vocabulum maluit ponere, ut causam Dei se agere, et non pompam, sed opus se petere ostendat. „Qui enim episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.“

Provocat autem iram Dei, non quod optet illos perdi, sed juxta ea, quae Ps. praecedente dicta sunt, ut iram Dei sentientes, et Deo eis repugnante eorumque conatus irritos faciente resipiscant et sani fiant, quam nisi senserint, procedunt insensati sua peccata augentes, pios piorumque studia, ipsa etiam Dei mandata sine fine persequentes, Deo obsequium se facere arbitrantes. Quomodo enim piorum ecclesia in mundo subsisteret, nisi tandem super impios iram suam manifestaret, et judicium faceret inopis et vindictam pauperum? Itaque ut ipse conturbat profundum maris, ita rursum mitigat fluctus ejus, ponens mari terminum, et dicens: „Hucusque venies, et hic frangentur in te ipsum tumentes fluctus tui,“ ut in Job scribitur: ita qui suscitat impiorum ferociam, rursus idem eandem compescit, quo ostendit iram suam, quod non placuerit ei illorum malitia.

Tria ergo petit, primum, ut surgat, et iram ostendat, subtracta voluntate, in qua illi praesumunt, secundo, ut furias illorum premat, et conatus pessimos subvertat, tertio, ut ad eum reversus judicium Dei restituat, et hoc non quia meruerit, sed quia non solum promiserit et fecerit, sed et mandaverit, jam nihil quaerens, nisi ut veritas Dei stabiliatur, et mandato ejus satisfiat, quod nisi esset, libens illorum furori cederet. Et hic jam incipit tentationis affectus, peracta caligine tribulationis rursum respirare in fiducia Dei misericordiae, ut et nos ita facere

discamus in nostris tribulationibus, exemplo
nobis haec et gesta et scripta sunt.

Et synagoga populorum circumdabit et propter hanc in altum regredere.

Hoc versu (ut coepto nostro sensu perse-mus) ostendit David non pro se, sed pro populo licitum esse. Primum enim petiit in judicium rest nec sui nec populi respectu, sed solius Dei inte qui sic mandarat, ut primo Dei in hoc voluntati viret. Jam a caritate Dei descendit in caritatem ximi, ut hominibus eodem Dei praecepto serviat. (inquit,) oro, ut populorum turba rursum circum me, mihi adhaereat, mihi subjiciatur (nam optative quitur per futurum indicativi), sicut gloriatur Ps. 1 „Qui subdis populum meum sub me," hoc enim in rum redundat salutem, si tibi obedierint, qui me dedisti regem, ne errent sicut oves sine pastore, sicut populus sine duce cuilibet latroni expositi Si ego indignus sum, tu tamen dignus es, cui obed et illi digni, ne propter me tradantur in direptionem dispersionem, sed rursus me in caput restituto colli dispersiones Israel, Ps. 147., et membra ad corpus su Ita enim pius rector populorum, quantum ad se p tinet, libens omnia amittet, tantum obsequium D et hominibus debitum optabit implere, et sua m metuet in populi periculum et perditionem red dare.

Hujus exempli finge vel s. Athanasium vel larium aut similes tempore Arianae factionis in c lium ejectos de sedibus suis. Nam nostro saec non video unde possit peti exemplum, quando committere audent, quo digni fiant ejectione. Hi erg

sancti patres, ut ab ambitionis nequitia fuerunt alienissimi, ita (ut ipse Hilarius confitetur) debito impositi sacerdotii optabant Arianis dejectis in sua sede ministrare Deo et populo per verbi ministerium prodesse, sua vero absentia populis sibi creditis misere et anxie metuebant a lupis haereticis et verbo Dei vim fieri amare ferebant. In horum persona, si hos versus ores, et exemplum David videbis, et apte ad affectum verba quadrare experieris.

Esset idem exemplum, si quis episcopus vel praelatus pro veritate et pietate officii sui excommunicaretur vel dejiceretur, et populus ab ipso alienaretur, pestiferis suasionibus, detractionibus, mendaciis seductus. Nam ut alio malo non periclitetur populus, certe calumnia et detractione praelati sui boni viri ad mendacium et odium veritatis animaretur. Qualibus totum Israelem subversum et sui causa perditum tantis aestibus David ingemiscit, ut iram Dei in illorum furorem invocet, necessaria certe pro populo servando oratione. Melius enim est etiam perdi illos impios, quam populum in impias opiniones induci, cum apostolus etiam anathema esse velit, qui Galatas a veritate deturbassent.

Mire autem temperavit verbum, ne diceret: Circumdabit me, sed „circumdabit te," hoc est, congregabitur tibi, ubi non modo id indicat, quod supra diximus, judicium non hominis, sed Dei esse, quod praecipiente Deo geritur. Ideo non hominibus, sed Deo congregantur, qui administranti homini in opere Dei congregantur. Verum et illum tropum refert, ubi dominus in scripturis saepius scribitur esse in medio populi sui, sicut Ps. 45.: „Deus in medio ejus, non commovebitur," et 2. Cor. 6. ex Levi. 26.: „Et inam-

bulabo inter vos, et ero vobis in Deum, et vos mihi in populum." Aptissime sane sic loquitur hoc negotio. Nam Absalom, et qui imitantur non id quaerunt, ut caritate serviant, sed ut state dominentur, non ut populum ad Deum, se ipsos congregent. Ipsi volunt esse idola, circumdentur a populis, non enim Dei gloriam e puli salutem, sicut decet fideles mediatores, quae sed suam tyrannidem.

Quare hoc verbo percutit omnium illorum gantiam et ambitionem, qui populo tantum, ut commodo principentur, praesunt. Id ne fiat, ta et ardenter orat vir Dei electus. Quod malum in ecclesia hodie supra modum grassatur iras Deo, dum censuras hominum longe supra minas timemus, et prae personarum respectu Deum pe non videmus.

Ita et illud: „Propter hanc in altum *regred* seu, ut Heb. habet, revertere. Non dicit: Re me in altum, sed: Tu revertere in *altitudinem*. inquit, propter me, sed propter synagogam populor Hujus enim me miseret, hujus causam et *seductio* indigne fero, pro hac oro, non pro me. Vide, e sicut supra in amore Dei pro judicio, quod *Deus* davit, precatur, ita hic in amore fratrum precatur eorum salute, utrimque pie sollicitus, ne Deo satisfiat, et ne homines pereant sui causa, ut stet ficium Dei, quod populos regat, et obedientia pop quae obtemperet, ne quando sit aut populus sine D aut Deus sine populo. O vocem pontificibus, pa ribus, rectoribus, magnatibus commendandam, mori mente tenendam et fideli studio obsern dam!

Quando autem Deus deseruit altitudinem, ut nese sit ei ad eam reverti? Quoties videlicet ambius in loco Dei sedet, nam hic dum populum Dei subjicit magis quam Deo, certe, quantum in ipso extollitur (juxta Paulum) supra omne, quod co-r, aut quod dicitur Deus, atque hic est antistus. Quodsi in ecclesia contingat omnes ponti-s esse ambitiosos, et in populum dominari, sibique ulum subjicere, non Christo, quis dubitet tum an-ıristum regnare? Revertitur autem Deus in altitu-əm, dum dejectis ambitiosis Absalomis rursum con-uit judices sicut antiquitus, qui populum Deo cou-gent, Dei praecepta doceant, traditionibus homi-ı postremo loco habitis.

Nec miretur quispiam, id esse Deum in altitudi-ı reverti, quod est suum judicium, suam potestatem, m officium, suum ministerium resuscitari, quando spiritu prophetam loqui scimus, ideo de spirituali ıltatione Dei intelligendum, qui exaltatur, dum nos subjicimur, verbum ejus audimus, opera ejus vide-ı, et haec omnia ministerio hominum. Quare hic est oratio longe omnium affectuosissima pro pontibus, bonis rectoribus impetrandis, quam utinam ho- pro ecclesia Christi dignis verborum affectibus guli oraremus, neque enim unquam fuit tanta haec ndi necessitas.

Quid enim hodie in ecclesia videmus, quod his bis respondeat? Ubi sunt, qui populum ad Chrim eo studio promovent, quo ad se ipsos? Quis ta cura satagit, ut magis Deum timeant christiani, ım potestatem pontificum? In peccatis Deum offendentibus secure etiam ridemus, in offensis pontifin nihil non furiarum intentamus. Deinde ad nostras

pompas, ad nostras cerimonias, ad nostras potenti ad nostras leges cogimus, sed ad verbum Christi, caritatem spiritus, tantum abest, ut congregemus, summo studio etiam laboremus, ne populus Christ et veritatem intelligat, neve aliquando concordes s fideles Christi, praesertim principes et reges, doi id ausi simus docere, esse scandalosum, si vulgo s cera pietas Christi tradatur, scilicet, quod non (nostro sensu) res parvi periculi, si popul sincere evangelium pernoscat, si verbum Dei veri hominum praeferat, si rectae pietatis opera puerilib operum speciebus praeeligat, nimirum quod hinc fa et penuria nobis sint occursurae, aut certe pomp quam ex mundo rapuimus, ruitura. Breviter tempo illa periculosa hodie aguntur, in quibus non Deum, se hominem adorare cogimur.

Dominus judicat populos, judica me d mine secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.

Hic plane se ipsum reddita ratione exponit, qui voluerit intelligi per regressum Dei in altitudinem, pe judicium divinitus praeceptum, per congregatione populorum circumdantium Deum. Cur (inquit) no ita loquar? Non nos sumus, qui regimus, qui ju camus, qui loquimur, dominus judicat populos, ipsius solius est judicium in populis, ipse loquitur, ipse ju dicat, ipse facit in nobis omnia. „Non dominabo (ait Gedeon Jud. 8.) vestri, nec dominabitur in ve filius meus, sed dominabitur vobis dominus.“ Ecce vir sanctus, non ad se admisit congregari populus, etiam postulatus, sed ad dominum eos reduxit. Contra 1. Reg. 8. dixit dominus ad Samuelem: „Non te,

sed me abjecerunt, ne regnem super eos," non quod malum esset regem petere vel habere (nam postea ipsemet dedit eis reges), sed quod affectu caeco magis in regem hiabant, quam in Deum, qui non id quaerebant, ut per regem ad Deum raperentur, idonei scilicet, quos tyrannus e diverso sibi, non Deo subjiceret, sicut et in Saule eis contigit, quem petebant.

Ex quibus omnibus patet, quod sit manifestus furor Dei, quando ipsemet non judicat, seu non regit, sed sinit Absalomos ambitiosos judicii locum tenere, ut digni non simus verbum Dei audire, nec opera ejus videre, sicut praedixit Lucae 17.: „Venient dies, quando desiderabitis videre unum diem filii hominis, et non videbitis."

In heb. futurum est: Judicabit populos, quod vel optative per modum precationis intelligi potest in hunc modum: Obsecro, ut tu sis judex populorum, ne sinas homines judicare, et populum tuum seduci hominum verbis et operibus, vel assertive per modum spei suam precationem exauditam fidentis, quod mihi placet, in hunc modum: Confido et certus sum me exauditum, ut rursus tuum verbum, tuum opus, tuum judicium populum congreget, quem impii illi suis verbis et operibus disperserunt, et tibi subtraxerunt occasione mei.

Ideo postquam causam Dei et populorum egit, novissime agit et suam orans, ut innocentia sua manifestetur, siquidem nec Dei nec populorum causa resarciri potuisset, nisi dejectis impiis innocentia sua defensa fuisset. Ita necessitas gloriae Dei et salutis populi cogit, ut et suam causam justificari petat. Quam diu enim ipse damnatur inique, tam diu necesse est, nec

Dei judicium nec populi obedientiam vera (
cum inique damnatum non audiant, audiant a
iniquos illius damnatores et persecutores.

Ita videmus, non satis esse, si quis ob ju
causam, ut pro veritate patiatur, rem Deo comm
re, et paratum esse cedere, et in pulverem cum
ria sua redigi, sed sollicite oportet orare, ut I
judicet, et justificet causam veritatis, non pro
ipsius commodo, sed pro ministerio Dei et popul
lute, quorum salus sine periculo non est, nec
tua culpa, si stulta humilitate pro veritate et jus
tua servanda aut resuscitanda non ores sollicitiss
Nam non tantum curare debes, quam humilis et ab
tus tu esse possis, quantum ne populus a veritat
justitia simul alienetur, et mendaciis ac iniquitat
laqueetur. Ferenda sunt mala et iniqua, sed sic
caritatem in alios non amittas, quae sollicita sit,
quomodo tu surgas, sed quomodo illi non scandali
tur et pereant. „Propter fratres meos (inquit) et
ximos meos loquebar pacem de te." Sic Paulus g
tias agit Deo, quod vincula sua non modo non fe
rint evangelio impedimentum, sed etiam promo
rint.

Dicit ergo: Cum tu sis judicaturus populos, et
te solum id pertineat, et ita populus te rursum c
cumdabit, et tu rursus in medio ejus eris, sicut o
vi, jam ut id ipsum eo felicius procedat, judica
me secundum justitiam meam et secundum innoce
tiam meam, ostensurus, quam verba maledica huj
Aethiopis Jemini falsa et mendacia sint, ne judic
huic tuo et populorum saluti quid obstet false cri
nata justitia mea.

Diximus autem Ps. 3. aliud in sacris literis ex

justitiam meam et justitiam Dei, quod illa sit causa cujusque propria justa, qua coram hominibus et in conscientia sua sit irreprehensibilis, licet coram Dei judicio non sufficiat, haec vero sit gratia et misericordia Dei justificans nos etiam coram Deo. Ideo vigilanter addit „mea", ut separet eam ab illa, de qua in fine dicit: „Confitebor domino secundum justitiam ejus." Distribuit forsitan justitiam suam et innocentiam suam ad duo illa superiora: „Si feci istud, si est iniquitas in manibus," quae illi Semei objecerat, ut justitia sua sit, non esse reum sanguinis Saul, quin potius non reddidisse retribuentibus mala, nec dimisisse vacuos hostes, innocentia, seu integritas, seu simplicitas (haec enim hebraeum sonat) sit, non invasisse regnum Saulis auctoritate propria.

Quid autem illud „super me"? Hiero. transfert: Quae est in me. At cujus justitia non est in ipso? An forte hoc addit majoris discriminis gratia, quod justitia Dei, qua justificamur coram Deo, non est in nobis, sed in Deo, et extra nos? ut scilicet nulli relinqueret ansam inflandi sui ipsius de justitia propria coram Deo, etsi propter aliorum salutem innocentia debet coram hominibus justificanda quaeri, ut dictum est.

Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum, scrutans corda et renes Deus justus.

Iterum interpres variat more suo. Nam quod Ps. 5. malignum transtulit, dicens: „Neque habitabit juxta te malignus," hic transfert nequam seu nequitiam et quod Ps. primo impiorum, hic peccatorum reddidit. Quid autem sit impius, impietas, malignus,

malignitas, abunde Ps. 1. et 5. dictum est. Praeterea haec latinus interpres justum in fine versus abstulit et sequenti adjecit contra Hebraeum et Graecum, non sine improprietate d.: Justum adjutorium meum a domino, quasi a domino adjutorium aliud injustum justus habere possit.

Hebraeus ita et Hiero.: Consumetur malum impiorum, et confirmetur justus, probator cordium et renum Deus justus. Docet autem hoc exemplo et nos magis oratione apud Deum contra impiorum malignitatem, pro justorum innocentia agere, quam propriis viribus et tumultu. Alia enim, quam impii, ratione nos pugnamus, illi viribus ac tumultu, nos oratione, verbo et patientia.

„Consumetur," (inquit) quod sonat, finiatur, deficiat, cesset, ut Ps. 104.: „Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint." Cui per antithesin contrarium precatur, ut confirmetur justus, id est prosperetur, dirigatur et stabiliatur, eo magis quo impii consumuntur. Nec absurdum esset, si justus in neutro genere contra nequitiam impiorum, in abstracto pro justitia vel re justa seu causa justi acciperetur, quomodo Ro. 5. apostolus dicit: „Pro justo vix quis audeat mori," verum haec parvi sunt momenti.

Intelligendus autem est David et hunc versum nobis in exemplum sic orasse pro instituendo recto affectu. Non enim vindictae studio, sed zelo caritatis Dei et hominum, quo et praecedentes, oravit. Qui enim vindictae cupidi sunt, non novissimo loco, sed primo petunt adversariorum casum. Hic autem primo loco sollicitus fuit pro Deo, deinde pro populo, et sic ordine venit ad suam causam, ac novissimo ad adversarios, quos ideo finiri optat, ut Dei ministerium

et populi salus non periclitentur, (ut diximus) quod periculum tolli non possit, nisi impiorum malignitas finiatur, et causa innocentiae justi judicata firmetur, idque judicante et vindicante Deo. Quare sicut malum impiorum fuit tempore Davidicae tribulationis tyrannis Absalom et suorum justitiam opprimentium, ita in ecclesia cuilibet inique oppresso malum est sui Absalomi vis et tyrannis, quam patitur.

Renes et corda nondum habuimus, frequenter in scripturis memorata et hic semel tractanda. In Levitico ca. 3. de hostiis pacificis erudiens sacerdotes fere totum de renibus seu renunculis, reticulis vitalium et adipe et pinguedine intestinorum sacrificium absolvit. Ex quo loco verisimile est desumtam tot locis renum memoriam, proinde ad naturam eundum.

Dicunt physici renes duos lumbis adhaerere et hos esse libidinis et voluptatis organa, sicut cor pavoris et fiduciae, splen risus et laetitiae, jecur seu epar amoris et odii. Unde et ren a ῥέω graeco volunt dici, quod fluo significat, quo de renibus obscoenus libidinis humor fluat. Ita et lumbi, in quibus regnant renes, sustinent libidinis infamiam per scripturas, ut ibi: „sint lumbi vestri praecincti." Et erat (Heb. 7.) „Levi in lumbis Abrahae patris sui." Et de femore Jacob (Gen. 46.) sexaginta animae egressae sunt. Perspicuum est ergo, per renes intelligi delectationes seu voluptates, quas oporteat offerri Deo per mortificationem crucis.

Easdem vel laetitias, earum socias, significant et reticulum jecoris et omnis adeps, quod omnis laetitia, omnis amor cum voluptatibus offerenda sint Deo, nec in ullo laetandum delectandumque, nisi in Deo, qui

et solus amandus est. Sic Levi. tertio dicit: „Omnis adeps domini erit jure perpetuo," quod Paulus Mosi velamen tollens sic dicit primo Thessa. ultimo (Phil. 4.): „Gaudete in domino semper, iterum dico gaudete." Sic et David eodem spiritu Mosen intelligens adipem ostendit significare laetitiam, Ps. 63.: „Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum."

Igitur jecur, renes, adipem, pinguedinem, reticulum offert Deo, qui amore, libidine, delectatione, voluptate, laetitia, terrenis et corporalibus mortificatis Deum amat, Deo fruitur, in Deo delectatur, laetatur et in iis, quae Dei sunt. Quod sacerdotibus lex praecipit, id est, omnibus christianis, qui sunt genus sacerdotale et regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.

His consentit nunc b. Augustinus, qui ubique per renes intelligit delectationes. Recte (inquit) temporalium et terrenarum rerum delectatio renibus tribuitur, quia et ipsa pars est inferior hominis, et ea regio est, ubi carnalis generationis voluptas habitat, per quam in hanc aerumnosam et fallacis laetitiae vitam per successionem prolis natura humana transfunditur.

Cor vero, quia domicilium est sensus, significat consilia, studia, mentem, judicium, opinionem, affectum, cogitationes, aestimationes, et his similia. Ideo prius cor, quam renes, quod voluptas et quaeritur per opinionem et sequitur, et quisque his delectatur, quae sibi bona judicaverit, si obtinuerit. Hinc sapientia carnis inimica Deo ab apostolo Ro. 8. dicitur, quod quaerat voluptates illi*) contrarias, et his afficiatur, his rapiatur, quae prohi-

*) In edit. princip. deest vocab. illi.

buit Deus. Sensus ergo est, quod omnium cogitationes et delectationes, omnium desideria et voluptates Deus solus scrutatur, novit, examinat et probat, quia ipse est spirituum ponderator, Prover. 16. Haec grammatice.

Cur autem haec voluit hoc loco dicere? aut qua cohaerentia conveniunt cum praecedentibus? Dixerat: Deficiat malignitas impiorum, et procedat causa justi. Verum quia alia sunt hominum judicia, et alia Dei, imo contraria coram hominibus, qui vident ea, quae patent, David auctoritate Absalom et Semei vir sanguinum et reus malorum judicabatur. „Toto corde (inquit 2. Reg. 15.) universus Israel sequitur Absalom.“ Ita Absalom fulgebat, et justus, rectus, bonus erat in omnium oculis, David sordebat et impius, malus et noxius erat. Itaque cum sit potentissima tentatio derelinqui ab universis, ad adversarium congregatis, necessitate provocat ad Dei judicium, qui judicat secundum cor.

Et hoc consilio sese solatur et confirmat spem suam, rectam et bonam de Deo opinionem capiens, quasi dicat: Etsi omnes me deserant, ad Absalom autem omnes confugiant, ille confirmatur, ego consumor et deficio, tu tamen domine, cum sis Deus justus, aliter quam homines judicans, secundum cor et renes probans nos omnes, nosti, quam inique illi agant, cor et renes vides, quid cogitent, quid quaerant, quo gaudeant, intelligis, rursus quid ego cogitarim et voluerim, non ignoras, licet illi adsit, mihi desit species longe contraria cordibus et renibus. Ideo oro, fac ut consummetur illorum malum, et mea prosperetur justitia. Nam in hebraeo iste versus manifeste est deprecatorius, cum addatur dictio נָא, quae transfertur per adverbium

o, vel obsecro, ut consummetur obsecro nequitia, sicut Ps. 128.: „Obsecro domine salvum fac."

Erudimur ergo hoc versu, quantumlibet vel multi vel omnes a nobis defecerint ad adversarium, ne deficiamus in causa veritatis. Non enim hodie novum totam multitudinem cum universis magnatibus errare et iniquam causam tueri. Et si durum ac difficile sit hanc solitudinem ferre, cum hoc argumento stulti suam causam unice glorientur invictam esse, verum Deus vivit, cujus judicium appellandum est et fortiter tenendum, quod cor et renes ille probat, quia justus Deus. Quare nomen justus omnino ad hunc versum pertinet, cum in eo sita sit vis tota sententiae, et per antithesin subnotet homines esse judices injustos.

Sequitur ex his corda et renes dupliciter accipi vel, ut sunt non mortificata, nec Deo oblata, vel contra per gratiam rectificata et purgata, quia statim subdit de rectis corde, ostendens, quae corda Deus probans et scrutans acceptet, d.

Adjutorium meum a domino, qui salvos facit rectos corde.

Hebraeus ita per Hiero.: Clypeus meus in Deo. Significat enim protectionem ac defensionem. Et sunt verba sese exhortantis ad spem in Deum, adversus contrariam multitudinem in hominibus protectoribus fidentem, praesertim adversus verba Semei, ubi dixit: „Ecce premunt te mala tua, et dedit dominus regnum in manu Absalom filii." Sit (inquit) ita, fidite vos in homine, qui secundum faciem judicat, ego protegi me confido a Deo, qui secundum cor judicat. Quare epitasis in pronomine „meum" et „domino" elevanda est contra pronomen vestrum et ablativum homine. Ad-

jutorium vestrum in homine, meum in domino. Sic enim et nobis faciendum est hoc exemplo in casu simili. Altera quoque epitasis similiter elevanda est in pronomine „qui", et accusativo „rectos", hoc modo: Homo salvos facit pravos corde, Deus autem rectos corde. Necessaria enim sunt haec verba passis, ut talem de Deo opinionem constantem sibi in corde erigant, et servent contra omnia argumenta aliud urgentia, ne deficiant a spe divini auxilii.

Quid autem sit rectum cor, abunde diximus Ps. primo: „In consilio impiorum", quod sit ejus, qui rectam opinionem de Deo habet, qui non suo sensu ducitur, hoc est, qui credit et sperat in Deum. Sola fides enim rectificat, purificat, firmat cor, recta, vera sanctaque opinione Dei. Et apte facit ad propositum, cum Semei maledicta sua etiam auctoritate domini niteretur probare, recte David expulsum et Absalom ingressum, quo ostendat, quam soleant se pravicordes specioso fuco honestare, et rectos corde vituperare, praesertim accedente populi plausu.

Deus judex justus et fortis et patiens, numquid irascetur per singulos dies?

Aliter in hebraeo habetur: Deus judex justus et fortis, indignans tota die, et quod „fortis" dicitur, nomen Dei est, quod אל sonat, ut rectius diceretur: Deus judex justus, et Deus indignator tota die, quare „et patiens" superadditum est. Quaesitivum „numquid" cum usitata distinctione versus interpretis est, non textus.

Adeo autem profecit spes David in tentatione ista, ut jam non solum non dubitet se exauditum et liberandum, sed etiam adversarios moneat timere ju-

dicium et vindictam Dei, deinde denuntiet eis in ca eorum ventura, quaecunque in ipsum machinati s Et quamvis haec post tentationem cecinerit, ut po videri ex eventu ipso suae tribulationis doctus trib tis solatium et tribulantibus iram proponere, alios suo exemplo et suorum adversariorum periculo doc tamen credendum in ipsa remedia talia illi fuisse ditata, quae postea hoc carmine in publicum trader Nec enim unquam de Deo desperavit, ideo cogno fore, ut inimicis suis ista evenirent, sicut et modo semper quilibet justus, videns impios inique in justiti grassari, cum fiducia et cogitat et dicit Deum, qu justum judicem cognoscit, haec non passurum, sic dicit Ps. 9.: „Patientia pauperum non peribit in finem Atque id non obscure indicat, quando in eadem histori David tam sollicite mandabat, ut servarent sibi puerm Absalom, scilicet sciens et metuens, ne in caput ej malum redundaret, sicut et contigit, et hic omnib illius imitatoribus praedicit.

Audiamus ergo concionatorem adversariis imp quae pronuntiet pia sollicitudine cupiens eos a pericu eruere, et vere bonum pro malo reddens. Hoc scitote, Deus judex est, sed justus, nullius respicit personam, nec multitudine movetur, nec hominum laude fallitur, nec specie capitur, nec favore mutatur, nec munere corrumpitur. His enim homines redduntur non solum injusti judices, sed etiam justi judicis Dei contemtores, dum placere hominibus satis esse putant. Rursum non damnat propter homines solitarium, vituperatum, maledictum, oppressum, pauperem et contemtum. Breviter, vel hoc solum verbum (Deus judex justus) potens est, si digne pensetur, humiles consolari, et superbos terrere, quod in Christo patiente multum valuisse Petrus I.

Ps. 2. testatur d.: „Tradebat autem juste judicanti." Qui enim hoc verbum cogitat, facile ponit vindictam, quin miseretur adversariorum quoque, quod in Dei judicium incurrant.

Et fortis indignatur tota die, id est, assidue, ne putetis impii propitium esse vobis Deum, quia elevamini et potentes estis in iniquitate. Scitote et credite, aliter habet, quam apparet, Deus iratus est, detestatur vos, indignatur, comminatur (haec enim omnia hebraeum verbum significare dicunt) quotidie. Haec necessario impiis dicuntur, qui quia non sentiunt iram, non credunt, nec timent. Verba enim spiritus sunt annuntiata de re absente, et non apparente, per fidem apprehendenda. Nostra translatio, videtur omnia invertere, priorem partem ad impios et posteriorem ad pios aptans. Nam justum ac patientem Deum intelligimus super malos terrendos, non autem irasci per singulos dies super bonos consolandos, juxta illud Ps. 103.: „Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur," et 36. [55.]: „Et non dabit in aeternum fluctuationem justo." Sed Hebraeus aptius concordat sequentibus.

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum.

Heb. sic: Si non convertet, gladium suum acuet, quanquam et qui acuit et expolit gladium, reddit eum vibrantem, ut non longe distet acuere et vibrare. Illud: Si non convertet, dubium est, an ad Deum comminatorem *), vel ad impium convertendum perti-

*) In edit. princip. leg.: comminationem; al.: Dei comminationem.

neat, licet Hiero. referat ad convertendum, dice Non converteuti gladium suum acuet. Forte absolut verbum est, ut sit: Si non convertet, id est, si erit conversio. Verum sive dicas: Nisi conversi ritis, sive: Non converteuti, sive: Si non conversio, nihil perit sententiae, quam potius deamus.

Propheta ex crassa et humana similitudine des pro terrore incutiendo doctrinam, quia contra insens et induratos loquitur, qui judicii divini severitatem (de praedixerat) non capiunt, nisi humanae severitatis indicatam. Ideo non virgam, non baculum, non d que ullam adducit inter homines disciplinae severita nisi eam, quae mortem infert, gladium scilicet arcum, ut inculcet aeterni judicii, aeternae mo aeternae severitatis sententiam. Quid enim gla Dei est, nisi verbum judicii aeterni? de quo ad I 4.: „Vivus est sermo Dei, et penetrantior omni gl bicipiti," quo dicet: „Ite maledicti in ignem aetern Gladii enim vocabulum scindendi et interficiendi o consignificat, praesertim cum ad id acui et vib dicatur.

Ad eosdem insensatos pertinet, quod non conte gladii intentatione addit et arcum, nec arcu con bus sagittas etiam describit. Adeo dura est ce et frons impietatis, ut tot comminationibus opu sit, nec sic tamen mollescat. Idem autem est a quod gladius, verbum scilicet judicii, per aliud aliud repetitum et significatum. Quod dicit: „Par illum," idem est verbum, quod supra: „Dirige justi ut arcum paratum intelligas, tensum et directum jamjam feriendos impios, sicut gladium vibratum scindendos.

Pulchre autem his verbis iram Dei proximam super impios describit, quod tamen non intelligunt, donec senserint. Quid enim profuisset Absalom et Achitophel, si multa millia annorum in sua malitia praevaluissent, et tandem subito gladio irae Dei in aeternam mortem abscissi fuissent? Nihilominus recentina et proxima eis fuisse ira videretur. Ita Ecclesiast. [Sirach.] 5.: „Ne dixeris: Peccavi, et quid accidit mihi triste? Misericordia enim, et irra ab illo cito approximant, et in peccatores respicit ira ejus. Ne tardes converti ad dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, et in die vindictae disperdet te.“ Et Ps. 34.: „Vultus autem domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.“

Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

Perstat in similitudine, sed apte simul aeternum cruciatum exprimit, qui est mori et ardere. Vas hebraismo significat omne instrumentum generali vocabulo, omnium rerum, ut Ps. 71.: „Confitebor tibi in vasis Psalmi“ (id est, instrumentis musicis), et Ezech. 9.: „Et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua,“ id est, instrumentum mortis, seu, ad interficiendum. Sic Act. 9. Paulus apostolus vas electionis dicitur, quod ab ignaris hebraei idiomatis non intelligitur idem esse, quod latine instrumentum electum, quod scilicet eo voluerit Christus uti ad gentes convertendas prae ceteris apostolis. Illi vero, quod solum receperit in se gratiam electionis, intelligunt, cum data opera addiderit Christus, ideo vas electionis eum fore, ut portaret nomen suum coram gentibus et

filiis Israel, et multa pateretur propter verbum Christ
Ita hic „vasa mortis“ tela jaculaque mortifera ita oti
mo eodem dicit, ne insensati vilem hanc commina
onem haberent, si vasa simpliciter, aut ludi aut v
nationis diceret, sed ut terrore mortis temporalis ac
rernae mortis terrorem concipiant.

„Sagittas suas ardentibus effecit,“ per auxes
adjecit, et vasa mortis vel exponit vel repetit. N
iterum leviter sagittas ducerent, pessimas et mort
feras intentat, pulchre servans grande dicendi gen
quod augustis et potentibus verbis constat. Hiero
sic reddit: Sagittas suas ad comburendum operat
est. Nostra translatio obscure ac paene barbare s
quitur. Quid enim est ardentibus sagittas efficere
an, ut ardentes ipsi jaciant sagittas? Occasio fui
quod plurali numero Hebraeus dicit לְדֹלְקִים, qu
Hiero. ad comburendum transtulit. Poterat sic dic
Et in eo paravit vasa ad interficiendum, sagittas su
operatus est ad succendendum, seu, ut sint succendente
Nam hebraeum non potest ad verbum reddi sic: Sa
gittas suas adesse succendentes operatus est.

Nec satis erat dicere: Sagittas suas ignitas fe
cit, licet de his loqueretur, quia verbum „effeci
seu operatus est, de quo Ps. primo diximus, hoc loc
פָּעַל ponitur, quod non fabri vel artis, sed agenti
et usus significationem habet, ut significet tam vas
mortis jam parata, quam ignitas sagittas jam effecta
Deum vero illis sic uti et agere, ut occidant et suc
cendant, quo praesentissimam iram et severitatem ant
oculos ponat. Jam enim agit, ut moriantur et ardeant
impii, licet nondum moriantur et ardeant.

Praeterea dictio succendentes etiam persecutio
nem et vastationem significat, Ps. 10.: „Dum super

bit impius, inceaditur pauper," id est, patitur persecutionem. Summa est haec: His nominibus mortis et ardoris sine dubio aeternam mortem et infernum praedicit, de quibus Ps. sexto dictum est sub verbis irae et furoris, item argui et corripi, item erubescere et conturbari. De his sagittis et Job queritur, et alias in Psalterio videbimus.

Observandum, quod hucusque non habuimus tantam in ullo Psalmo adversus impios comminationem et indignationem, nec tanto verborum textu in eos invectus est spiritus. Nam et in sequentibus eorum studia quoque recenset, et non irrita modo, sed etiam in caput eorum reversura ostendit, ut appareat omnibus, qui vim calumniarum patiuntur, in consolationem sui, quanto odio sint prae ceteris calumniatores Deo. Nam in calumniam (ut dixi) proprie hic Psalmus editus est.

Ecce parturit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

Describit eorum studia maligna, nullis nisi suis auctoribus tandem perniciosa, quae appellat injustitiam, dolorem, iniquitatem. Hiero. sic: Ecce parturit iniquitatem, et concepit dolorem, et peperit mendacium. Primum vocabulum, quod iniquitatem vel injustitiam jam diximus, hebraice est ipsum אָוֶן, a quo superius Ps. 5. et 6. operarios iniquitatis dici audivimus, ubi simul dictum est, idem pro dolore frequentius transferri, ut Ps. 10.: „Sub lingua ejus labor et dolor," item 90.: „Et amplius eorum labor et dolor." Unde et hic dici potuit: Ecce parturit dolorem.

Solent autem haec duo vocabula עָמָל et אָוֶן,

id est, labor et dolor, fere conjungi, ut hic et jam dictis Ps.: unde rectius hic diceretur: Et concepit laborem. Proprie enim significat laborem, a laborando, ut Ps. 127.: „In vanum laboraverunt, qui aedificant eam." His in germanica nostra respondemus usitate et simili verborum numero et valore: Es ist Muhde und Arbeit, ut אָוֶן proprie sit Muhde a fatigando, עָמָל Arbeit a laborando, ut laborem et difficultatem significemus esse in anxio cordis studio et animi molesta contentione, fatigatione, lassitudine, taedio.

Talem autem esse eorum vitam, qui impie agunt, diximus, quia non est pax impiis, dicit dominus, et requiem illam non habent, de qua Christus dicit Matth. 11.: „Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, (quasi dicat: qui in אָוֶן et עָמָל, in Muhe und Arbeit estis) et invenietis requiem animabus vestris." Adeo scilicet praesens est poena impiorum, ut eo ipso, quo male agunt, affligantur et inquietentur. „Labor est (inquit) demum ipsa voluptas," et Plinius: Adeo omnis voluptas assiduitate sui fastidium parit, et Aug. li. 1. confess. praeclarissime dicit: Jussisti domine, et factum est ita, ut poena sui ipsius sit omnis animus inordinatus, et Sap. 5.: „Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem domini ignoravimus."

Haec autem poena, sive molestia sive labor, proprie et insigniter fatigat, quoties accidit industria, quae data opera conatur contra pietatem sua stabilire, et ut apostolus Ro. 10. dicit, ignorata justitia Dei suam statuere, hoc est, quae in pejoribus et spiritualibus nequitiis exercetur. Ideo superius ad illos maxime hoc malum pertinere diximus, qui superstitiosa religione, idolola

tria, inobedientia, propriis et a se repertis studiis operibusque justificari satagunt, deserto interim mandato Dei, vel etiam hominum, ad quod tenebantur. His enim, quia contra Deum incedunt, et Deus eis rursum contrarius est, necessario occurrit multa molestia, ut nihil nisi laborem et dolorem ex universo, quod agunt, reliquum habeant, sicut erudite Eccles. in multis locis vocat vanitatem et afflictionem spiritus, cum interim ii, qui spiritu Dei aguntur, sinuntque se dirigi, multa pace in Deo fruantur, etiamsi quid triste patiantur. Igitur אָוֶן primo iniquitatem, hic injustitiam, infra dolorem interpretari videmus, quae si in unum confluentur, reddent nobis malitiam illam, quae id anxie agit, ut honesto titulo pro justitia et pietate habeatur. Vera enim pietas non eget labore, ut pietas sit.

Ita hic David jam spe firmatus et victor tentationis suae calumniatorum et tribulatorum suorum vim et studia ridet, imo miseratur coram omnibus, dicens: Ecce (inquit) quo loco sint calumniatores mei, videat, qui volet, quanta eos teneat miseria, quanto sint me incomparabiliter infeliciores. Non solum eis minatur Deus assidue, non solum eis instat gladius, arcus, vasa mortis, et sagittae succensurae, sed praesenti etiam poena torquentur, et malitiae suae mercedem in se ipsis recipiunt, dum solliciti sunt et aestuant, quanam ratione me opprimant, et sese me exstincto securos faciant. Plus miseris est negotii, quomodo me perdant, quam mihi, quo peream. Imo ego, qui in Dei voluntatem me obtuli, securus omnia exspecto, illi securi et quieti esse non possunt, donec pariant, quod parturiunt, et impleant, quod cogitant, et tamen quia contra justitiam et Deum cogitant, frustra

harum cogitationum doloribus et laboribus vexan cogitant enim contra Deum consilia (Ps. 21.), qu stabilire non poterunt.

Tangit autem illud, quod 2 Reg. 16 et 1 Absalom dixit: „Inite consilium, quid facere deb mus.“ Ubi multis consiliis anxie res tractata fu quomodo David occiderent, sed prorsus irritis omni mirabili Dei consilio, non secus atque Judaei mu labore et dolore contra Christum egerunt, ut perd rent eum. Semper (inquit Aug.) invenimus eos majo supplicia sustinere, qui faciunt, quam qui sustinere vide tur. Imo hoc in perpetrando quovis scelere conting Latro quot insidias metuit? quam horam, quem locu quem hominem tuto habet? Adulter quot timoribus dis ciatur? quot machinis utitur, antequam semel perea Ita omni flagitio, praesertim calumniae, majora su supplicia, quam commoda, ubi nihil non periculi, ni non mali cogitur suspicari miser. Interim qui De confidit, sicut leo impavidus et securus omn contemnit, fretus optima conscientia veritatis et i nocentiae.

Docemur itaque hoc versu amplecti *) optim consolationem in pressura calumniae, ut causa D tradita non tristemur aut solliciti simus nec tumultu mur. Sufficit nosse, Dei causam nos agere, in q sic dividamus cum illis passiones, ut ab ipsis extern vexemur, illi autem a se ipsis interne, sint illi on nostrum, dum interim illis non modo nos, sed mag ipsimet sibi sunt multo gravius onus. Vide ergo m serrimam impiorum et calumniatorum condition

*) Hoc vocab. in edit. princip. deest.

Deus est eis onus, nos sumus illis onus, ipsimet sibi sunt onus. Quis non horum magis misereatur, quam impatientius indignetur? Sane quilibet nostrum haec impiis imminere, et talia eos moliri novit, quae hic censentur. Sed cum venerit hora calumniae, non omnes in eadem scientia persistimus, nimium solliciti feliciter processura esse calumniatorum studia contra nos; quae contra alios secure affirmamus nihil promotura.

Videamus ergo verborum proprietatem. „Ecce“ (inquit), velut admirans omnes ad spectaculum hoc insigne provocat, quia longe contrarium sensibus apparet. Parturit dolorem, apte componit verba, siquidem parturire et ipsum est cum dolore eniti, quasi cum dolore dolorem meditari eos dicat sumta metaphora a mulieribus parturientibus, in quo pulchre studia anxia impiorum et calumniatorum depingit, quae sunt (ut dixi) multa cura et periculo sua contra veritatem stabilire, ubi (ut ille ait) septem aliis mendaciis eget unum, ut verum appareat. Et b. Hiero.: Multis eget falsitas, ut veritas videatur.

„Et concepit dolorem.“ Videtur inversa sententia dicere debuisse: Ecce concepit laborem, et parturit dolorem, cum prior sit conceptus, quam partus. Hoc ideo mihi facere videtur, ut impiorum et calumniatorum ingenium et prudentiam nobis deliniet, qui dum innocentiam festinant opprimere, impatientissimi sunt mosse, magisque in hoc intenti, ut prius expleant animi sui malitiam, quam prudenter consultent, prius incipiant, quam deliberent. Non enim ratione et consilio, sed impetu et temeritate feruntur, ideo factum malunt, quam consultum. Expleto autem flagitio, tum demum ineunt consilia, quibus recte factum

queant tueri. Hic demum concipitur labor, et negotium iniquitatis male praesumtae defendendae suscipitur.

Sic Absalom, postquam expulerat patrem David et suum אָוֶן parturiiset, dixit: „Inite consilium, quid facere debeamus.“ Sic Judaei Christum prius comprehenderunt, postea quaerebant falsa testimonia, quibus eum accusarent. Sic omnis calumniator suam אָוֶן prius parturit, et proximo imponit, postea quaerit, ut justus aut securus persistere possit. De quibus Prov. 30.: „Talis est via mulieris adulterae, quae comedit, et tergens os suum, dicit: Non sum operata malum.“ Hanc parturitionem doloris et conceptionem laboris solemus germanice sic eloqui: Du richst ein Ungluck an, da wirst du zu schaffen haben. Et proverbialiter: Du brockist ein, und wirsts schwerlich ausessen. Igitur et difficulter et periculose incipiunt imprudentes אָוֶן operarii, hoc est, quod parturiunt dolorem, et multo labore sudoreque inceptum conantur tueri, hoc est, quod concipiunt laborem.

Quare optime docet malum coeptum ante consilium praebere dolorem, et consilium post coeptum laborem. Utrumque enim genus temeritatis et stultitiae debetur his calumniatóribus impiis, tam factum ante consilium, quam consilium post factum, ut cum perversis omnia sint perversa. Verum hunc conceptum laboris intelligimus simul fieri cum partu doloris. Sic enim dicunt impii calumniatores, dum aggrediuntur malum suum: Agamus, ubi factum fuerit, erit, quod respondebitur, aut quo defendetur, sicut Judaei Matth. ultimo, quando custodibus pecunia corruptis, ne Christi resurrectionis veritas revelaretur, dixerunt: „Etsi

hoc auditum fuerit a praeside, nos ei suadebimus, et securos vos faciemus." Vide, ut ibi concipiant laborem, dum onerant se futuris inveniendis malitiae patrociniis. Ita hic Absalom et sui parturiunt audacter אָוֶן suam. Quo autem consilio eam tueantur, nondum parturiunt, sed concipiunt facientes, sicut Prover. 14. dicitur: „Sapiens timet et declinat a malo, stultus transilit et confidit." Quid autem ex conceptu pariant, sequitur.

„Et peperit iniquitatem," quod hebraice mendacium, falsum et inane dicitur, quod ad propositum optime quadrat. Talia enim sunt consilia, defensiones et excusationes impiorum post factum scelus, merae scilicet et frigidissimae tergiversationes, mendaces illusiones et vanae deceptiones, quibus se adornent, populo suadeant, et oppressum foedent, deinde vani et irriti conatus pro sua temeritate stabilienda, in quibus omnibus multum laboris et operae perdunt, et omnia tandem frustra tentant, ut haec etiam nostri saeculi exemplis videmus contingere. Hoc autem loco magis falsum et vanum intelligimus partum, quam iniquum vel mendacem. Loquitur enim de vano conatu et irrito consilio, quo deceptus est falsusque Absalom, quando collecto Israele toto David quaerebat perdere. Ibi enim consilium suum et partus adeo evanuerunt et in irritum ierunt, ut et super caput ipsius reciderint, et quod in David moliebatur, ipsum contereret, ut sequitur.

Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit.

Allegorisat propheta, quo, ut supra docuimus, simul et rerum quandam allegoriam ostendit. Quemad-

modum crux Christi est vita allegorica, apparens c cidere, dum vivificat, ita hic Absalom lacum aperi et effodit, ut David in eum urgeret, ignarus quod h ipso David liberaret, et sese perderet. Tangit aut illud, quod Absalom cogitavit multitudine fretus, I vid ut unum et solitarium, ab omnibus derelictum rum opprimere. Hic est enim lacus mortis, quem paravit et effodit. Sed ecce hoc ipsum contigit qui derelictus ab omnibus, solus in quercu pend confossus est, et projectus in foveam grandem in sal comportato super eum acervo lapidum magno nim ut scribitur 2. Reg. 18. Haec est fovea *) illa, qu hic recitat, et in allegoriam trahit. Non enim Absal eam foveam Davidi pararat, sed mortem, quam pass est ipse, illi intentabat. Ita et usu humano dicit nobis paratum fuisse malum, in quod ceciderit impr dens adversarius noster, etiamsi tale quid ille n pararit. Quare proverbialis est hic versus, et quas vulgaris, sicut illa: Lex non est aequior ulla, qu necis artifices arte perire sua.

Dicuntur haec (ut dixi) in consolationem oppr sorum, ut sint securi, malum, quod eis intentat venturum in calumniatores ipsos, simul in terror calumniantibus et persecutoribus; quorum nimia pr sumtio et securitas est deterrenda, et illorum infirmit corroboranda.

Vide autem, quam exprimat ardorem et anhela tem furorem impiorum, quod non simpliciter dixi Lacum fecit, sicut infra dicit: „Foveam quam fecit sed: „Lacum aperuit et effodit," quasi diceret ill

---

*) In edit. princip. leg.: forma.

Prover. 1.: „Pedes eorum festinant, ut effundant sanguinem.“ Ita sunt negotiosi et operosi in parando et fodiendo lacu. Nihil non tentant, omnia explorant, non contenti, quod aperiunt, effodiunt, etiam profundum faciunt, ut quantocius et profundissime perdant innocentem. Sic Judaei quanquam festinarent ad Christum occidendum, et omnia in hoc pararent, non tamen simplici mortis genere contenti fuerunt, sed velut profundissimam foveam affodientes ignominiosissimam crucis mortem procurarunt. Ita omnis calumniator non habet satis perdidisse quantocius proximum suum, nisi, quantum potest, turpissime perdat.

Hanc ignominiam mortis per effosionem parati laci indicat, quia tanto a luce et spe reparandi longior est, quo profundius immergitur. Nullus enim impius tam stultus est, qui velit videri innocentem sine causa perdidisse, imo quo est malignior, eo magis quaerit videri justissima causa agere, et illum turpissima causa perdi. Ideo effodere illi necesse est lacum jam paratum et apertum, et tamen foveam sibi nec aperuisse nec effodisse, sed fecisse dicitur, quia nec mortem nec ignominiam suam quaesivit, incidit potius imprudens.

Iterum hic soloecismus est: „incidit in foveam, fecit,“ ubi nostri addunt: quam, ego autem: quia, ut supra, et quod „aperuit“ nos habemus, paravit dicitur in heb. Parva haec, quia utrobique intelligitur lacus prius paratus quam effossus, contra omnium sensum quia id, quod dictum est, intelligi voluit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus, in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Non est hic אָוֶן, sed עָמָל, quod laborem prop non dolorem significare diximus, „convertetur (inquit) bor ejus in caput ejus," et iniquitas vocabulum est, q nondum habuimus, scilicet חָמָס, quod proprie signif rapacitatem, violentiam, seu injuriam, quae vi irroga tyrannidem, quomodo accipitres rapiunt aviculas. N ab hoc nomine accipitrem nocturnum vocari dicit Reu ... a rapiendo.

Respicit autem ad illud, quod in principio di „Ne quando rapiat, sicut leo animam meam." Pa verat enim Absalom, collecto omni populo, vi rap et vorare David, et ipse raptus ac devoratus est ser, et ita recidit labor et studium ejus in caput ej Videturque idem esse sensus cum versu praecede cujus allegoriam apertis verbis explicat, nisi in l differat ab illo, quod praecedente versu opus ips designatum sit, ipsa scilicet mors et perditio, fovea lacu expressa, in hoc autem consilium et sapien quibus fovea et lacus illi parabantur et effodieban ut intelligamus Deum adeo pro calumnia pressis co calumniatorum vim sollicitum esse, ut et malum, q ntentant, et consilium, quo nituntur, in eos retorque ne deficiamus in spe.

Hic est enim divini judicii modus incomprehe bilis, quod impios nonnisi proprio eorum consilio ca et in perditionem a se repertam inducit. Sic Goli occidit proprio gladio. Sic Job 5.: „Qui dissipat gitationes malignorum, ne possint implere ma eorum, quod coeperant, qui apprehendit sapientes astutia eorum, et consilium pravorum dissipat,

diem incurrent in tenebras, et quasi in nocte, sic palpabunt in meridie," id est, tunc sunt stultissimi et caecissimi, quando sunt sapientissimi et videntissimi.

Gravi ergo epitasi laborem appellat eorum consilia, astutiam, sapientiam. Revera aliud non habent ex his nisi laborem, fructus enim et finis non sequitur, resistente eis Deo. Sic Judaei, qui Christum perdere moliti sunt, quid fecerunt, nisi quod frustra laboraverunt, et (ut Ps. 2. dixit) meditati sunt inania? Hic autem non solum laborem vocat, sed etiam in caput ipsorum reversum dicit, quia hoc ipsum consilium, quo Absalom fretus multitudinem populi collegit, ei exitio fuit, futurus tutior, si in urbe manens juxta consilium Achitophel XII. illa millia virorum misisset. Sed, ut ait scriptura, domini nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret dominus super Absalom malum. Consolatur itaque nos scriptura, dum impiorum ferociam aliud non esse docet, nisi magnum quendam, sed inanem conatum verius quam factum, et talem, qui in eos ipsos sit convertendus, sicut fluctus et tumor maris videtur velle obruere littus, sed in se ipsum mox ruens evanescit suis minis ludibrio expositis.

Tropus hi scripturae familiaris est, in caput, in verticem converti, seu cadere, seu descendere. Sic Ecclesiast. [Sirach.] 27. hos versus aemulans dicit: „Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet, et plaga dolosa dolosi dividet vulnera, et qui foveam fodit, incidet in eam, et qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo, et qui laqueum alii ponit, peribit in illo, facienti nequissimum consilium super ipsum devolvetur, et non agnoscet, unde adveniet illi." Eodem tropo et 2. Reg. 1.: „Sanguis tuus sit per caput tuum.", Omniaque ferre, tam mala tum bona imprecari solent

in caput. Deutro. 33.: „Benedictio illius, qui app in rubo, veniat super caput Joseph,“ quod caput cet sit primum et dignius membrum totius corp Simul tamen indicat, quod desursum a Deo desce utrumque, tam vindicta impiorum, quam salus pio Ideo a Deo ordinante descendit iniquitas ejus in ticem ejus, et labor in caput ejus. Videtur au tautologice idem esse, converti laborem in caput descendere iniquitatem in verticem, ideo repetitum firmitatis et certitudinis indicium sit, ut supra dic est. Nam impii insensati minas Dei etiam rident, q vel non futuras vel diu differendas, ideo fortiter in canda sunt eis mala.

Confitebor domino secundum justitiam ej et psallam nomini domini altissimi.

Concludit Psalmum et orationem pulchra senten quasi dicat: Haec omnia mihi dicta et orata sint per maledictis, calumniis, injuriis Semei et homin pro ignorantia et justitia mea tuenda secundum c scientiam, et quantum est in conspectu hominum, terum non in eam confido, nec talem judico, q stare coram Deo possim, sicut apostolus 1. Cor. „Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificat sum,“ et: „Qui gloriatur, in domino glorietur. N enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, s quem Deus commendat.“ Ita et ego aliam habeo j stitiam, in qua glorior, nempe justitiam Dei, mise cordiam et gratiam, qua ignoscit mihi peccata me et justificat in conspectu suo. De qua justitia neq me jacto neque mihi confiteor, quasi sit mea. Conf teor autem et confitebor in aeternum pro ea domin cujus ipsa solius est. Quare per justitiam meam d

mine et populo quidem libens servierim et impiis restiterim, at in justitia Dei mihi profuerim.

Mire eodem versu eisdemque verbis et gratias agit, et justitiam laudat, et naturam ejusdem describit, esse, scilicet, eam donum gratuitum Dei, pro quo sit laudandus et cantandus. Quare „secundum justitiam ejus“ hic intelligendum omnino, ut sit idem, quod: propter justitiam ejus, ut sit sensus: Laudabo dominum in aeternum, quia ipse est, qui justificat, quod nisi faceret, nec justitia mea secundum conscientiam meam subsisteret. Et hunc sensum juvat, quod sequitur, velut repetito dictum: „Et psallam nomini domini altissimi.“ Nam nomen domini supra diximus esse laudem, qua praedicatur bonus, misericors, salvator etc. Et in hoc nomine credens justificatur et salvatur. Talis enim est Deus, qualis creditur cuique. Damnati vero et impii nullum ei nomen tribuunt, illi, quod nihil boni de eo sperant, hi quod non indigent. Unde Prover. 18.; „Turris fortissima nomen domini, ad ipsam currit justus, et exaltabitur.“ Et Ro. 10.: „Omnis qui invocaverit nomen domini, salvus erit.“

Ab hoc igitur nomine cum veniat justitia et salus ac laeta conscientia, dum fortiter in ipsum creditur, non autem ex nostris viribus aut operibus, recte docet nonnisi nomini domini justitiam Dei tribuendam, et eidem psallendum, praedicandum, celebrandum, quo et alii per hanc confessionem et praedicationem idem nomen cognoscentes credant et salvi fiant. Prope idem dicit Ps. 51.: „Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.“ Et iterum: „Exsultabit lingua mea justitiam tuam,“ ut impii justitiam suam exsultant, ut saepius jam dictum est.

Quare confiteri et psallere hoc loco non privatum

gratitudinis officium solummodo significatur, sed etiam publicum verbi gratiae ministerium, quo nomen Dei hominibus manifestatur.

Utilis et necessaria erit hujus Psalmi oratio, si adversus diabolum oratur sive in hora mortis, sive qua alia desperationis tentatione. Nam ipse est proprie diabolus, id est, calumniator, qui nos accusat, et conscientiam etiam in his confundit, quae recte gessimus, et Deo placent tum quae male egimus, supra modum magnificat, utrobique onerosissimus et importunissimus Semei, Aethiops teterrimus, maledicens, insultans, urgens in haec verba: „Ecce premunt te mala tua, egredere, egredere, vir sanguinum, reddidit dominus tibi universum sanguinem domus Saul," et reliqua, quae ex hac historia licet cuilibet ad tropologiam trahere. In quibus David nostrum omnium exemplum est, docens nos ea quidem sustinere debere, sed simul exspectare benedictionem Dei pro maledictione et afflictione ista.